BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XV
C
46
NAPOLI

[illegible] Google

XV.
C.
46.

DISSERTATIO
HISTORICA
DOGMATICO-MORALIS
IN BULLAM S. CRUCIATÆ

Neapolitano huic Regno conceſſam
IN QUA
Facultates, Indulta, & Conceſſiones per
Apoſtolicam Sedem nobis impertita
enodantur, illuſtrantur, atque
ad vivum reſecantur:
Ubi & plura ſparſim interjecta occurrunt
de Facultatibus, & Privilegiis
concedi ſolitis per
BULLAS JUBILAEI.
In hac Editione primum plurimis Additionibus ubique locupletata
Cui etiam nunc acceſſere Sapientiſſimæ Reſponſiones, & Reſolutiones Eminentiſſimi noſtri Commiſſarii in plures Quæſtiones ad eamdem Bullam pertinentes adhibitæ Ordine digeſtæ Auctore C. V. Canonico Inſignis Collegiatæ S. Joannis Majoris.

EDITIO ALTERA
Priori Emendatior
In duos Tomos Diſtributa

TOMUS II.

Excudebat Publica Auctoritate, ſuiſque
Expenſis Cajetanus Caſtellano.

NEAPOLI ANNO MDCCXCIII.

B. N. NEAPOLI



JOSEPHO MARIÆ

CAPYCIO ZURLO

CARDINALI AMPLISSIMO

Commiſſario Cruciatæ S. Neapolitanæ &c. &c.

EMINENTISS. PRINCEPS.

CUm prior Tomus noſtræ Elucubratiunculæ in Bullam Cruciatæ S. Neapolitanam ſub Tuis auſpiciis, Princeps Eminentiſſime, paucis abhinc annis prodierit in luminis auras, ac Tuo Numine obumbratus ſecurus ab obtrectatorum conviciis, at-

viſa fuerint, protinus inquam inverſo calamo, aut levi ſpongiae affrictu delebo, recantabo, iiſque oppoſita edocebo. Etenim Viro Theologo, cui nihil magis cordi eſſe debet, quam veritatis ſtudium, haud turpe futurum, ſi aliqua inconſiderantius fortaſſe dicta, face veritatis praelucente retractabit, emendabit; ſed potius turpe, et exitiale videri debet, ſi ſuis dictis tenacius obſtinatiuſque adhaerendo veritati litare recuſet, aliiſque erroris praebeat anſam.

At ſatis ſuperque meum animum Tibi perſpectum eſſe arbitror. Unum tantummodo ſupereſt ceteris magis neceſſarium, quod protinus adjiciam; ut nempe Tibi, Tuae Fidei Opuſculum iſtud, qualecumque illud ſit, pingui licet, & invita Minerva deductum, ſit commandatum; Tu in Tuam tutelam libentiſſime pro Tua humanitate ſuſcipito, illudque ab obtrectatorum calumniis pro tuo munere contutare. Neque enim deerunt invidi obtrectatores, qui me calumniis proſcin-

fidei, ac tutelæ præſidia quæritaret. Siquidem poſterior iſte Tomus Tuo munere auctus, atque cumulatus publicam lucem adſpicit; continet enim, ac profert in medium Tuas ſapientiſſimas Reſponſiones, ac Reſolutiones de quæſtionibus non paucis ad eamdem noſtram Bullam pertinentibus. Cum enim antea incerti, anxii, ac pavidi vagaremur, ac de multis capitibus reſpicientibus Privilegia, ac Facultates in dicta noſtra Bulla conceſſas andabatarum more inter nos decertaremus, Tu quidem pro Tuo officii munere tanto malo opportune occurriſti Tuis ſapientiſſimis Reſponſionibus, ac Definitionibus, quæ identidem per te adhibitæ fuere, cum ex diſſitis Regionibus undique ad Te, quem Apoſtolico præcepto veluti Præceptorem, ac Legislatorem hac in re audire unice jubemur, quæſtiones ad prædictam Bullam ſpectantes deferabantur, atque proponebantur reſolvendæ, ac definiendae. Quo factum eſt praeclare bono noſtro, ut diſcuſſis inde dubi-

tationibus, ac luce veritatis promicante ex ore noſtri ſupremi Antiſtitis; ac Paſtoris, ſciamus ubi tutius pedem figere poſſimus, quaeque hac in re ſectanda nobis eſſent, et a quibus cavendum; ne cerebroſis aliquorum interpretationibus abducti, ac decepti ab Apoſtolicarum Conceſſionum ſententiis vel quam maxime recederemus. Et quo tantum munus potuiſſet in publica commoda derivari, pro tua benignitate, atque in gregem praeſertim tibi commiſſum caritate voluiſti inde noſtram Opellam ditari.

Huc etiam acceſſit, quod cum poſterior iſte Libellus magna ex parte occupetur in tuis hiſce Reſponſionibus, ac Definitionibus contutandis, ac vindicandis a quorumdam hominum audacia, ac ſupercilio, quibus cum latere non poſſit, quidquid Tu hiſce de rebus, quae utpote obſcuriores in diverſas hinc inde, atque oppoſitas ſententias pertrahebantur, pro tua auctoritate tenendum juſſiſti, ipſi tamen adhuc in incerto vagari,

di-

digladiari, cum conquieſcere oportet, ac tricas ſerere in deliciis habent, poſterior, inquam, Libellus nulli alteri, praeterquam Tibi ille erat unice dicandus; ut tu Tuo judicio comprobares quaecumque hanc in rem conſcripta fuere, ut ſi qua in parte a tuarum Definitionum ſententia praeter voluntatem longius recederet cenſoria nota illud quodcumque ſit deleretur.

Sane non defuere nonnulli, qui cum κριτότεροι (ſagaciores ſcilicet critici) videri cupiant, ac ceteris ſapientiores, plus aequo ſeſe praebent propoſiti ſui tenaciores, ac in ſuis contutandis opinionibus obſtinatiores, ac Tuæ auctoritati, ac judicio plura, quae hac in re dubitationibus patebant, definienti, aut nihil deferunt, cui profecto hac ſaltem in re omnino adquieſcendum eſſet, aut iis tantum in rebus adhaererent, quae ſibi, aut ſuo ſyſtemati quadrant.

Qua quidem in re, ut verum fatear, duo ſunt, quae vehementer de-

demiror . Primum eſt Supremi Numinis conſilium , quo factum eſt , ut ego , qui quibuſdam in capitibus, quae memoratae Bullae intelligentiam ſpectabant , non leviter a Te diſſiderem , ac in Tuae auctoritatis umbra conquieſcere detrectarem , nunc rebus accuratius diſcuſſis, non ſolum libentiſſime amplexarer Tuas Definitiones, ac Reſolutiones ea de re editas ; verum etiam ceteris ſectandas proponerem , edocerem , atque non levibus argumentis evincerem . Quod maximo bono omnium futurum non temere praeſagire audeo ; ut qui non paucos in dubitationem conjecerim , ac ſolus obſtare videbar quarumdam Facultatum uſui , atque executioni , nunc argumentis non contemnendis propoſitis a dubitatione eximerem , ac recto earumdem Facultatum uſui , quae olim mihi obſtare viſa ſunt , nunc veluti nullius ponderis removenda edocerem . Novi enim quantum ſit , et quo pertingat Tuae auctoritatis hac præſertim in re pondus , cui Apoſtolica ſententia munus Commiſ-

ſarii,

ſerii, atque Executoris Praecipui ejuſdem Bullae Cruciatae delatum fuit, et qui pro auctoritate Tibi collata omnia, et ſingula poſſis peragere, quae ejuſdem Bullae faciliori executioni conferre viſa fuerint: ut decernit ſummus Pontifex. Quare Theologicarum rerum tractatores communi conſenſione minime veriti ſunt edocere in Te uno agnoſcendam eſſe, et ſuſpiciendam auctoritatem, et jus interpretandi *authentice* eamdem Bullam.

Atque hinc profecto fuit, unde ego non dubitaverim quarumdam ſententiarum in hac poſteriori editione prædictæ noſtræ Elucubratiunculæ palinodiam canere, aliaſque diſcuſſis Tuæ auctoritatis lumine dubitationum nebulis altius, atque luculentius inculcare; ne viderer facto ipſo Tibi eripere, ac per ſummam injuriam denegare, quod Theologorum natio tibi ſummo conſenſu deferendum docent, atque jus & auctoritatem, quam Romana Eccleſia omnium aliarum Mater, & Magiſtra merito haben-

 da,

da , Tibi contulit in dubitationem mea temeritate revocare accuſarer .

Alterum autem , quod vehementer demiror , illud eſt ; quorumdam nempe hominum , neſcio temeritatem dixerim , an audaciam , qui poſtquam Theologorum unanimi adſenſu adacti edocuerint ; quin & etiam probaverint Tuæ auctoritatis praerogativam , & jus in Bullae noſtrae Cruciatae S., Conceſſionibus , ac Privilegiis interpretandis , poſtea hujus rei fortaſſe immores non ea , qua par eſt , ac debent , Tuas Reſponſiones , ac Definitiones obſervantia audiunt , atque excipiunt ; imo & oppugnare adnituntur , atque impetere , licet id non aperta fronte contendant , ſed furtim , & veluti per cuniculos . Dum enim Tuis Definitionibus , atque Reſponſionibus adverſas toto cœlo ſententias ſectantur , venditant , atq; edocent , quid aliud , quaeſo faciunt , quam Tuas Definitiones oppugnant , ac Tuae inviolabilis auctoritatis jus violant ? Quibus utinam illud Apoſtoli Pauli ad Romanos in men-

mentem veniat monitum; ut non plus ſapiant, quam oportet ſapere, ſed ut ſapiant ad ſobrietatem. At quod magis ac magis mirandum eſt, non ſunt veriti menda quaedam, quae licet leviuſcula videantur, re tamen ipſa maximi ſunt momenti, menda quaedam, inquam, in noſtra Bulla excogitare, atque erroris accuſare Scriptorem noſtrae Bullae. Quod quidem, cum antea privatis ſuis epiſtolis aliis perſuadere adnixi fuiſſent, poſtea etiam nihil penſi habentes Tuam auctoritatem, atque interpretationem ea in re per Te adhibitam, editis libellis hujuſmodi erroris inſimulationem, atque intruſionem in formulam conceſſionis mixte diſpenſandi in Votis in vulgus ſpargere auſi ſunt; neceſſitatem emendationis ubique inculcant, atque alte inclamant, Tibique etiam modum ſtatuunt, quo deleto hujuſmodi excogitato errore vera lectio noſtrae Bullae, ſi Diis placet, reſtituatur. At rectius memet ipſe geſſeram, cui, cum liquido non conſtaret facultas iſthaec

conceſſa mixte diſpenſandi. in Voto Caſtitatis Perpetuae ; ita me temperaveram , Te etiam permittente, ut illam tantummodo probabilem , aut multum probabilem adſeruerim. Nunc autem ſecundis curis re penitius diſcuſſa, atque dubitationibus quibuſcumque rejectis in Tuam ſententiam libentiſſime conceſſi ; Tuæ hac in re interpretationi , ac Definitioni firmiter adhaeſi , atque omnino adhaerendum invictiſſime, niſi mea me fallit opinio , comprobavi. Praeterea adverſariorum conatibus , atque auſis temerariis , quibus hujuſmodi emendationis neceſſitatem crepant, atque obtrudunt , obſtiti pro virili , eaque in irritum rejeci, abſurda, quae deducebant ex vera , ac germana noſtrae Bullae lectione, ceu fumus in auras ut abirent feci , Bullae noſtrae Scriptorem , aut potius Apoſtolicam Sedem ab accuſatione , qua impetebatur , minus propriae locutionis vindicavi ; quin & oſtendi locutionis genus , quod hac in re adhibet ipſius Bullae Scriptor , rectum, pro-

JOSEPHO MARIÆ

CAPYCIO ZURLO

CARDINALI AMPLISSIMO

Commiſſario Cruciatæ S. Neapolitanæ &c. &c.

EMINENTISS. PRINCEPS.

CUm prior Tomus noſtræ Elucubratiunculæ in Bullam Cruciatæ S. Neapolitanam ſub Tuis auſpiciis, Princeps Eminentiſſime, paucis abhinc annis prodierit in luminis auras, ac Tuo Numine obumbratus ſecurus ab obtrectatorum conviciis, at-

ne dum in aliquorum Theologorum caſtra tranſirem, atque partibus adhaererem; quaſi transfuga veritatis viderer, atque accuſarer, pluribus inquam in quaeſtionibus Tua innixus, atque confiſius auctoritate non dubitando (licet ſemper probabiliora, & quae veritati proxima videbantur, ſectanda curaveram) ſed definiendo difficultatum nodos reſolvi. Quapropter pro tam inſignibus utilitatibus, non in ſolum gregem Neapolitanae Urbis tibi concreditum, ſed in ceteros etiam hujuſce noſtri florentiſſimi Regni Populos hoc Tuo conſilio derivatis Deo O. M. bonorum omnium largitori, qui hanc mentem Tibi injecit, digna vota perſolvemus; & ego, qui omnium ſum minimus ceterorum nomine maximas refero Tibi gratias, majores tamen nos habere profitemur.

At longius fortaſſe hac mea oratiuncula praetervectus ſum, ac Te innumeris, graviſſimiſque curis diſtentum pluribus, quam par erat, detinuiſſe videor. Tu tamen pro Tua

be-

benignitate facile ignoſces, ſi quae tua ſapientia eſt, animadvertas, quod iſthaec qualiſcumque mea opera in hoc argumenti genus collata Tibi erat probanda Tuoque judicio commendanda: & poſtquam Tuis juſſis obtemperare ſategeram, meas agendi rationes Tibi, ut oportebat, perſpectas eſſe volui, ac mea ſenſa explorata; ut ſi tibi, cum Opuſculum iſtiuſmodi per otium percurrere Tibi licebit, quidquam in eo occurret, aut minus rectum, aut non probe enucleatum, aut a veritatis tramite aliqua ex parte abhorrens, non iraſcaris mihi, ſed paterna caritate moneas tamquam filium obſequentiſſimum; ut qui unice veritati ſtudui, ſi quando a veritate devius in errorem impegerim, atque invitus fuerim abductus (haec eſt enim humana infirmitas, ut omnium errorum laqueos vel diligentiſſimus quiſque effugere non poſſit) Te monente protinus quaecumque chartis illita ſunt, aut quae Tibi minus arrident, aut minus recte dicta Tibi

viſa

viſa fuerint, protinus inquam inverſo calamo, aut levi ſpongiae affrictu delebo, recantabo, iiſque oppoſita edocebo. Etenim Viro Theologo, cui nihil magis cordi eſſe debet, quam veritatis ſtudium, haud turpe futurum, ſi aliqua inconſiderantius fortaſſe dicta, face veritatis praelucente retractabit, emendabit; ſed potius turpe, et exitiale videri debet, ſi ſuis dictis tenacius obſtinatiuſque adhaerendo veritati litare recuſet, aliiſque erroris praebeat anſam.

At ſatis ſuperque meum animum Tibi perſpectum eſſe arbitror. Unum tantummodo ſupereſt ceteris magis neceſſarium, quod protinus adjiciam; ut nempe Tibi, Tuae Fidei Opuſculum iſtud, qualecumque illud ſit, pingui licet, & invita Minerva deductum, ſit commandatum; Tu in Tuam tutelam libentiſſime pro Tua humanitate ſuſcipito, illudque ab obtrectatorum calumniis pro tuo munere contutare. Neque enim deerunt invidi obtrectatores, qui me calumniis pro-
ſcin-

ſcindere non deſiſtent, quaſi plura a me dicta fuerint, non veritatis ſtudio, ſed aſſentandi gratia. At Deus mihi teſtis eſt, me in ſententiis deligendis, atque amplectendis poſthabito quovis partium ſtudio, ad veritatem, quantum paſſa eſt humana infirmitas, unice intendiſſe, atque contendiſſe. Reliquum eſt itaque, ut Tuae Paſtoralis benedictionis munus in me, quem Tibi obſequentiſſimum ſemper noveris, in me inquam, meumque iſtud Opuſculum abunde effundas, ut divina ope munitum in aliorum utilitates aliqua ex parte redundare poſſit divino munere id elargiente. Non ultra autem progrediar. Nolo etiam Te diutius obtundere. Vale itaque. Teque Deus O. M. Princeps Paſtorum diutiſſime ſervet communi noſtro, adeoque totius gregis tibi commiſſi bono; Tuis etiam cœptis pro Tuis votis ad ſpiritualem ejuſdem ſalutem praeſens ſemper adſit, ac benignus ſemper adſpiret; atque Tibi cumulatiſſime præſtet ea, quæcumque Tuis ſanctiſſimis votis

re-

reſpondeant; quod Tibi ex animo pro meo erga Te officio adprecatus, ac Sacram Purpuram venerabundus exoſculatus dicor.

Eminentiæ Suæ.

Obſequentiſs. Filius, atque
Addictiſſimus Famulus
Cajetanus
Canonicus Vella.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

GAetano Caſtellano pubblico Stampatore in queſta Città, eſpone, come deſidera ſtampare un' Aggiunta all' Opera intitolata: *Diſſertatio Dogmatico-Moralis in Bullam S. Cruciatæ huic Neapolitano Regno conceſſam: Pars Secunda*: Perciò ſupplica l' Eminenza Voſtra voler degnarſi rimettere la reviſione a chi meglio le parerà, e l' avrà a grazia ut Deus.

Admodum Rev. Dom. D. Felix Cappelli S. Th. Prof. revideat, & in ſcriptis referat. Die 3. Julii 1792.

Paſchalis Ep. Tien. Vic. Gen.

Joſeph Archiep. Nicoſienſis Can. Dep.

EN ut mandata Tua facerem Princeps Eminentiſſime, ſtatim luſtravi *Hiſtoricum-Theologicum-Morale in Bullæ Cruciatæ Regni Neapolitani Commentarium*, quod nunc vir, non e trivio Theologus, duplo majus, variiſque auctum additamentis ante fores emittere ſtudet in publica civium commoda. Fateor equidem, me nihil in eo ab fide recta, mo-

rum-

rumque probitate alienum uſpiam depre. hendiſſe ; immo cuncta non modo mira *συντομια*, ſed & *ἀκριβεια* uſque clare. ſcere ; & quod caput eſt, omnia ferme *Eminentiæ Tuæ*, cujus ex ore pendere nititur Auctor, firmari *αὐθεντια* ubique vidi. Quare in adſpectum, lucemque prodi. re. quid vetat ? Utinam & alia id ge. nus Eccleſiæ germina exſurgant, quæ præ. clara alia hujuſmodi ſapientiæ documenta edere aveant, quam fauſtum, lætum, felixque & litteris, & ſanctimonia Sacerdotium foret ! At verbum non amplius addam, ne diutius tua tempora morer. Vale rei ſacrae praeſidium, columenque ingens. Dabam Neapoli ipſis Kal. Martiis CIↃIↃCCXCIII.

EMINENTISS. DIGNITATI TUÆ.

Devotiſſimus
Felix Cappellus.
Ex regia ſcientiarum, &
Antiquitatum Academia.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Die 4. Martii 1793.

Joſeph Archiep. Nicoſienſis Can. Dep.

S. R. M.

GAetano Caſtellano publico Stampatore in queſta voſtra fedeliſſima Città, proſtrato a' piedi di V. M. con umili ſuppliche eſpone, come deſidera dare alle ſtampe un' Aggiunta all' Opera intitolata: *Diſſertatio Hiſtorica Dogmatico-Moralis in Bullam S. Cruciatæ huic Neapolitano Regno conceſſam: Pars Secunda*: Suplica pertanto la M. V. a volerſi degnare di rimetterne la reviſione a chi meglio le parerà; e l' avrà a grazia *ut Deus*.

Reverendiſs. D. D. Salvator Canonicus Ruggiero, in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor Primarius revideat autographum enunciati operis, cui ſe ſubſcribat ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium Ordinum, & in ſcriptis referat potiſſimum, ſi quidquam in eo occurrat, quod Regiis juribus, boniſque moribus adverſetur. Ac pro executione Regalium Ordinum idem Reviſor cum ſua relatione ad nos directe tranſmittat etiam autographum ad finem. Datum Neapoli die VIII. Menſis Augusti 1792.

Fr. Alb. Archiepiſ. Coloſſen Capp. M.

CELSISSIME DOMINE.

QUæ ad Diſſertationem in Cruciatæ Bullam pridem editam nunc accedit Mantiſſa, ipſa per ſe poſtulat, ut publicam lucem aſpiciat. Cum enim ea fuerit, Auguſtiſſime Rex, providentiſſima tui conſilii ratio, in hujuſmodi Bulla ab Apoſtolica Sede impetranda, ut publicæ utilitati proſpiceres, tuiſque ſubditis facilem viam munires, qua tum humanæ vitæ commoda, tum animæ ac ſpiritus ſalutem tibi compararent; nihil profecto tuis conſiliis accomodatius fieri potuit, quum ut diſertiſſima eorum omnium, quæ ex laudatæ Bullæ indulgentia Chriſti fidelibus impertiuntur, traderetur explicatio. Atqui id præſtitit hujuſce Diſſertationis Doctiſſimus Scriptor; quodque ſibi propoſuit argumentum ita verſavit, ut totum exhauſerit, ac ſingulis, quæ in hanc rem inſtitui poſſunt, quæſtionibus abunde fecerit ſatis. Quamobrem ut ea litterarum formis Commiſſa in publicum prodeat, licere poſſe cenſeo; ſi quidem quæ Tua ſumma eſt auctoritas acceſſerit; cum nihil mibi occurrat, quod Sacra Majeſtatis jura attentat, aut morum honeſtati adverſatur. Dat. Neapoli XVII. Kal. Septembr. MDCCXCIII.

Nomini Tuo Majeſtatique.

Devotiſſimus

Salvator Can. Rogerius.

Die 8. menſis Novembris 1792. Neap.

Viſo Reſcripto S. R. M. ſub die 29. Septembris currentis anni, ac relatione Canonici D. Salvatoris Ruggiero de Commiſſione Reverendi Regii Cappellani Majoris Ordine prefatæ Realis Majeſtatis &c.

Realis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris; verum non publicetur, niſi per ipſum Reviſorem facta iterum reviſione affirmetur, quod concordat ſervata forma Regalium ordinum, ac etiam in publicatum ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

TARGIANI.

V. A. M.

PECCHENEDA.

BISOGNI.

PASCALE.

IZZO CANCELLARIUS.

A Regia fol. 11.

MONITUM AUCTORIS

AD LECTOREM

Pro hac ſecunda operis Editione.

INgenti profecto, humaniſſime lector, ut verum tibi fatear, affectus ſum lætitia, cum deprehendi Opuſculum iſtud publici juris factum publicis utilitatibus deſerviiſſe, iiſque aliqua ratione non leviter profuiſſe. Etenim non pauci errores hominum ſimplicitate, atq: ignoratione rei adverſus Bullæ S. Cruciatæ mentem atque præſcriptum invecti, exiguum noſtrum Opuſculum lectitando eliminati fuere; quod mihi teſtati fuere viri Fide digniſſimi, & tute ipſe, Amice lector, iſthæc relegendo probe perſpicies. Sane in id maxime contendere debet, ac ſuarum cogitationum nervos intendere mortalis homo, ſapientiſſima Dei ordinatione ſociali vinculo ceteris hominum devinctus, ne veluti telluris inutile pondus lucis hujus uſura immerito perfruatur, ſed ut aliqua ex parte

ſuis contribulibus, ac concivibus prodeſſe poſſit; hoc enim optimi civis eſt, qui non tum ſuis; quam aliorum commodis ſe in hanc lucem eductum reputare debet. Atque id profecto multo magis eniti debet Sacerdos, qui ſane vocationis munere animarum lucris Deo comparandis eſt deſtinatus; ne otio, ac deſidia tabeſcente, ſanguis illorum, qui manifeſtatione veritatis e mortis faucibus fuiſſent erepti e manibus ipſius per diſtrictum Judicem J. C. exquiratur. Id autem cum perfeciſſe aliqua ex parte videaris, profecto inter egregias laudes, maximaſque erit referendum.

Ut ut autem laudatum Opuſculum noſtræ aetatis Theologis fuerit probatum, ab iiſque commendatum, non caruit tamen quibuſdam noevis (neque enim id fateri erubeſcimus) ſive ob typograghorum oſcitantiam, ſive ob humanarum rerum conditionem, qua nihil ad perfectum, quantum tamen hominibus eniti fas ſit, niſi iteratis laboribus adduci poterit. Ab his tamen memoratum noſtrum Opuſculum divino conſilio abſtergere datum eſt. Cum enim id minus cogitarem, diſtractis jam exemplaribus advocatus fui ad novam ejuſdem Opuſculi editionem adornandam, atque ad adtexenda aliqua additamenta, quibus hoc argumenti genus de Bullæ noſtræ Cruciatæ privilegiis, ac Facultatibus cumulatius pertractaretur, ut nihil eſſet, quantum tamen fas eſſe po-

poterit, quod ibi deſideraretur. Impoſitam itaque mihi provinciam lubentiſſime ſuſcepi, ſtatimque animum adplicui ad hoc ſcriptionis genus; ut licet gravibus curis, continuiſq; diſtinerer; iis tamen aliquam temporis particulam itendidem defraudans atque ſubripiens, memet ad conſcribendum conferebam. Quid porro hoc in genere præſtiterim, quamque agendi rationem ſervaverim, ut unico veluti perſpiciatur obtutu; breviter humaniſſime lector, accipere ne graveris.

Principio autem ſcias oportet, Opuſculum iſtud in hac ſecunda editione condecoratum ſapientiſſimis Eminentiſſimi noſtri Commiſſarii reſponſionibus, ac declarationibus in lucem prodire; qua quidem re nihil optabilius, atque communibus utilitatibus commodius poterat contingere; inde enim profecto fiet, ut audita Paſtoris noſtri voce, & Apoſtolico judicio Bullæ noſtræ S. Cruciatæ Commiſſarii deſignati, omnes unanimes idipſum ſentiamus, neque ſint inter nos ſchiſmata, aut diſcrepantium opinionum diſſidia, dum unuſquiſque noſtrum contenderet Bullæ noſtræ conceſſiones in ſuam opinionem pertrahere, eaſque, prout ſuo ſediſſet arbitrio, interpretari. Has itaque reſponſiones, ac declarationes, quas publici juris per nos fieri voluit Eminentiſſimus noſter Commiſſarius, ac noſtro huic Opuſculo velut decus quoddam, & ornamentum affigi Appendice I. § I. in

hiſce Additamentis comprehenſas offendes, atque invenies Erudite Lector; quibus etiam paſſim, prout res poſtulabat majoris claritatis gratia adjectæ fuere quædam illuſtrationes; imo earumdem ope aliquot controverſiunculas rejectis probabilitatibus quorumdam Theologorum diverſa opinantium, certius atque ſecurius definivimus. Uti ſuis locis indicatum occurrit.

Ejuſdem vero Appendicis §. II. præmiſimus quæſtionem de auctoritate noſtri Commiſſarii circa Bullæ noſtræ interpretationem, ſive declarationem; hanc enim quæſtionem expendere, ac definire maximi referebat, cum inde petenda ſit, uti patet, deciſio omnium controverſiarum, quæ inter nos hoc in genere jactari ſolebant. Præterea, cum poſt editum in lucem laudatum noſtrum Opuſculum, novæ ſubinde propoſitæ fuerint difficultates, noſtræ aliquot ſententiæ in dubium a quibuſdam fuiſſent revocatæ, illas ibi pro modulo definitas, aut defenſitatas deprehendes; & ubi acceſſerit auctoritas noſtri Eminentiſſimi Commiſſarii aliquid pro noſtra ſententia definientis, illam opportune indicare, aut adducere non prætermiſimus. Cum autem nuperrime laudatiſſimus quidam Theologus in libello, cui titulus (*Luce fra le tenebre*) peculiarem Diſſertationem edidiſſet in Bullam S. Cruciatæ noſtro huic regno conceſſam, ac de noſtro Opuſculo per-honorifice mentio-

tionem injeciſſet, ac noſtris propoſitis ſententiis ferme ſemper adhæſiſſet, in duobus tamen a nobis ſe diſcrepare oſtendit; quænam vero iſta fuerint, in quibus a nobis receſſerit Cl. Auctor inibi indicavimus, jure ne, an injuria ſtudia in contraria ſententiarum abierit, pro virili expendimus. Et quoniam idem Cl. Auctor litteris identidem ad nos transmiſſis complura doctrinæ capita in laud. Opuſculo comprehenſa a veritatis tramite veluti aberrantia pluribus adductis argumentis oſtendere conatus eſt, iis data nunc opportunitate diſcuſſis, quamquam idem ferme præſtiteramus litteris ejuſdem reſpondendo, a veritatis ſemita minime aberrantia comprobavimus; imo & illa tuto ad praxim reduci poſſe ſuo oraculo Eminentiſſimum noſtrum Commiſſarium declaraſſe ibidem teſtati ſumus.

Demum cum in priori editione hujuſce noſtri Opuſculi adhæſerimus quibuſdam peculiaribus noſtris ſententiis, nec ab illis divelli potuerimus, nec etiam propoſita auctoritate, atque contrariis Eminentiſſimi noſtri Commiſſarii declarationibus, in hac tamen ſecunda editione, rebus accuratius diſcuſſis, ſatius eſſe duximus hoc in genere ſectari auctoritatem, declarationes, atque ſententias noſtri Eminentiſſimi Commiſſarii, quem omnes hac in re ſuſpicere debemus non ſolum veluti magiſtrum, ac doctorem, verum etiam veluti legitimum interpretem Apo-

 ſto-

ſtolico judicio nobis adſignatùm ad declarandam mentem, ac ſenſa hujuſce Pontificiæ Conſtitutionis; eo vel maxime, quod omnibus ſedulo expenſis nobis perſpectum fuerit Eminentiſſimi noſtri Commiſſarii declarationes, ac ſententias non contemnendis inniti rationibus, quas ſuis locis indicare non prætermiſimus. Quare nihil tibi mirandum erit, prudens Lector, ſi hic aliquot ſententias, quas in priori editione ſectandas propoſueramus, retractatas invenies, imo quisquis ſapiet, hoc noſtram in laudem redundare non inficiabitur; cum id non temeritati, aut aſſentandi libidini, ſed docilitati, ac unice veritatis ſtudio ſit adſcribendum.

Huic porro Appendici alteram ſubtexere ſtuduimus non minus neceſſariam, nedum utilem, in qua fuſius pertractatum a nobis fuit de Cruce-ſignatorum Expeditionibus variis diverſo tempore vicibus. Sane hoc argumentum in hoc noſtro Opuſculo, quod totum verſatur in explanandis conceſſionibus nobis factis per Bullam S. Cruciatæ, prætermittendum non erat, quod & digniſſimum lectu eſt, atque ex ejuſdem lectione inſignes utilitates redundabunt in pios, aeque ac eruditos lectores. Etenim iſtiuſmodi argumenti pertractatio, dum vetuſtiſſimam originem hujuſmodi conceſſionum exhibet, ſimul etiam magis ac magis pietatem inflammat, Fidem confirmat, dum propriis veluti oculis inſpectentur tot ſuper-

perbi Duces, illuſtres Reges, ac ſupremi Imperatores, non indecoro pulvere ſordidi, tanta religione, ac pietatis ſtudio erga loca illa ſanctiſſimis noſtræ Religionis myſteriis condecorata affici, ut nihil carius, aut antiquius habuerint, quam venerabundos adorare, atque ex exoſculari veſtigia pedum noſtri Redemtoris Chriſti; adeo ut, nec illos vel leviter perterrefaceret aut Barbarorum hoſtilis furor, non periculorum magnitudo, nec expenſarum moles ſane immenſa.

Præterea iſthæc hiſtorica narratio Expeditionum Cruce-ſignatorum illuſtre, atque invictum argumentum exhibet Eccleſiaſtico dogmati de veritate Indulgentiarum magis confirmando, quod licet apertiſſimis Sacrarum litterarum oraculis, ac perpetua traditione ab ipſis Eccleſiæ ſincunabulis deducta comprobetur, noviſſimis hiſce temporibus ſuo peſtilentiſſimo ore allatrare auſus eſt peſſimus ille veterator Lutherus. Equis enim, niſi plane orbatus ſit oculis, ac ſenſu, id non clare perſpiciat, cum videat Catholicam Chriſti Eccleſiam ſuos recludere ac reſervare ſpirituales theſauros ad erogandos hujuſmodi Indulgentiarum fructus, ut iſtarum pollicitationibus allicerentur Fideles ad tam arduum, ac laudabile opus capeſſendum, quale erat ereptio Hieroſolymorum e foediſſimo Saracenorum jugo, ac dum comperiet tanto in pretio Indulgentias habitas a Fidelibus, ut ad illas lucrifaciendas

das nullis neque laboribus parcerent, neque periculis, imo vitam ipſam ſummum indiſcrimen adducere non dubitarent?

Sed quoniam ſacra Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumenta non ſolum confirmandis Religionis noſtræ dogmatibus plurimum ſolent conferre; verum etiam ad illuſtrandas, atque enucleandas Eccleſiaſticas Leges, quæ ſuorum temporum, quibus ſancitæ fuere, mores, ac conſuetudinem reſpiciebant, nimium quantum valent, prædicta Hiſtorica narratione, quæ tota continetur §. I. hujuſce II. Appendicis, uſi fuimus ad illuſtrandos, atque explanandos difficiliores quoſdam Eccleſiaſticos Canones, in quibus agebatur de hujuſmodi voto peregrinationis, quod tunc temporis frequentiſſimum erat, in ſubſidium Terræ Hieroſolymitanæ.

Quare §. II. hujuſce II. Appendicis occurrent tibi, Amice Lector, Decretales Epiſtolæ ſummorum Pontificium de hujuſmodi Voto Hieroſolymitano edifferentes ſuarum ætatum hiſtoria, quæ eſt, ut ajebat Romanus Orator, temporum teſtis, lux veritatis, illuſtratæ, brevibus, atque utilibus adjectis commentariolis, quo perſpecta ratione, unde pendebat reſolutio illorum caſuum, qui Romanis Pontificibus proponebantur, utilius, ac ſecurius in rem noſtram, atque in occurrentes difficultates illæ derivari poſſent. Adjunximus præterea quæſtiones Canonico-morales de Voto, ejuſque relaxatione, prout

quæ-

quæque Decretalis expoſcebat ad plenio rem ſui notitiam; nec deſunt novæ etiam quæſtiones reſpicientes facultates Bullæ noſtræ Cruciatæ, quæ illarum occaſione diſcuſſæ, ac reſolutæ proponuntur. Hæc ſane pars eſt veluti quoddam ſupplementum ad tractationem de Voto, de quo egimus in noſtra Diſſertatione; ubi plura, quæ illic prætermiſſa videbantur, hic opportune adducta expediuntur. Atque inde eſt, quod quædam Decretales, licet Votum Hieroſolymitanum minime reſpicientes, hic adducuntur etiam atque illuſtrantur; propterea quod illarum reſolutio plurimum conferebat ad prædictam tractationem de Voto, quæ quo plenior erit, ac cumulatior, eo ſecurior, ac rectior nobis via paratur ad rectum uſum hujuſmodi facultatis per Bullam nobis conceſſæ.

Demum, licet in priori editione laud. noſtri Opuſculi ſæpius rogati fuerimus, ut exemplaria noſtræ Bullæ Latina ad noſtrum Sereniſſimum Regem de conceſſionibus Cruciatæ S. tranſmiſſa edi curaremus, ac noſtro laud. Opuſculo adtexi; monitis tamen, atque iteratis precibus amicorum minime obtemperavimus, arbitrati id ſatis futurum, ſi formulæ tantummodo, quibus facultates, & privilegia nobis conceſſa continebantur, adducerentur; at poſtea cum re melius perpenſa, ſatius eſſe perſpexerimus, atque utilius multo lectoribus, ſi integra exemplaria

utriuſque Bullæ heic exſcripta omnium ob oculos proponerentur, morem geſſimus alienis monitis; ut quiſque illorum ope per ſe difficultates, quæ hoc in genere in dies occurrunt, extricare, ac definire poſſet.

Hiſce itaque præmonitis, nihil eſt, Amice Lector, quod te diutius detineam. Si quid igitur in hoc noſtro Opuſculo levidenſi, craſſo filo deducto boni tibi occurrat, Deo, qui Pater luminum eſt, gratias age, meque ipſi commenda; ſi qua vero in parte per me peccatum fuerit, humanam conditionem excuſans illud ei quæſo condona. Vale.

EXEM-

EXEMPLARIA UTRIUSQUE
BULLÆ CRUCIATÆ S.

HIc primo adtexi nobis viſum fuit, atque exhiberi fidelibus Lectorum oculis exemplaria utriuſque Bullæ Latinæ, quas pro conceſſione, atque extenſione privilegiorum Cruciatæ S. ad Regem noſtrum Ferdinandum P. F. A. quem Deus nobis diutiſſime ſoſpitet, ac, fortunet, tranſmiſit SS. Pius VI. Pontifex M. Exemplar Primæ Bullæ pro conceſſione Cruciatæ exſcripſimus ex alio conſimili a viro nobis amiciſſimo, atque Eximio Theologo nobis commodato. Secundæ vero Bullæ exemplar pro extenſione Privilegiorum Cruciatæ S. ex ipſo Archivio Cruciatæ excerptum, atque exſcriptum fuit curante Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Canonico Secretario. Imo prædicta Exemplaria, ut omnis etiam erroris ſuſpicio inde eliminaretur, cum aliis earumdem Bullarum Exemplaribus emendatioribus, quæ habere potuimus, ea, quæ par erat, diligentia, contulimus; ne quid incuriæ; Piis, itidem, ac Eruditis Lectoribus fraudi unquam eſſe poſſet.

EXEMPLAR I. BULLÆ

PIUS PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Catholicæ Eccleſiæ per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, quamvis nullis noſtris meritis præſidentes, illud præcipue inter cetera Apoſtolicæ procurationis noſtræ munera ſtudioſius curare omnino debemus, ne Chriſtifidelium Animæ pretioſo Salvatoris noſtri ſanguine redemptæ apud Barbaras, & in poteſtate tenebrarum jacentes Nationes incidant, neve præter corporis afflictiones, quod Nos gravius urget, in diſcrimen deferendæ Religionis traducantur. Quocirca Apoſtolicæ auctoritatis noſtræ partes in re hac nunquam deſiderari patimur, ſed eas libenter interponimus, ſicuti omnibus mature perpenſis in Domino magis expedire arbitramur. Sane pro parte Cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Utriuſque Siciliæ Regis Illuſtris, expoſitum Nobis fuit, quod infenſi Chriſtiani nominis hoſtes Pyratæ ac Prædones, diebus quoque noſtris ſuis incurſionibus utriuſque Regni prædicti littora ag-

aggrediuntur ; ut inde Chriſtifideles ibidem exſiſtentes captivos reddant, non ſine evidenti periculo ſuarum Animarum. Quamvis autem idem Ferdinandus Rex munitiſſimas, naves, quibus eorum impetus retundi poſſent, propriis ſumptibus parare indeſinenter curaverit, ſui tamen Regii aerarii vires impares prorſus agnoſcit ad repellendas, & propulſandas tot Barbarorum incurſiones, niſi ei aliquod congruum ſubſidium Apoſtolica noſtra auctoritate prompte feratur ; & ſicuti eadem petitio ſubjungebat, ſi ſaltem infraſcripta privilegia, & indulta univerſis Chriſtifidelibus in dictis Regnis commorantibus, & antedicti Regis ſubditis tantum ut infra concederentur, & impertirentur, ex hoc profecto Chriſtifideles ejuſmodi ſpe aſſecutionis ſpiritualium bonorum permoti, ad Elemoſynas communi Regio Aerario prædicto conferendas allicerentur, & adducerentur. Quare ejuſdem Ferdinandi Regis nomine Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus in præmiſſis opportune conſulere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piis ipſius Ferdinandi Regis votis quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præſentibus noſtris Apoſtolicis literis, ac omnibus, & ſingulis facultatibus indultis, & gratiis in eis contentis ad *ſexennium* a die primae publicationis præſentium, ut infra faciendæ, inchoandum,

& non

& non amplius, nec ulterius valituris, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus in Regnis præfatis commorantibus, & ad illa declinantibus, non tamen iis, qui Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Inferiores Prælati, nec non cujusvis Regularis Ordinis Profeſſores, & quoad Eccleſiaſticos Seculares, qui ad ſacrum Preſbyteratus Ordinem promoti, reſpective ſint, ac fuerint, niſi hujuſmodi Archiepiſcopi, Epiſcopi Prælati, aliique Eccleſiaſtici Regulares, & Presbyteri Seculares ſexageſimum ætatis annum compleverint; ut ipſi dummodo intra annum a die publicationis earumdem præſentium in locis prædictorum Regnorum, ubi libuerit faciendæ, aliquam eleemoſinam ad Naves ab ipſo Ferdinando Rege contra Turcas, & Infideles hujuſmodi parandas, & non in alias etiam pios uſus convertendam juxta cujuſque facultatem, & qualitatem, ad arbitrium infraſcripti Commiſſarii, ſponte contulerint, ſervata tamen certa illius portione fabricæ noſtræ Eccleſiæ Principis Apoſtolorum applicanda, privilegio veſcendi omnibus tam Dominicis, quam ferialibus diebus Quadrageſimæ, etiam Dominica in Palmis, & per Hebdamada Majorem nuncupatam, Ovis, & lacticiniis, ſervatis tamen in ſingulis feriis jejunii legibus, & unica tantum comeſtione in die, uti libere, & licite poſſint, ac valeant, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indul-

ge-

gemur. Nec non Chriſtifidelibus prædictis, ut diſpenſari poſſint ſuper votis ſimplicibus per eos emiſſis, in alia pia opera rite commutandis, exceptis tamen votis ſolemnibus Religionis, & Caſtitatis; facultatemque præterea ut ipſi bis in toto eorum vitæ decurſu, ac etiam in mortis articulo valeant ſeligere ſibi Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario loci, qui eos a peccatis Sedi tantum Apoſtolicæ, non autem Ordinariis locorum reſpective reſervatis, niſi eorumdem Ordinariorum licentia accedat, abſolvere libere pariter, ac licite poſſit, Auctoritate, & tenore præfatis tribuimus, & impertimur. Atque inſuper de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, eiſdem Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, ut ipſi de cetero perpetuis futuris temporibus de omnibus, & ſingulis Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, ac poenitentiarum relaxationibus, quibuſvis Confraternitatibus, Sodalitatibus, & Congregationibus in dictis Regnis exſiſtentibus alias jam per Sedem Apoſtolicam conceſſis, veluti ſi illarum eſſent Confratres, & reſpective Conſorores, illisque perſonaliter reperirentur adſcripti, ſeu adſcriptæ, atque eædem Indulgentiæ, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes, ut etiam Animabus Chriſtifidelium Defunctorum, quæ Deo in Caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum

dum ſuffragii applicari poſſint, plene, & libere fruantur, Auctoritate, & tenore ſimilibus concedimus itidem, ac indulgemus. Et inſuper Chriſtifidelibus prædictis in ſingulis diebus Stationum Almae Urbis noſtræ, quinque Eccleſias, ſeu Altaria, aut in illorum defectu quinquies unum, & idem Altare: Monialibus vero cujuſvis Ordinis, & Inſtituti Regularis exſiſtentibus, ac in aetate prædicta conſtitutis, nec non Mulieribus, & puellis in quibuſvis Monaſteriis, & reſpective Conſervatoriis degentibus, ſi forte Eccleſias non habuerint, Capellas ab earum legitimis Superioribus deſignandas devote viſitantibus, & in eis pias ad Deum preces pro Chriſtianorum Principum concordia, haereſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione effundentibus, omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes alias Eccleſiis tam intra, quam extra mænia præfatae Urbis, ad quas dictae ſtationes fixae exſiſtunt, conceſſas, eadem Apoſtolica Auctoritate miſericorditer in Domino concedimus, quas tam pro ſe, quam pro Defunctis, pro quibus viſitaverint conſequi valeant. Atque praemiſſa omnia, excepto tamen privilegio veſcendi ovis, & lacticiniis, Chriſtifidelibus præfatis, etiam extra Regna hujuſmodi commorantibus, ſuffragari debere volumus, & declaramus. Demum ut præſentes litteræ plenum ſortiantur effectum, & facultates,

lar-

largitiones, ac Indulgentiæ, aliaque præmiſſa debitae executioni demandentur, in præcipuum Executorem, & Commiſſarium earumdem præſentium, vel Venerabilem Fratrem Archiepiſcopum pro tempore Neapolitanum, vel Archiepiſcopum pro tempore Capuanum, arbitrio noſtro præligendum; ita ut unus ex dictis, præſentes etiam in vernaculam linguam convertere, ſeu in compendium, convenienti edito proœmio reducere, illaſque, & in eis contenta præfata, aut compendium hujuſmodi in quibuslibet dictorum Regnorum locis ubi magis libuerit, viva voce, vel ſcriptis, aut Typis impreſſis exemplis, publicare, & enunciare, ac Eleemoſynas in cauſam prefatam, ut præfertur, contribuendas ad ſui arbitrium juxta opes, & facultates, & qualitates perſonarum contribuentium determinare, ac definire, atque omnia, & ſingula alia, quæ faciliori, ut expeditiori executioni earumdem præſentium conferre viſa fuerint, peragere, ut ulterius Depoſitarium; Ratiocinatorem, alioſque ſimiles Officiales ab ipſo Ferdinando Rege pro tempore approbandos ſeligere quoque poſſit, & valeat eadem Apoſtolica Auctoritate conſtitutimus, & deputamus. Volumus præterea, quod præfatus Executor, ſeu Commiſſarius præſentium litterarum annuum proventum Eleemoſynarum a Chriſtifidelium pietate in memoratos uſus erogandarum Nobis referat, ut illorum portionis quantitatem favo-

vore noſtræ Eccleſiæ ſancti Petri conſtituamus, proportionate ad quantitatem introitus, quæ annuatim præfatæ Fabricæ ſolvitur pro alia Cruciata Regni Siciliæ ultra Pharum. Non obſtantibus noſtræ & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad inſtar. . . . . , aliiſque etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, & Univerſalibus Conciliis editis, vel edendis, ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quibuſvis ſuſpenſionibus, vel limitationibus ſimilium conceſſionum, & facultatum per Nos, & Sedem præfatam quomodolibet factis, necnon quoque quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet confirmatis, & innovatis Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio facienda, & habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret; eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & infererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haben-

tes

tes, illis alias in ſuo robore permanſuris, latiſſime, & pleniſſime, ac ſpecialiter, & expreſſe harum ſerie derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod omnes, & quæcumque eleemoſinæ a quibuſvis perſonis quandocumque, & quomodocumque, ut præfertur, contribuendæ, in ſupra expreſſam cauſam tantum impendantur, & non in alios etiam pios uſus, ſub pœna caducitatis, & ceſſationis omnium, & ſingulorum Privilegiorum, ac conceſſionum præfatarum, diſtrahantur, & convertantur. Præterea etiam volumus quod earumdem præſentium tranſumptis, etiam Typis impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi illæ exhibitæ forent, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXI. Novembris MDCCLXXVII.

Pontificatus . . . . . . Noſtri . . . . .
Anno . . . . . Tertio

I. Card.· de Comitibus. &c.

EXEMPLAR II. BULLÆ

PIUS PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Quamvis Paſtoralis officii Nobis divinitus injuncti ſollicitudo, qua aſſidue urgemur, Nos admoneat, ut omni cura, & vigilantia in ea intendamus, per quæ Eccleſiæ diſciplina juxta Sacrorum Canonum Sanctiones illibata perſiſtat, inter eos præſertim, qui in ſortem Domini tamquam Aaron vocati, vel uti ſimplices Sacerdotes in Eccleſia Dei miniſtrant, vel uti Paſtores ad paſcendum Dominicum Gregem in Apoſtolici noſtri miniſterii partem adſciti ſunt Cooperatores, Quoniam nihil eſt, quod alias magis ad pietatem, & Dei cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vita, & exemplum, qui ſe Divino miniſterio dedicarunt. Cum enim a rebus ſeculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tamquam ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt, quod imitentur: nihilominus, cum pro rerum, temporum, ac locorum varietate, & conditione inter ipſos Eccleſiaſticos illa

la in priſtino ſuo robore permanere nequeat, ea, quæ Nobis a Deo data eſt, poteſtate, eam interdum immutamus, prout magis expedire in Domino conſpicimus. Itaque, cum inter plures plures gratias ſpirituales, & temporales alias a Nobis ad ſexennium, & non amplius per Literas in ſimili forma Brevis die XIII. Novembris anni MDCCLXXVII. expeditas Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Ferdinandi utriuſque Siciliæ, & Hieruſalem Regis Illuſtris votis annuendo, ex cauſis tunc expreſſis conceſſas, indultum quoque fuerit omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus in Regnis prædictis commorantibus, & ad illa declinantibus, qui certa munera adimpleviſſent, non tamen iis, qui Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Inferiores Prælati, nec non cujuſvis Ordinis Regularis Profeſſores, &, quoad Eccleſiaſticos Seculares, qui ad Sacrum Presbyteratus Ordinem promoti reſpective eſſent, ac fuiſſent, niſi hujuſmodi Archiepiſcopi, Epiſcopi, Inferiores Prælati, aliique Eccleſiaſtici Regulares, ac Presbyteri Seculares ſexageſimum ætatis annum compleviſſent, ut ipſi privilegio veſcendi omnibus tam Dominicis, quam ferialibus diebus Quadrageſimæ, etiam Dominica in Palmis, & per Hebdomadam Majorem nuncupatam ovis, & lacticiniis, ſervatis tamen in ſingulis feriis jejunii legibus, & unica tantum comeſtione in die, uti li-

ut

bere, ac licite poſſent, & valerent, prout uberius in dictis Literis deſuper expeditis, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo, & inſerto haberi volumus, continetur. Nuper vero cum pro parte memorati Ferdinandi Regis iterum ſupplicatum fuerit, ut gratias ſpirituales, & temporales, ac indultum hujuſmodi ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, Inferiores Prælatos, alioſque Eccleſiaſticos extendere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piis ipſius Ferdinandi Regis votis, ac ſpirituali conſolationi Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, aliorumque Inferiorum Prælatorum, & Presbyterorum Secularium prædictorum tantum conſulere, &, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, ac eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exſiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Inferioribus Prelatis, necnon Presbyteris Secularibus prædictis tantum ad ſexennium a die publicationis memorati primi Brevis, ſervatis tamen in prædictis noſtris Literis

tunc

tunc expreſſis conditionibus, ac legibus, ut ipſi gratiis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, ac Quadrageſimali tempore, Hebdomada tamen Majori excepta, ovis ſimiliter, & lacticiniis pro eorum libitu uti libere, ac licite poſſint, & valeant eadem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Ac in præcipuum Executorem, ſeu Commiſſarium earumdem præſentium, vel venerabilem Fratrem Archiepiſcopum pro tempore Napolitanum, vel Archiepiſcopum pro tempore Capuanum arbitrio noſtro præeligendum eadem auctoritate, & tenore præſentium conſtituimus, & deputamus. Volentes demum, quod licet in memoratis noſtris Literis privilegium veſcendi ovis, & lacticiniis prædictum omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, exceptis tamen perſonis in iiſdem Literis expreſſis, ad Quadrageſimale duntaxat tempus verbo tenus conceſſum legatur, nihilominus in eo omnes totius anni Vigilias eſſe comprehenſas, prout tenore præſentium comprænendi decernimus, ac declaramus, & ſervatis in reliquis jejunii Eccleſiaſtica forma. Decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Literis prædictis, & omnibus, ac ſingulis illis, quæ in eis conceſſa ſunt, non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Da-

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX. Novembris MDCCLXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno IV. I. Gardin: de Comitibus.

Extracta eſt præſens Copia ex ſuo proprio Originali in Archivio S. Cruciate ſiſtente, cum quo, facta collatione, concordat, meliori ſemper ſalva, & in fidem &c. Datum Neapoli die II. Maii MDCCLXXXVI.

Franciſcus Xaverius Cautillus Actorum Mag. int.

AP-

APPENDIX I.

Ubi referuntur varia dubia enata circa uſum Conceſſionum Noſtrae Bullae S. Cruciatae, ac Noſtro Eminentiſſimo Archiepiſcopo Apoſtol. Sedis Privilegio Commiſſario Ejuſdem Bullae propoſita, ab eoque ſapientiſſimis Reſponſionibus reſoluta.

Quibus etiam accedunt quorumdam aliorum Dubiorum reſolutiones per Nos itendidem factae non ſine auctoritate, & Oraculo ejuſdem Eminentiſſimi Commiſſarii, quem Deus diu ſoſpitet, ac fortunet.

§. I.

SUmmo bono noſtro, ac publico Supremi Sacrorum in hac noſtra Neapolitana Civitate Antiſtitis, ac S. Cruciatæ Commiſſarii vigilantia id etiam providit, quod maxime erat omnium in votis, ut ſapientiſſimæ reſponſiones per ipſum adhibitæ ad varios extricandos difficultatum nodos pertinentes ad rectum uſum privilegiorum Bullæ S. Cruciatæ pe-

publici juris fierent ; ne forte illæ in loculis, ac tabulariis immerito deliteſcentes iis tantummodo profuiſſent, qui ad ipſum acceſſere de propoſitis quæſtionibus reſponſa petituri. Quapropter ſtatim ac audivit Paſtor noſter vigilantiſſimus me adlaborare in hac ſecunda editione hujuſce opellae, ſive elucubratiunculæ in Bullam S. Cruciatæ adornanda, pro ſua auctoritate me juſſit, hujuſmodi reſponſiones ab ipſo variis temporibus datas, atque in unm collectas accipere, eaſque hic inſerendas curare. Quod quidem eo ſapientiſſimo conſilio a noſtro vigilantiſſimo Paſtore factum juſſumque fuit, tum ut gregi ſuo amatiſſimo, cui coeleſti prorſus conſilio Paſtor præpoſitus fuit, potiſſimum emolumento eſſent illæ ſuæ ſapientiſſimæ reſponſiones (cum exteris hominibus, qui ad ipſum acceſſere prout res poſtu labat datæ fuiſſent) tum etiam, ut audita voce noſtri Paſtoris, atque Apoſtolici Commiſſarii hujuſce noſtræ Bullæ, omnes conticeſcerent, atque innumeris controverſiis, quæ numquam hac in re, ut ferme in omnibus, defuere, modus tandem imponeretur. Iſtas itaque, amice, atque erudite Lector ſapientiſſimas reſponſiones hic ordine digeſtas atque latinitate donatas, ita tamen ut illarum perſpicuitati ne minimum quidem detractum eſſet, in hac Prima Appendice tibi exhibemus.

At tu iſta excipiens, ea qua par eſt, obſervantia, atque animi demiſſione relegere

gere ſtudeas; ſunt enim ſapientiſſimi Paſtoris noſtri, cui etiam in B. Petro dictum a Domino fuit: *Paſce oves meas*, ſapientiſſima documenta, imo fas erit dicere, veluti quædam authenticæ hujuſce noſtræ Bullæ interpretationes, cum ipſe Apoſtolica auctoritate deſignatus fuerit Commiſſarius, atque Interpres ejuſdem Bullæ S. Cruciatæ.

Dubium I.

N. N. ad Sacram Pœnitentiariam recurrerat reſolutionem petens quorumdam dubiorum pertinentium ad privilegium utendi larido (vulgo *ſtrutto*) aut adipe ſingulis anni diebus ad condiendas dapes, ſive cibos. A Sacra Pœnitentiaria remiſſa fuit ſupplicatio, ſive Recurſus ad Eminentiſſimum Archiepiſcopum Neapolitanum Commiſſarium Generalem Apoſtolicum Bullæ S. Cruciatæ a quo hujuſmodi prodiere reſponſiones.

Reſp. I. Laridum (quod vulgo *ſtrutto* dici ſolet) non continetur ſub ſpecie carnis; proindeque eo uti quiſque poterit omnibus vigiliarum diebus, Jejuniorum Quatuor Temporum, atque Quadrageſimalibus diebus, cum adhibeatur ad uſum meri, ac ſimplicis condimenti. Quod profecto eſt intelligendum de recipientibus Bullam S. Cruciatæ, de quibus tantummodo loquitur Eminentiſſimus noſter Commiſſarius.

II. Licet aliquis potiatur, ſive fruatur privilegio Bullæ S. Cruciatæ, nemini dubium eſſe poteſt, quin ipſe teneatur ad

obſervandam Epiſtolam Encyclicam Benedicti XIV. (quæ incipit *Non ambigimus* edita anno 1741. quæq: magis confirmatur, atque explicatur per aliam conſimilem, cujus initium eſt. *In Suprema* editam eodem anno 1741.) ad obſervandam inquam Epiſtolam Encyclicam Benedicti XIV. in eo præſertim, quod in illa præcipitur relate ad jejunium.

III. Quapropter hinc neceſſario colligitur; conſequenter in Collatiuncula ſerotina inde excludi quodcumque genus lacticiniorum; atque utendum eſſe dumtaxat illis cibis, quos homines meticuloſæ conſcientiæ adhibere ſolent illis diebus jejuniorum.

IV. Qui Bullam S. Cruciatæ ſibi recepit, poterit veſci dapibus cibiſque larido (*ſtrutto*) conditis, perinde ac oleo.

V. Demum ille, qui diſpenſatus fuerit a prædicta jejunii lege aut propter aetatem, aut propter male affectæ valetudinis incommoda, qua ratione in hiſce omnibus ſeſe gerere debeat, perdiſcere poterit ab ipſo Confeſſario, & Medico.

Ut autem pernoſcere poſſit eruditus Lector allatas reſponſiones quam veritatis, ac debitæ juſtitiæ nota præfulgeant, & quantopere ſint illis conformes, non gravabitur percurrere, aut in memoriam reducere, quæ per nos dicta fuere III. *Part. Diſſerta:, in Bull. S. Cruciat. Qu.* VIII. IX. & X. Ubi graviſſima etiam rationum momenta quibus hæc omnia, quæ hacte-

nus adducta fuere, innituntur, abunde patebunt.

Dubium II.

Quidam Vice-commiſſarius ejuſdem Bullæ per litteras quæſivit, atque ſtuduit edoceri a noſtro Eminentiſſimo Commiſſario de vulgatiſſima illa quæſtione circa facultatem abſolvendi a Reſervatis per Bullam nobis impertitam; quomodo ſcilicet eſſet intelligendum illud in conceſſione hujuſce facultatis adpoſitum, ut poſſint fideles a Reſervatis Summo Pontifici abſolvi *bis in toto eorum vitæ decurſu, ac etiam in mortis articulo*. Quidam, ajebat laudatus Vice-commiſſarius, quidam enim dictitant hujuſmodi loquendi formulam eſſe intelligendam *in Vita* ipſius Bullæ, intuitu, ac virtute annuæ collationis eleemoſynæ: alii autem contendunt, illos, qui bis ab hujuſmodi reſervatis virtute Bullæ fuiſſent abſoluti (h. e. hujuſmodi privilegio jam fuerant potiti) non poſſe iterum abſolvi, quamvis novam Bullam poſtea recepiſſent; quandoquidem Vitæ decurſus non intra unius tantum anni ſpatia concluditur, ſed plurium annorum. Diſcordantibus itaque hac de re hinc inde Theologorum opinationibus ad Eminentiſſimum Commiſſarium recurſum habuerat laudatus Vice-commiſſarius certiorem ſecurioremque quæritans agendi, ac ſe gerendi rationem; cui hunc in modum reſponſum fuit.

Reſp. Cum in Bullæ noſtræ Cruciatæ

edicitur, ut *bis* in vita aliquis frui poſſit facultate caſuum reſervatorum (h. e. ut ab iſtis per Confeſſarium electum virtute Bullæ abſolvatur) id quidem intelligendum hac ratione erit *bis* quolibet anno perdurante vita ipſius Bullæ, non vero *bis* in toto decurſu vitæ temporalis; modo quolibet anno Bulla iterum recipiatur; quoniam quolibet anno Bullam recipientibus eaedem fucultates, eademque privilegia conceduntur. Secus vero ſi id fieri contingat in *Confidentiam Bullæ*.

Hanc interpretationem allatæ formulæ noſtræ Bullæ, utpote conformiorem menti Pontificiæ, ac verbis ejuſdem Bullæ magis conſentaneam & nos ſelegimus, attulimus, edocuimus, atque, uti par erat, novis argumentis communivimus, confirmavimus. Adeat Lector *laud. Diſſertat. Part. I. §. Ultim. Qu.* 5. Ubi eſt illud recte expeditum occurrit; cujuſmodi ſit illud privilegii, quo per Bullam noſtram donati fuimus, ut in *mortis etiam articulo* a Reſervatis Summo Pontifici abſolvamur; cum in mortis articulo *nulla ſit reſervatio*, juxta notiſſimam Tridentini ſanctionem *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. ſive potius univerſæ traditionis ſenſum.

Dubium III.

Quidem Archipresbyter acceſſerat ad noſtrum Eminentiſſimum Commiſſarium ab eodem exquirens hujuſmodi dubiorum reſolutionem.

I. Quæritur: Num habentibus licentiam

ac

ac facultatem privati Oratorii liceat virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ plures Miſſas in illis facere celebrare, etiam diebus ſolemnioribus; quæ, quidem Miſſæ ſatis futuræ ſint ad Eccleſiaſtici præcepti implementum? Num etiam hujuſmodi privilegium ad conſanguineos illius, qui Bullam recepit, extendatur uſque ad quartum gradum? Ac num etiam poſſint inibi memoratis perſonis Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrari?

II. Quæritur: Num illi, qui excuſati ſint ab obligatione ſervandi Eccleſiaſticum jejunium, aut ratione aetatis, aut ratione laboris, poſſint qualibet diei hora uti, ac veſci lacticiniis, ovis, larido (vulgo *ſtrutto*)? Num diebus Dominicis illi etiam, qui ad Eccleſiaſticum jejunium ſervandum adſtringuntur, poſſint hæc eadem peragere?

III. Quæritur: Num ille, qui *bis* in vita abſolutus fuit a caſibus reſervatis virtute unius Bullæ jam receptæ, poſſit ab iiſdem iterum abſolvi recipiens inſequentibus annis novam Bullam; & ſic deinceps, ſi pergeret recipere Bullam intra legitimum tempus?

IV. Quæritur: Num, ſi in aliquo Oppido, vel Pago variæ exiſtunt Eccleſiæ, quæ pluribus Altaribus ſint condecoratæ, ſed plus, aut minus, quam quinque; num inquam poſſit aliquis præſcriptum opus Viſitationum Altarium in aliqua Eccleſia complere, ubi duo, aut tria tantum ad-

ſint Altaria viſitationes iterando, quo uſque pertingat ad quinque præſcriptas viſitationes quinque Altarium; quamvis poſſet ſe conferre in illam Eccleſiam, ubi quinque Altaria adeſſent?

V. Quæritur: Utrum ille, qui Altare habeat in domo propria, ſive in propriæ habitationis aedibus, poſſit inibi præſcriptum quinque viſitationum quinque Altarium opus complere, viſitando quinquies unum idemque prædictum Altare?

VI. Quæritur: Utrum in complendo præſcriptum opus viſitationum, ſufficiat tantummodo orare juxta intentionem Summi Pontificis?

VII. Demum quæritur: Num Sacerdos, qui privilegio frueretur carnes comedendi, propterea quod militem domi habeat, poſſit recipere Bullam illam, quæ *Minor* dici ſolet, pro qua ſcilicet recipienda eroganda ſit eleemoſyna tantum aſſium 13. atque ita frui Indulgentiarum emolumentis, quæ ab aliis Bullam recipientibus percipiuntur?

Reſp. Ad I. Negative omnes ſcilicet, qui privati Oratorii privilegio potiuntur, non poſſe virtute Bullæ plures Miſſas in eo celebrare facere, nec ſolemnioribus, nec etiam ceteris diebus, nec pro conſanguineis uſque ad quartum gradum, nec memoratis perſonis Sacramenta inibi miniſtrare.

Atque hic colligendum patet diſcrimen inter Bullam noſtram aliaſque conceſſas pro

pro aliis regionibus, ac præſertim pro Regnis Hiſpaniarum. In iſtis enim, ac præſertim in Bulla Hiſpanica, datur facultas, ut Miſſa, & alia divina Officia celebrentur, etiam tempore interdicti in Oratorio privato, ut ibi Euchariſtica, & alia Sacramenta recipi poſſint, ut plures Miſſæ celebrentur etiam Feſtis ſolemnioribus, atque in præſentia etiam familiarium, domeſticorum, atque conſanguineorum; atque inde obortum dubium propoſitum noſtro Commiſſario. Verum hæc omnia in noſtra Bulla locum non habent; uti rectiſſime decernit noſter Commiſſarius.

Reſp. Ad II. Affirmative. Illi nempe, qui Eccleſiaſtici Jejunii lege non tenentur aut propter ætatem, aut ratione laboris, poſſunt virtute Bullæ qualibet diei hora adhibere lacticinia, ova, laridum; Dominicis autem diebus hoc idem permittitur etiam illis, qui adſtricti ſunt ad legem jejunii.

Reſp. Ad III. Affirmative. Ille nempe, qui *bis* in vita fuerit abſolutus a Caſibus reſervatis virtute Bullæ, poterit iterum ab iiſdem abſolvi novam Bullam recipiendo; atque ita etiam deinceps: *modo hoc non fiat in confidentiam Bullæ*.

Reſp. Ad IV. Iis in locis, aut Oppidis, in quibus plures adſint Eccleſiæ, quinque illarum ſunt viſitandæ; ſi autem quinque non exſiſtant, illæ, quæ forte adſint Eccleſiæ erunt viſitandæ. Deficientibus quinque Altaribus in aliqua Eccleſia, in qua

duo tantum, aut tria adſint Altaria, iterari poterunt viſitationes, donec perveniatur ad quinque præſcriptas, quamvis poſſet aliquis pergere ad illam Eccleſiam, in qua quinque Altaria reperirentur.

Hic autem illud erit animadvertendum: quod hic præſcribitur de viſitatione quinque Eccleſiarum; aut illarum tantummodo, quæ forte reperiuntur in aliquo Oppido, intelligendum eſt in ea hypotheſi, cum quis ad lucrifaciendas Indulgentias per noſtram Bullam promiſſas elegerit potius quinque Eccleſias viſitare, quam quinque Altaria; hoc enim eſt in poteſtate uniuſcujuſque, ut poſſit pro arbitrio alterutrum iſtorum eligere, aut alterutri adhærere; viſitando nempe, aut Eccleſias, aut Altaria, dummodo ad præfinitum numerum quinque viſitationum pertingatur, ut optatum finem Indulgentiarum conſequatur. Id quidem liquido patebit cuivis, qui verba Bullæ noſtræ tum Latinæ, tum Italæ in memoriam revocarit. Qua de re accurate egimus in hac noſtra Diſſertatione in Bullam S. Cruciatæ *Part. II.* §. 3. *Qu.* 15. & Q. 25.

Quod porro hic adjungitur a noſtro Eminentiſſimo Commiſſario de Eccleſia, in qua forte duo tantum, aut tria adſint Altaria, ubi & iterando viſitationes, quinque præſcriptarum opus compleri poſſit; licet etiam eo loci aliæ adſint Eccleſiæ, in qua quinque Altaria reperiantur, nos quo-

quoque luculenter comprobavimus *laud. Part. II.* §. 3. *Qu.* 28.

Reſpond. Ad V. De eo, qui privilegio privati Oratorii fuerit decoratus, aut donatus; illi nempe, qui habet Oratorium privatum, viſitationes per Bullam noſtram præſcriptæ in eodem Oratorio peractae non proderunt ad Indulgentias conſequendas; quando quidem in Eccleſia ſunt faciendæ, non vero domi in privatis Oratoriis. Quod ſi infirmitatis caſus aliquis occurrat, qui ea laborat, conſulat ſuum Confeſſarium, ut ab eodem commutentur opera injuncta.

Poſt editam ac de re ab Eminentiſſimo Commiſſario noſtro declarationem, omnes nos quieſcere oportebit, neque ultra hiſcere, atque deinceps aucupari, aut ſectari Theologorum placita, aut opiniones ab illa alienas; quæ poſt memoratam declarationem quovis probabilitatis pondere deſtitutæ cenſendæ erunt. Quapropter opinionem Ægidii Trullenchi edocentis poſſe virum nobilem in ædibus ſui privati Oratorii præſcriptum viſitationum opus complere, atque hac ratione Stationariis Indulgentiis perfrui, jure meritoque nunc rejicimus, atque inter improbabiles amandamus; licet olim eam ipſam veluti probabilem propoſuiſſe viſi ſumus. Vide quæ dicta fuere in memorata noſtra Diſſertatione *Part. II.* §. 3. *Qu.* 26.

Reſp. Ad VI. Deprecationibus facien dis juxta præſcriptum noſtræ Bullæ, haud ſatis eſſe, ſi orationes effundantur tan-

tummodo ſecundum intentionem Summi Pontificis, ſed Deum eſſe exorandum pro pace, atque concordia Principum Chriſtianorum, pro extirpatione hæreſum, atque Ethinicarum ſuperſtionum, pro exaltatione Sanctæ Fidei, ac noſtræ Catholicæ Religionis.

Hinc licet a veritatis ſemita haud longe aberrare videatur, ſententia illorum Theologorum (quorum auctoritas non levis momenti reputatur) qui docent, ac probant; quod cum hujuſmodi precrationes præcipiantur ad conſequendas Indulgentias, ut iiſdem quiſque potiatur, ſatis eſſe, ſi quis in hujuſmodi precibus effundendis habeat intentionem implicitam tantum, & confuſam Deum exorandi pro Chriſtianorum Principum pace &c. quod profecto accideret, ſi quis Deum precaretur juxta Summi Pontificis intentionem, aut idcirco precibus præſcriptis incumberet, ut propoſitis Indulgentiis perfrueretur; hæc inquam ſententia hic apud nos, cum agitur de lucrifaciendis Indulgentiis Stationariis per Bullam noſtræ Cruciatæ propoſitis, locum habere non debet; ſed unuſquiſque noſtrum, qui ad optatos Indulgentiarum fructus propoſitos adſpiret, Deum precetur neceſſe eſt juxta formam ab Eminentiſſimo noſtro Commiſſario indicatam atque præſcriptam. Quod & nos profecto ſat luculenter inſinuavimus, dum omiſſis hiſce probabilitatibus tutioribus eſſe inſiſtendum docuimus, præſertim cum tu-

tutioribus nullo negotio, atque difficultate poſſit inhereri; ut accidit in re noſtra. Vide laud. Diſſertationem. *Part. II.* §. 3. *Qu.* 10.

Reſp. Ad VII. De Sacerdote, qui per Bullam Minorem receptam propoſitis Indulgentiis perfrui velit: docet, atque decernit Commiſſarius noſter unice inſpiciendam eſſe conditionem atque ſtatum ipſius Sacerdotis, quantum ſpectat ad Bullam recipiendam; ut inde dignoſci poſſit an Bulla, quæ *Minor* dici ſolet, ſufficiat, an requiratur *Communis*, ſive ſit conviva cum milite, quem domi habet, ſive non,

Dubium IV.

Quidam Parochus a noſtro Eminentiſſimo Commiſſario quæſierat de diſpenſatione Votorum, quæ *ſimplicia* dicuntur pro illis, qui Bullam S. Cruciatæ recipiunt; etenim cum in eadem Bulla dicatur, quod hujuſmodi *facultas non extendatur ad Vota ſolemnia Caſtitatis, ac Religionis*, poſito quod exceptio facta de Votis ſolemnibus locum non habeat; quoniam cum antecedens regula generalis ſit pro Votis ſimplicibus, poſſet credi prædictam facultatem extendi etiam ad omnia, & quinque ſimplicia Vota Pontifici reſervata.

Reſp. Votum ſolemne illud dicitur, quod publice approbetur, ac perpetuo acceptetur ab Eccleſia. Hujuſmodi autem ſunt Votum Caſtitatis Ordini Sacro adnexum,

& Vo-

& Vota illa, quæ fiunt in Profeſſione Religioſa.

Votum autem ſimplex non Religioſum illud eſt, cui deeſt publica iſthæc ſolemnitas, & privatim fiat, quod & conſequenter poterit virtute Bullæ Commutari; cum igitur hujuſmodi ſint quinque etiam illa Vota a Pontifice reſervata, poſſunt virtute Bullæ commutari.

De hac facultate nobis per Bullam noſtram conceſſa diſpenſandi commutando in votis ſimplicibus fuſius a nobis pertractatum fuit *Diſſert. Laud. Part.* I. toto. §. 2. & 3. ubi & formulam conceſſionis in Bulla noſtra adhibitam accurate expendimus, plurimaſque caſuum ſpecies reſolvere conati pro viribus fuimus praxi ſummopere accomodatas. De voto autem caſtitatis perpetuæ, ac Religionis, aliiſque reſervatis inferius recurret ſermo. *Vid. Qu.* 11. §. 2. hujuſce Appendicis.

Dubium V.

Cum Rector cujuſdam Seminarii quædam dubia propoſuiſſet Eminentiſſimo noſtro Commiſſario, tutioreſque ab eo addiſcere quæſiviſſet agendi rationes circa Filios-familias Bullæ privilegiis frui peroptantes, hunc in modum a laudatiſſimo noſtro Commiſſario reſponſum fuit.

Reſpons. I. Circa Filios perſonarum locupletum (vulgo *Beneſtanti*) qui degunt ſub Patria poteſtate, aut Alumnos conviventes in Seminariis, aut Convictibus, iiſdem diſpertiendæ ſunt Bullæ hujuſmodi, aut

quæ correſpondeant conditioni cujuſque, aut *Nobilitatis*, aut *Nativitatis*, aut *Gradus*, aut *Divitiarum*, aut *Tituli*. Aliter verò poterunt uti Bullis Communibus, aut Minoribus.

II. Cum indicata individua Congregationis, ſive Laici, ſive Clerici votum emiſerint Paupertatis poterunt uti Bullis Communibus, aut Minoribus.

Dubium VI.

Quidam Diſtributor in Bullas diſpertiendas quæſiverat a noſtro Commiſſario, quinam eſſet intelligendus *Nobilis* juxta mentem Bullæ.

Reſp. Nobilem intelligi omnem illum, qui habeat quodcumque Nobilitatis genus, aut ratione ortus, ſive originis (vulgo *Naſcita*) aut ratione gradus, aut ratione divitiarum, juxta communem perſonarum æſtimationem, atque ideam. Quare integrum eſt, ac plane liberum cuicumque, ut juxta dictamen propriæ conſcientiæ illam Bullam accipiat, quæcumque ipſi collibuerit; nec ipſe Diſtributor poſſit cum aliquo contendere, aut diſputare, num illis competat, aut conveniat Bulla illa, quam accipiunt, necne; illos tantummodo admoneat, quod niſi Bulla correſpondeat propriæ uniuſcujuſque conditioni Bullæ privilegiis, atque Indulgentiis non perfruentur.

Ut autem hæc quæ hic decernuntur per Eminentiſſimum noſtrum Commiſſarium de

de Bulla recipienda juxta conditionem atque ſtatum uniuſcujuſque, aliaque his conſimilia, ea, qua par eſt ſubmiſſione excipiantur, atque fideliter ab omnibus executioni demandentur; ſecum enim ferunt periculum nullitatis, & caducitatis Bullæ receptæ ſi aliter fiant; advertat oportet diligens Lector, inter cetera munera, atque officia, quæ Commiſſario noſtro per Apoſtolicam Sedem demandata fuere, illud eſt non minus præcipuum, ut ipſe pro ſuo munere definiat quantitatem eleemoſynæ erogandæ in deſtinatum opus Belli contra Infideles, pro ſuo ipſius arbitrio juxta opes, facultates, ac qualitates perſonarum: Verba Bullæ hic ſubtexam atque adjiciam, ut nullus omnino dubitandi hac de re locus cuipiam relinquatur. De noſtro itaque Commiſſario loquens Pontifex inquit: *Ac eleemoſynas in cauſſam præfatam, ut præfertur, contribuendas ad ſui arbitrium juxta opes, facultates, & qualitates perſonarum contribuentium determinare, ac definire poſſit.* Quare maximopere hortandi atque admonendi ſunt Fideles, ne dum indebitæ, ac ſordidæ parſimoniæ hac in re ſtudentes, Bullas Minores, aut alias non reſpondentes ſuæ conditioni conſectentur. Privilegiis, atque Indulgentiis per Bullam conceſſis vacui, ac carentes, in ſuæ animæ periculum, atque ſpirituale detrimentum, illas recipiunt.

Da-

Dubium VII.

Quidam Bullarum electus Diſtributor exquiſierat a noſtro Eminentiſſimo Commiſſario qua ratione gerere ſeſe deberet cum Uxoribus, ac Filiis hominum locupletum, ac Profeſſoribus, qui Minores Bullas ſibi petebant, ac accipere volebant.

Reſp. Cura, atque officium Diſtributoris illud non eſt, ut in contentionem, controverſiam, ac diſputationem vocet conditionem ac ſtatum, in quo quiſquam verſatur, ſed tantum ut quemlibet admoneat, unicuique præbendam illam eleemoſynam, quæ definita occurrit ſecundam propriam eujuſque, ac peculiarem conditionem (*ſecondo le reſpettive condizioni*) Poſito autem, quod aliter fieri contingeret, perfrui non poſſent Privilegiis, atq: Indulgentiis per Bullam conceſſis.

Ceterum quando quidam ex locupletibus (*Beneſtante*), aut Profeſſor, aut ipſorum Uxores, ac liberi coram Deo reapſe, ac vere pauperes ſunt, uti tales reputentur oportet.; ac ipſe Diſtributor, poſtquam ipſis inſinuaverit, ut conſulerent Conſcientiam propriam, *Minores* Bullas det iiſdem.

Dubium VIII.

Quidam alius Diſtributor, cui decurrente anno 1788. reſcriptum fuerat in hæc ferme verba, ac modum qui ſequitur: *Cum Domus hominum locupletum (Beneſtanti) in hujuſmodi verſantur circum-*

ſtan-

ſtantiis, ut non poſſint ſine notabili incommodo ſuo Bullam Communem recipere pro reliqua ſua Familia, quiſque iſtorum poſt adhibitum conſilium proprii Confeſſarii, poterit uti Bulla Minori.

Hujuſmodi accepto reſponſo iterum in hunc modum excepit memoratus Diſtributor: Quod domus, & familiæ locupletum nolint aperire, ac manifeſtare proprias indigentias conſcientiarum ſuarum Moderatoribus (*a Padri Spirituali*). ceteriſque e Populo *Minores* Bullas accipiendo.

Reſp. Cum prædictæ domus nequeant ſine notabili incommodo recipere Bullam *Communem* pro reliqua ſua Familia, conſulant conſcientiam ſuam, nec aliud ipſis faciendum eſt, ut adipiſcantur ſpiritualia bona, quæ per Bullam impertiuntur; illud tamen animadvertentes, quod caſu quo coram Deo tales non ſint, non poſſint pro arbitrio ſuo recipere Bullas *Minores* loco *Communium*, atque recipiendo *Minores* nihil omnino conſequuntur.

Eadem quoque a Commiſſario noſtro Eminentiſſimo reſcripta fuere ad quemdam Vice-Commiſſarium relate ad Filiosfamiliæ, Uxores Nobilium, hominum Honeſtorum (*Civili*) Opulentorum, (*Beneſtanti*) ac Negotiatorum.

Dubium IX.

Quidam alius Diſtributor quæſivit ab Eminentiſſimo noſtro Commiſſario: Num ad lucrifaciendas Indulgentias præſcriptas in Bulla, ſufficeret ſi aliquis ſeſe collocet in

in medio Eccleſiæ, præfigens ſibi intentionem illas conſequendi, & oculis tantum viſitet quinque Altaria, quin tamen propriis pedibus ſeſe conferat ad unumquodque ipſorum.

Reſp. Ad complendas præſcriptas Viſitationes quinque Altarium cum non ſint quinque Eccleſiæ, quin aliquis ſeſe conferat ſingillatim ad unumquodque illorum, fieri poſſunt prædictae Viſitationes coram uno Altarium, adhibita modica quadam corporis motione, quæ indicet Orationem, ac viſitationem aliorum quatuor Altarium peculiarium.

Ut autem hæc, quae in reſponſione ad propoſitum Dubium per noſtrum Commiſſarium decernuntur, rectius percipiuntur, ac tum faciliori, tum etiam tutiori ratione executioni demandentur, mente revolvat ſtudioſus Lector, quae per nos dicta fuere in ſaepius laud. Diſſertatione P. II. §. 3. *Q.* 22. *&* 23.

Dubium X.

Quæſitum item fuit a noſtro Eminentiſſimo Commiſſario: Num Filii Mercatorum, qui lanificio incumbunt, poſſint frui Bulla *Minori*, cum non poſſit Pater accipere *Communem* pro omnibus.

Reſp. Mercatores in Caſu propoſito, conſulant conſcientiam propriam, & cum verſentur reipſa in ſtatu impotentiæ, poſſint adhibere Bullam *Minorem* pro ſua Familia. Illud tamen animadvertentes, quod caſu quo poſſent accipere *Communem*

nem Bullam, non perfruuntur Privilegiis atque Indulgentiis recipientes *Minorem*.

Dubium XI.

Quæſitum etiam fuit: Num poſſint virtute Bullæ commutari Vota perpetuæ Caſtitatis, atque ingreſſus in Religionem.

Reſp. Semper ac Votum perpetuæ Caſtitatis, atque ingreſſus in Religionem Simplex erit, non Solemne poterit virtute Bullæ commutari.

Itidem quæſitum fuerat a noſtro Commiſſario: I. Num Bullæ privilegio perfruatur Confeſſarius, qui abſolvit complicem in re turpi?

II. Num privilegium abſolvendi a Caſibus Pontifici reſervatis intelligatur pro ſingulis annis, quibus Bulla recipitur nec ne?

Ad I. Reſponſio eſt negativa. Quæ ſane reſponſio intelligenda eſt, uti clarius ex dicendis patebit non ſolum de abſolutione complicis, quam Confeſſarius etiam electus in vim Bullæ S. Cruciatæ, impertiri eidem non poterit; ſed etiam de excommunicatione, quam forte incurrerit Confeſſarius ſuum complicem abſolvendo, a cujus excommunicationis vinculo relaxari num poterit Confeſſarius, nec etiam virtute, ac privilegiis Bullæ ejuſdem Cruciatæ.

Ad II. Reſponſum eſt affirmative: Nimirum pro ſingulis annis, quibus Bulla recipitur, poterit quis abſolvi a Caſibus

Pon-

Pontifici reſervatis; modo id non fiat *in confidentiam Bullæ*.

Dubium XII.

Quæſitum fuit I. Num Sacerdotes Seculares, qui accipiunt Bullam Cruciatæ, & compleverint aetatis ſuæ annum ſexageſimum, poſſint in cibis adhibere lacticinia, atque laridum (vulgo *ſtrutto*) etiam per Majorem Hebdomadam, quemadmodum id permittitur Religioſis Profeſſis cujuſcumqae Inſtituti; quamqam id reticeatur in Bulla Sacerdotum.

II. Num qualiſcumque Miniſter, aut Officialis deſtinatus ad aliquod officium pertinens ad Cruciatam; uti Notarius; Curſor gaudeat immunitate per Bullam conceſſa, & num illam h. e. Bullam accipere ſibi debeat; aut etiam illam non accipiendo perfruatur omnibus & ſingulis conceſſionibus in prædicta Bulla contentis?

Reſp. Ad I. Cum poſt primam conceſſionem Bullæ, alia etiam poſteā obtenta fuiſſet pro Sacerdotibus, cum in eadem reticeatur poſſe ab ipſis Majori etiam Hebdomada perdurante adhiberi lacticinia etiam poſt aetatis annum ſexageſimum; tutius eſt, ut Sacerdotes etiam ſexagenarii conformare ſeſe debeant omnibus, quæ in eadem Bulla præſcribuntur.

Prudentiſſimum ſane reſponſum, quod ut quivis per ſe dignoſcere poſſit, non gravetur oculis percurrere exemplaria utriuſque Bullae tam pro ceteris Chriſti Fideli

libus, quam pro Sacerdotibus, quæ hic etiam, ne quid omnino deeſſet juſtiſſimis Lectorum votis, adtexenda curavimus.

Reſp. Ad II. Omnes Miniſtri, atque Officiales deſtinati ad officium Cruciatæ, uti eſſet Vice-Commiſſarius, Concionator, Diſtributor, Notarius, Curſor cujuſcumq; Terræ, aut Regionis perfruuntur Bulla gratis. At niſi ipſam Bullam ſibi accipiant aut gratis, aut per erogationem definitæ eleemoſynae, nemo perfrui poterit conceſſione Privilegiorum, quæ ſunt eidem adnexa.

Dubium XIII.

Quidam Vice-Commiſſarius exquiſierat a noſtro Commiſſario edoceri: Num Parochus ille, qui abſolutionem fuerit impertitus Perſonæ Complici in peccatis contra ſextum Decalogi præceptum, poſſit vigore Bullæ Cruciatæ abſolvi ab excommunicatione inde contracta.

Reſp. Negative. Quoniam Bulla edita adverſus complicem (Quæ eſt Bulla *Sacramentum Poenitentiae* edita a Pontifice Benedicto XIV.) reſervat hujuſmodi facultatem abſolvendi a memorato crimine, & cenſura adnexa, ipſi Eccleſiæ Capiti; h. e. Romano Pontifici *non obſtantibus quibuſcumque Bullæ etiam Cruciatæ privilegiis*.

Atque hoc idem iterum, ac tertio aliis idem ſciſcitantibus reſcriptum fuit ab eodem Eminentiſſimo noſtro Commiſſario.

Poſt hujuſmodi editam hac de re ab Emi-

Eminentiſſimo Commiſſario, ſæpiuſque iteratam declarationem, maximopere nobis laetandum reor, quod iſtius controverſiæ, quae adhuc ſub judice pendere videbatur, nunc reſecatis quibuſcumq: dubitationibus in apertam lucem prodierit ejus deciſio; in qua profecto omnibus adquieſcendum. Equidem, cum primum animum adpuli meum ad ſcribendum de hoc argumento, hæc mihi arriſerat ſententia, hanc mihi elegeram ſectendam, atque edocendam, quemadmodum Eminentiſſimus noſter Commiſſarius poſtea apertiſſime decrevit; ſed propter alienas dubitationes haud auſus fueram apertius rem definire; ab ea tamen ſententia velut ſaniori, ac tutiori haud temere recedendum præſcripſi; præſertim cum inibi ageretur de juriſdictione requiſita ad validitatem Sacramenti Poenitentiæ. Vide laud. Diſſertat. *Part.* 1. §. *Ult. Q.* 19.

At nunc iteratis noſtri Commiſſarii declarationibus, diſcuſſis quibuſcumque dubitationibus priorem ſententiam, quæ denegat (ut etiam decernit Eminentiſſimus noſter Commiſſarius) Confeſſario electo ex privilegiis Bullæ Cruciatæ facultatem abſolvendi a memorata excommunicatione, quamque initio præoptaveram, uti dixi ambabus ulnis amplector, ſequar, omnibuſq: ſectandam indeſinenter proponam.

Illud etiam in declaratione edita ab Eminentiſſimo Commiſſario maxime erit animadvertendum, quod etiam dubitatio-

nes,

nes, atque argumenta partis oppoſitae funditus evertit; nimirum formulam illam derogatoriam appoſitam in calce Bullæ *Sacramentum Poenitentiæ*: *Non obſtantibus Conſtitutionibus, atque Ordinationibus Apoſtolicis præſertim . . Cruciatæ S.* Formulam inquam non eſſe ſolum referendam ad privationem jurisdictionis ad valide abſolvendum ſuum Complicem, verum etiam ad privationem juriſdictionis in Confeſſario electo virtute Bullæ Cruciatæ ad abſolvendum ab hac excommunicatione contracta propter impertitam Complici abſolutionem.

Num autem iſtiuſmodi abſolutio collata a Confeſſario Complice in peccato turpi valida efficiatur propter bonam fidem Poenitentis, quærit nuperus Theologus in ſuo Opuſculo *Luce fra le tenebre* pag. 7. n. 55. Atque Affirmative reſpondet propter errorem communem, ac titulum coloratum Eccleſia ſupplente juriſdictionem.

Quæ tamen opinio, ſi loqui fas ſit, quæ ſentimus, nobis non probatur. 1. Quia in Bull. *Sacramentum Poenitentiæ* Confeſſario Complici aufertur qualiſcumque poteſtas, ac juriſdictio ad qualemcumq; perſonam ab hujuſmodi culpa, in qua ipſe Confeſſarius ſocius extitit, abſolvendam. Ergo quantum ad hanc rem privatur etiam illa poteſtate, ac juriſdictione, quæ oritur ex errore communi, ac titulo colorato. 2. Si bona fides Poenitentis ad hoc valeret, cum ſaepiſſime, ac

ac fere ſemper occurret hæc bona fides propter ignorantiam hujuſce Eccleſiaſticæ Conſtitutionis in Poenitentibus, nunquam, aut fere nunquam habebit locum pœna laud. Conſtitutionis.

Dubium XIV.

Quidam Vicarius Capitularis requiſierat ab Eminentiſſimo Commiſſario: Num virtute Bullæ Cruciatæ abſque alia facultate poſſit abſolvi publicus Clerici percuſſor?

Reſp. In ſolo foro interno poteſt abſolvi virtute Bullæ Cruciatæ publicus Clerici percuſſor.

Optimum ſane reſponſum. Etenim juxtà Pontificiam Urbani VIII. Conſtitutionem hujuſmodi conceſſiones Cruciatæ S. quantum ad facultatem eligendi Confeſſarium, abſolvendique a peccatis, & cenſuris reſervatis, non ſuffragantur, niſi pro *Foro Conſcientiæ & interno*. Vide dicta in noſtra Diſſertatione *Part. I. §. Ultim. Qu.* 13.

Dubium XV.

Quæſitum etiam fuit per quemdam Parochum ab Eminentiſſimo Commiſſario. I. An Confeſſarius ab Ordinario adprobatus poſſit vigore Bullæ Cruciatæ abſolvere ab ominibus Caſibus Summo Pontifici reſervatis, & præſertim ab illis qui ſunt ſpecialiter reſervati?

II. An Publicus Clerici percuſſor vi Bullæ prædictæ poſſit abſolvi quoad internum, & externum forum, & quatenus af-

firmative quoad ſecundum, quæritur, an abſolutus in foro interno egeat alia abſolutione pro externo, vel ſufficiat illa interni, & tantummodo præſentatio ſuperiori facultatem habenti, ut accipiat correctionem?

Reſp. Ad I. Negative quoad Caſus ſpecialiter reſervatos; h. e. nullam Confeſſario electo virtute Bullæ Cruciatæ competere facultatem abſolvendi ab hujuſmodi Caſibus Sum. Pontifici ſpecialiter reſervatis; uti eſſet E. G. Crimen Hæreſis etiam occultæ, & caſus excommunicationis contractæ propter Complicis abſolutionem; uti antea dictum eſt. Hic porro diligenter adnotandum Caſus ſpecialiter reſervatos in hac re noſtra, ubi agitur de facultatibus Bullæ Cruciatæ, illos eſſe intelligendos, in quibus reſervandis fiat ſpecialis derogatio Bullæ Cruciatæ, per formulam illam: *Non obſtantibus privilegiis Bullæ Cruciatæ S.* aliamve conſimilem. Ita me ipſo interrogante rem iſtam definiviſſe Eminentiſſimum noſtrum Commiſſarium egomet ſum teſtis.

Reſp. Ad II. Affirmative quoad primum; nempe Clerici percuſſor poteſt vi Bullæ abſolvi quoad internum forum; & negative quoad ſecundum; quod nempe non poſſit abſolvi quoad externum forum. In quo caſu non ſufficit illa abſolutio fori interni, & præſentatio dumtaxat Superiori, ſed requiritur alia abſolutio pro externo ad evitanda ſcandala.

Dubium XVI.

Plura in hoc Dubio propoſita fuere noſtro Commiſſario reſolvenda, quæ ordine referemus, ſubnectendo etiam, ut noſtri muneris eſt, ſapientiſſimas ab eo adhibitas reſponſiones.

I. Multi ſunt, qui quærunt ſibi, atque expoſcunt Bullam *Minorem*, non *Communem*, viventes in diem (vulgo *alla giornata*) & quamvis ſint Coloni (*Maſſari di Campo*) Artifices, aliique hujuſmodi locupletes (*Beneſtanti*) in iſtis tamen regionibus, niſi perſonaliter exerceant aliquod artificium, parum lucrari poſſunt. Quare & ipſi, & Uxores, & Filii accipiunt ſibi Bullam *Minorem*.

II. Num Juriſperiti (*Dottori*) & Profeſſores Juriſprudentiæ, ac Medicinæ poſſint recipere Bullam *Minorem* ſibi, ac ſuis Filiis?

III. Num Clericis, Diaconis, Hypodiaconis competat Bulla *Communis* an *Minor*.

IV. Num in Stationibus decurrentibus Die Natalitia Chriſti Domini viſitari debeant Sacra Altaria eo tempore, quo aliqua ex tribus Miſſis celebretur ad lucrifaciendas Indulgentias, an ſufficiat audire, ac præſentem ſe ſiſtere iiſdem Miſſis, aut uni ipſarum?

Reſp. Ad I. & II. Mercatores, Coloni (*Maſſari di Campo*) Locupletes (*Beneſtanti*) Juriſperiti, Profeſſores Juriſprudentiæ in caſu propoſito *conſulant Con-*

ſcientiam ſuam, & ſi reapſe verſentur in ſtatu impotentiæ, poſſunt adhibere Bullam *Minorem* pro ſua familia; illud ſimul advertentes, quod ſi queant recipere *Communem*, non perfruüntur Privilegiis atque Indulgentiis recipientes Minorem.

Reſp. Ad III. Clerici Diaconi &c. Si ſint Nobiles debent recipere Bullam *Nobilium*, ſi vero Locupletes (*Beneſtanti*) debent recipere Bullam *Communem*; demum ſi ſint Pauperes *Minorem*.

Reſp. Ad IV. Nomen *Stationis* deſignat Eccleſiam. Quare ad lucrifaciendas Indulgentias ſatis erit quinque Viſitationes præſcriptas complere, ſive celebrentur, ſive non celebrentur Miſſæ in eadem Die Natalitia Chriſti Domini.

Porro quisquis adverterit vel leviter, deprehendet profecto, ſapientiſſime per noſtrum Commiſſarium ſatisfactum fuiſſe Quæſtioni poſtremo loco propoſitæ. Et re quidem vera *Stationis* vocabulum, ſaltem, ut poſterioribus ætatibus uſurpari coepit, nihil aliud deſignat, quam Viſitationem quarumdam Eccleſiarum, ad quas ſtatis diebus accedentes Chriſtifideles orationibus, religioſiſque precationibus inſiſtebant; neque ad *Stationes* peragendas, atque complendas Miſſæ auditio in iiſdem illis Eccleſiis neceſſaria fuit, aut ipſis præſcripta. Lege, quæ in hanc rem per nos dicta fuere in noſtra Diſſertatione *Part. II.* §. 4. ubi fuſius de hoc diſputatum fuit.

Du-

Dubium XVII.

Quæſitum pariter fuit ab Eminentiſſimo noſtro Commiſſario : Quinam eſſent intelligendi nomine locupletum (vulgo *Beneſtanti*) num illi tantummodo , qui de reditibus vivunt ; an etiam illi, quibus cum non ſufficiant reditus, adjiciunt & induſtriam ?

Num Uxores , ac Liberi iſtorum , ac etiam Profeſſorum poſſint ſibi Bullam *Minorem* accipere ?

Reſp. Utroque modo deſcriptæ indicatæ Perſonæ poſſunt dici locupletes (*Beneſtanti*) ipſi itaque quemadmodum & Profeſſores accipere ſibi debent Bullam *Communem*.

Quod ſi iſtiuſmodi homines , conſulentes propriam Conſcientiam verſentur in ſtatu impotentiæ, poſſunt accipere Bullam *Minorem* pro ſua Familia ; quemadmodum præſcriptum fuit in reſponſione ad *Dub. XVI. Ad I. & II.*

Dubium XVIII.

In hoc dubio per quemdam Parochum propoſitus fuit Eminentiſſimo Commiſſario caſus quidam, reſolvendus. Facti ſpecies, ſive caſus hunc in modum ſeſe habebat : Quidam Hypodiaconus cauſſa cujuſdam ludi, qui vocitatur *Caſei*, in contentionem veniens cum Clerico in Minoribus capillos eidem attraxit, quin tamen ullum cicatricis veſtigium ſupereſſet ; idque coram diverſis hominibus evenerat , qui factum iſtud propalarunt in omnem illam regio-

 nem;

nem; quæritur ergo num memoratus Hypodiaconus poſſit abſolvi virtute Bullæ Cruciatæ.

Reſp. Poſito, quod cauſſa non ſit deducta ad forum contentioſum, poteſt Hypodiaconus iſte abſolvi virtute Bullæ Cruciata.

Percuſſio iſthæc, prout deſcribitur in caſu propoſito, non eſt niſi *Levis* tam ratione ſui ipſius, quam ratione injuriæ, ſive ſcandali, propter quam etiam incurri excommunicationem juxta Canonicas Sanctiones, nemo unus ignorat; & quidem, ut ſecum ferat onus vitandi excommunicatum, ſi fuerit *notaria*. Ab ea tamen abſolvendi Epiſcopis conceſſam fuiſſe facultatem ex Canonica auctoritate compertum eſt. *Cap.* Pervenit. 17. *De Sentent. Excommunicat.* Iſtam etiam excommunicationem poſſe abſolvi ac relaxari per Confeſſarium electum virtute Bullæ Cruciatæ rectiſſime decernitur a noſtro Eminentiſſimo Commiſſario, quod nemo in dubium revocare poterit.

Interim illud maxime animadvertendum, memorata reſponſione adhibita per noſtrum Commiſſarium ad caſum propoſitum, definiri inſignem illam quæſtionem circa intelligentiam formulæ noſtræ Bullæ, qua a generali illa facultate conceſſa Confeſſariis electis abſolvendi a peccatis Sedi Apoſtolicæ reſervatis, excepta fuere illa peccata quæ Ordinariis locorum eſſent reſpective reſervata. Etenim in ea ſemper fui-

fuimus ſententia; qua edoceretur per memoratam exceptionem non comprehendi, neque indicari, niſi illi tantum caſus, & peccata, quæ dicuntur ab *Epiſcopis*, ſive *a Nobis* reſervata. Conſule dicta in noſtra Diſſertatione *Part. I.* §. *Ult. Qu.* 2. Et licet hac de re, ſeu de allata a nobis interpretatione quidam olim ſubdubitare viſi fuiſſent, nunc per memoratam reſponſionem noſtri Commiſſarii omnem dubitandi anſam penitus ſublatam merito quiſque noſtrum ſecum decernet; ſiquidem caſus propoſitus excommunicationis contractæ propter levem Clerici percuſſionem, qui in jure Epiſcopis reſervatur, uti diximus, non potuiſſet abſolvi per facultates conceſſas in Bulla noſtræ Cruciatæ, niſi memorata illa exceptio a generali facultate, reſtringatur, atque coarctetur ad ſolos caſus, atque peccata, quæ ab Epiſcopis per ſtatuta particularia reſervata fuere, quæque dici ſolent *ab Epiſcopis*, ſive a *Nobis* reſervata.

Dubium XIX.

Quidam alius Parochus varia propoſuit dubitationum capita, edoceri cupiens per reſponſiones noſtri Commiſſarii ſaniores agendi rationes circa propoſitas difficultates, quæ in hunc modum ſeſe habent.

I. Num Filii-familias, qui morantur in aliquo Convictu, quorum parentes propriis laboribus, & induſtria vitam ſuſtentant, accipere ſibi debeant Bullam

Communem an vero *Minorem?*

II. Num Familiæ Nobilium adſcriptæ Primæ Curiæ Civitatis (*Al primo Sedile della Città*) quæ vivunt honeſtiori præ ceteris ratione (*con diſtinzione*) ſed nullo titulo decoratæ, debeant ſibi ſumere Bullam *Nobilium*, an vero *Communem*?

III. Num familiis honeſtis ſecundæ Curiæ (*Del ſecondo Sedile*) quæ vivunt diſtinctæ a tertio Ordine (*dal terzo Ceto*) poſſit concedi Bulla *Communis*, *an Minor*?

IV. Num Sacerdotibus Nobilibus in Dignitate conſtitutis, aut non conſtitutis, liceat accipere ſibi Bullam *Communem*, an vero Prælatorum?

Reſp. Ad I. Negative quoad Bullam *Minorem*; quam ſcilicet accipere nec poſſunt, nec debent Filii-familias viventes in Convictu, atque habentes parentes, qui vivant propriis laboribus, & induſtria.

Reſp. Ad II. Affirmative quoad Bullam *Nobilium*; quam ſcilicet accipere ſibi debent Familiæ Nobiles adſcriptæ Primæ Curiæ, licet nullo titulo decorentur.

Reſp. Ad III. Affirmative quoad Bullam *Communem*; quam ſcilicet accipere ſibi debent familiæ honeſtæ Secundæ Curiæ (*Sedile*) quæ vivunt diſtinctæ a tertio Ordine, ſeu Coetu.

Reſp. Ad IV. Sacerdotes Nobiles in Dignitate conſtituti, ſive non, ſumere debent Bullam *Nobilium*.

Du-

Dubium XX.

In hoc dubio caſus quidam fuit propoſitus per quemdam Confeſſarium noſtro Commiſſario, qui in hunc modum ſeſe habebat: Titius interfecit quemdam Sacerdotem occultiſſime; plures ſunt anni, quibus non confitetur, nec curavit confiteri; cum ad me tamen (ajebat Confeſſarius) acceſſiſſet, in dubitationem incidi, num poſſem virtute Bullæ Cruciatæ illum abſolvere. Rogo ergo Eminentiſſimum Dominum, ut mihi edicat, num per Bullam memoratam poterit recipere abſolutionem ab hujuſmodi excommunicatione?

Reſp. Vigore Bullæ Cruciatæ Titius abſolvi poteſt in foro Conſcientiæ, dummodo Parti laeſae ſatisfecerit, ſi fieri poteſt; ſin minus ad ſatisfaciendum præſtet cautionem ſufficientem Fidejuſſoriam, aut ſaltem juratoriam.

Hoc ſane reſponſum noſtri Commiſſarii ad caſum propoſitum maximopere commendandum omnibus erit, quippe quod brevi verborum ambitu, atque pauciſſimis verbis complectitur, quidquid hac de re edixere Theologi, atque Canonum Interpretes. Vide ſæpius laud. Diſſertationem Part. I. §. *Ultim. Qu.* 9.

Interim etiam præſtabit nos advertere facultatem abſolvendi ab excommunicatione in caſu propoſito, cum ſit omnino occultus, pertinere ad facultates conceſſas Epiſcopis per notiſſimum *Cap* Liceat. Tridentini *Seſſ.* 24. *Cap.* 6. *De Reformat.*

abſolvendi nempe a quibuſcumque Caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis; eamdem tamen facultatem abſolvendi a recenſito crimine, eiq: adnexa cenſura poſſe competere, ac reapſe competere Confeſſariis electis per facultatem Bullæ Cruciatæ rectiſſime reſolvit, atque decernit Eminentiſſimus noſter Commiſſarius, juxta ea, quæ per nos dicta fuere laud. Diſſertatione *Part. I. §. Ultim. Qu.* 2.

Dubium XXI.

Quidam Vice-Commiſſarius ab Eminentiſſimo noſtro Commiſſario petiit edoceri de hac difficultate; quam ſcilicet Bullam accipere ſibi deberent, Nobiles, Pauperes, Uxores, Filii.

Reſp. Cum Nobiles, ſive titulo ſint decorati, ſive tituli expertes, verſentur in hujuſmodi rerum anguſtiis, ut minime poſſint accipere Bullam ſuæ conditioni, ac ſtatui reſpondentem, ipſis erit omnino integrum, poſtquam conſuluerint propriam Conſcientiam, illam Bullam accipere, quæ ſibi plucuerit; illud tamen animadvertant oportet, quod ſi ipſi in eo reperirentur ſtatu, ut poſſent accipere Bullam *Nobilium*, aut *Communem*, & vellent uti *Minori*, non fruerentur Indulgentiis in memorata Bulla præſcriptis ac propoſitis. Atque hoc idem eſt intelligendum reſpective de Uxoribus, ac Filiis. &c.

Per

Dubium XXII.

Per eumdem Vice-Commiſſarium propoſitum fuit noſtro Commiſſario hujuſmodi dubia, quae in hunc modum ſeſe habent: I. Cultores agrorum noluerunt Bullam recipere; quia cum eſſent remoti ab Epiſcopis, ac Pœnitentiariis, ut abſolvi poſſint a Caſibus reſervatis, nec valebant nec volebant intermittere ſuos labores, atque induſtrias ſpatio plurium dierum itineris. Quæritur ergo qua ratione cum iſtiuſmodi hominibus agi oporteat?

II. Num Religioſi Sacerdotes, qui Patrimoniis fictitiis ad Ordinem Secularium tranſmigrarunt, quique vivunt ſolo ſtipendio ex Miſſa recepto; & Laici etiam ad Ordinem Secularium redacti, qui vivant de Fidelium oblationibus poſſint uti Bulla *Minori*?

Reſp. Ad I. Ad quemlibet Confeſſarium ab Ordinario approbatum ad præſcriptum ejuſdem Bullæ Cruciatæ S. poſſunt accedere memorati agrorum cultores, quin ipſis neceſſitas incumbat, aut obligatio adeundi Epiſcopos, aut Pænitentiarios, ut poſſint a Reſervatis abſolvi.

Verba autem Bullæ noſtræ ad propoſitam rem pertinentia, ad quæ reſpiciens Eminentiſſimus noſter Commiſſarius rectiſſime reſolvit, atque decernit poſſe quemlibet Confeſſarium ab Ordinario adprobatum ad id electum ab ipſo Pœnitente abſolvere a Reſervatis, ſunt meridiana luce clariora quæ legi poterunt laud. Differta-

tione *Part. I.* §. *Ult.* & in ipſa Bulla Latina, cujus exemplar jam attulimus. Adeo quidem ut merito mirandum occurrit, potuiſſe hujuſmodi dubitationem incidere in mentem cujuſlibet viri prudentis, ne dicam Theologi.

Reſp. Ad II. Affirmative h. e. memoratos Religioſos Sacerdotes aut Laicos ad Ordinem Secularium redactos poſſe uti Bulla *Minori*.

Dubium XXIII.

Quæſitum etiam fuit a noſtro Commiſſario in hunc modum: I. Cum ſit una tantum Eccleſiæ tribus Altaribus ornata, quæritur num ſatisfiat præſcripto Bullæ, quinquies viſitando eadem Altaria?

II. Num Diſtributor Bullarum debeat recipere eleemoſynam ab eo, cujus nomen inſcribitur in Bulla, an ſufficiat eam ab aliis accipere?

III. Num ille qui negligit Bullam ſibi accipere aut propter impotentiam, aut ſua tantum voluntate, admittat peccatum mortale?

Reſp. Ad I. Affirmative h. e. poſſe ſatisfieri præſcripto Bullæ quinquies viſitando eadem Altaria in caſu propoſito.

Reſp. Ad II. Poſtquam inſcriptum fuerit nomen accipientis in Bulla, poteſt recipi eleemoſyna aut ab eodem; qui acceperit Bullam, aut a quolibet alio.

Reſp. Ad III. Cum nulla ſit obligatio Bullam accipiendi relate etiam ad illum, qui

qui poſſet eam ſumere, nullum erit peccatum, ſi non accipitur.

Eximiam profecto noſtri Commiſſarii in reſpondendo prudentiam nemo non admiratur; momenta tamen rationum quibus ſingula reſponſionum capita innitantur, indicare ſtudioſis Lectoribus ſupervacaneum ducimus. Interim non gravabitur diligens Lector obiter illud attendere; quam ſcilicet recte procedat reſponſio adhibita a noſtro Commiſſario ad poſtremo recenſitam quæſtionem, de negligentibus Bullam ſibi accipere, utrum inde peccati rei efficiantur; quos tamen ab omni peccato immunes ſapientiſſime declarat noſter Commiſſarius. Et ſane Conceſſio Bullæ S. Cruciatæ eſt quoddam gratiæ beneficium ab Apoſtolica Sede nobis impertitum; quare a Benedicto XIV. in ſuo Reſcripto ad Archiepiſcopum Compoſtellanum appellatur *Gratioſum Diploma S. S. Cruciatæ*. Quod autem in gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum *Reg. 61. Juris in 6. Et leg.* Quod favore *6. Cod. De Legib.* Quod profecto nobis eveniret, ſi cuique obligationis neceſſitas inſtaret ſub peccati reatu Bullam ſibi accipiendi. Præterea eadem Bullæ conceſſio, eſt quoddam privilegii genus nobis collatum, quo immunitatem conſequamur a certis legibus; At privilegio ſibi conceſſo, licet uti tute poſſit, cum velit, eo tamen uti non tenetur ſub peccati reatu, *Cap.* Si de terra

ra 6. *De Privileg.* Excepto ſolum, ſi privilegium daretur ad aliquid alias præceptum; uti ad audiendam Miſſam tempore interdicti; aut ſi privilegium proxime reſpiceret bonum commune alicujus Ordinis; uti eſſet in Clericis privilegium Canonis, & Fori; Cap. Contingit 36. *De Sentent. Excommunic.* quorum neutrum in noſtra hypotheſi deprehenditur.

Dubium XXIV.

Item per quamdam Monialem quæſitum fuit ab Eminentiſſimo noſtro Commiſſario, ut pro ſua auctoritate declararet, atque decerneret: Num Religioſæ Profeſſæ cujuſcumque Ordinis, ſive Inſtituti, quæ verſentur extra clauſtra Communitatis, atque in propriis aedibus morentur, poſſint uti indulgentia lacticiniorum ante annum ſexageſimum aetatis ſuæ; quoniam in propriis ſuorum Familiis plerumque, imo ſaepius deficiunt commoditates, aut opportunitates ad Quadrageſimalem obſervantiam retinendam, quare adſtringuntur ſimul vivere cum ſuis propinquis, qui utuntur memorato Indulto lacticiniorum?

Reſp. Propoſitus articulus intelligitur de Monialibus profeſſis, quæ quidem ipſæ, licet ſint diſpertæ, neq; in Communitate degentes, nequeunt uti Indulto lacticiniorum ante annum ſexageſimum aetatis ſuæ.

In caſu autem paupertatis, aut deficientiæ opportunitatis ad dictam obſer-

van-

vantiam retinendam Monialis Confeſſarii quæque ſui conſilia ſequatur.

Dubium XXV.

Quæſitum iterum fuit a noſtro Eminentiſſimo Commiſſario: Num conceſſio privilegii eligendi Confeſſarium bis in vita, & ſemel etiam in mortis articulo ad obtinendam abſolutionem a Reſervatis, ſit in ſingulos annos, an pro toto vitæ decurſu illi etiam, qui ſemel tantum ſibi Bullam acciperet?

Huic propoſitæ quæſtioni, quoniam adhibita fuit a Noſtro Commiſſario eadem reſponſio, iiſdemque verbis concinnata, quæ data fuerat huic eidem quæſtioni jam alias iterum propoſitæ; ne eadem, non ſine juſto Lectorum faſtidio repetantur, illos remittere ad ea loca, ubi iſthæc quæſtio jam fuerat reſoluta, ſatius ducimus. Adeantur reſponſiones ad Dubium II. atque ad Dubium III. ad Quæſtionem III. atque alibi?

Illud autem amplius hic quæſitum videtur in propoſito Dubio: Num ille, qui ſemel tantum Bullam recepiſſet, neque adhuc uſus fuiſſet hujuſmodi privilegio, ut abſolveretur a Reſervatis Pontifici, poſſit etiam elapſo anno durationis Bullæ, durante decurſu totius vitæ frui hujuſmodi privilegio?

Reſp. Negative. Etenim privilegia per Bullam noſtræ Cruciatæ conceſſa, nonniſi ad annum ſolum duratura conceduntur, numerandum a die promulgationis ejuſdem

Bul-

Bullæ; quare elapſo hujuſmodi termino, h. e. anno durationis, atque, ut ajunt: *vitæ* ipſius Bullæ pro quolibet recipiente, privilegia ſimul cum ipſa Bulla expirant, quæ nonniſi ad præfinitum anni tempus fuerant conceſſa. Conceſſio enim ultra mentem concedentis non eſt extendenda atque protrahenda. Is ergo, qui intra annum ipſius durationis Bullæ non fuerit uſus hujuſmodi privilegio, ut a Reſervatis abſolveretur, non poterit eo elapſo in reliquo vitæ ſuæ decurſu ab iiſdem abſolvi virtute ejuſdem Bullæ. Quod & in aliis quoque privilegiis per Bullam nobis impertitis locum habere debet, uti patet. Hæc ſane apertiſſime conſtant tum ex Bulla noſtra Itala, atque iteratis reſolutionibus noſtri Commiſſarii, tum etiam ex iis, quæ per nos hac de re dicta fuere laud. Diſſertatione *Part. I. §. Ultim. Qu.* 5.

Dubium XXVI.

Quidam Parochus, & Confeſſarii cujuſdam Dioecoeſis varia ſimul dubia propoſuere noſtro Commiſſario per eumdem reſolvenda, quæ in hunc modum ſeſe habent: I. Quærebatur, quomodo ſint intelligenda verba illa Bullæ bis in toto vitæ decurſu? ſimulque referuntur duæ oppoſitæ ea de re opinationes.

II. Utrum ille, qui primum ac ſemel in mortis articulo fuerit abſolutus a Reſervatis, ſi poſtea convaluerit, poſſit iterum a Re-

a Reſervatis abſolvi virtutae novae Bullae?

III. Num ſub nomine (di *ſtrutto*) nimirum adipis, qui adhibetur ad uſum condimenti, ſit intelligendum etiam Laridum, atque adeps cujuſcumque animalis, uti Vervecis (*Caſtrato*) aut Juvenci (Italice *Manzo*)?

IV. Num Moniales Profeſſæ poſſint inſcio, atque inconſulto ſuo Ordinario eligere ſibi in Confeſſarium aliquem adprobatum ab Ordinario, ut ab eodem abſolvantur a Caſibus Pontifici reſervatis?

V. Num Sacerdotes Seculares, qui jam expleverint annum ſexageſimum aetatis ſuæ, poſſint ſibi accipere Bullam *Communem*, uti jam antea fieri conſuevit, etiam antequam conceſſa fuiſſet Bulla pro Sacerdotibus, & frui facultate comedendi Lacticinia etiam Majori Hebdomada perdurante?

Num Sacerdotes Regulares, ac Moniales Profeſſæ, jam adepti annum ſexageſimum aetatis ſuæ, poſſint frui Bulla pro Sacerdotibus Secularibus?

Reſp. Ad I. Verba illa: *Bis in toto vitæ decurſu* eſſe intelligenda de vita ipſius Bullæ, non autem de toto decurſu Vitæ ipſorum temporalis, juxto ea, quæ alias reſponſa fuere conſimilibus quæſtionibus propoſitis. Relegatur reſponſio adhibita ab eodem noſtro Commiſſario ad Dubium II.

Reſp. Ad II. Affirmative; h. e. qui te-

ſemel urgente mortis articulo fuerit abſolutus a Reſervatis, ſi convaleſcat, poterit iterum abſolvi ab iiſdem virtute novæ Bullæ.

Reſp. Ad III. Sub nomine (*di ſtrutto*) intelligendum venit etiam Laridum, Axungja, aut Laridulum (Italice *Lardicello*) dummodo ſint ſuilla (vulgo *del ſolo Porco*). Non intelligitur vero eo nomine adeps alterius cujuſcumque animalis; uti Vervecis, Juvenci, quod a conceſſione abſolutim excluditur.

Reſp. Ad IV. Affirmative; poſſe ſcilicet Moniales Profeſſas inſciis, atque inconſultis ſuis Ordinariis, eligere ſibi in Confeſſarium aliquem adprobatum ab Ordinario, ut per eumdem abſolvi poſſint a Reſervatis Summo Pontifici.

Hoc tamen ita profecto erit intelligendum dummodo ſcilicet Sacerdos eligendus in Confeſſarium, fuerit, ab Ordinario adprobatus ad audiendas Confeſſiones Monialium juxta præſcriptum Conſtitutionum Apoſtolicarum; adeo ut minime ſufficiat adprobatio generalis impertita ad excipiendas Confeſſiones Secularium, ſive virorum, ſive mulierum, juxta ea, quæ per nos dicta fuere in noſtra ſaepius laud. Diſſertatione *Part. I.* §. 4. *Qu.* 6.

Reſp. Ad V. Pro Sacerdotibus Secularibus adeſt Bulla ſpecialis, & poſſunt poſt completum annum ſexageſimum ætatis ſuæ, iſtiuſmodi Bulla recepta frui conceſſione lacticiniorum diebus etiam Vigilia-

liarum, atque per Hebdomadam Majorem.

Attamen illud profecto tutius iiſdem erit, ſi a memorata permiſſione lacticiniorum per Hebdomadam Majorem abſtineant, etiam poſt completum annum ſexageſimum, atque iis ſeſe conforment, quæ in ſpeciali Bulla pro iiſdem conceſſa, ipſis præſcribuntur; in qua profecto a conceſſione lacticiniorum Major Hebdomada excipitur, juxta reſolutionem alias editam ab eodem noſtro Commiſſario. Vide Reſponſionem I. Ad Dubium XII.

Reſp. Ad VI. Pro Sacerdotibus Regularibus juxta præſcriptum inſtructionis editæ elapſo anno 1791. n. 8. idem erit factitandum.

Converſis autem tam viris quam mulieribus concedenda erit Minor Bulla, hoc tamen advertendo, quod uſque ad annum ſexageſimum ætatis ſuæ non poſſint uti lacticiniis, ac larido, ne excepta quidem Majori Hebdomada, quemadmodum in Bulla exprimitur.

Dubium XXVII.

Quidam Oeconomus Curatus nuper per litteras noſtrum Commiſſarium adiit, ut ab eo hac de re edoceretur; num ſcilicet Religioſæ S. Claræ, quæ in Provinciis degunt extra moenia Clauſuræ, quæ nondum pervenerint ad ætatem ſexaginta annorum, uti poſſint lacticiniis, & larido, quod adhibetur ad condiendum.

Reſp.

Reſp. Iſtis, quoniam per modum proviſionis manent extra Clauſuræ ambitum, non licet uti lacticiniis, & larido (*vulgo ſtrutto*) niſi pervenerint ad ætatem ſexaginta annorum, quoniam in ipſis ſpectatur major perfectio, ac per conſequens tenentur ad majorem mortificationem. Advertendum tamen eſt, quod ſi concurrant circumſtantiæ aut paupertatis, aut infirmitatis, aliaeve hujuſmodi dictæ obſervantiæ oppoſitæ, facultas fruendi hujuſmodi privilegio ipſarum Confeſſario committitur.

Dubium XXVIII.

Poſtremo, cum quæſitum fuiſſet, num Canonicus deputatus ad Bullas Cruciatæ S. Diſtribuendas, dum tempore Divinorum Officiorum incumbit, ac vacat ipſis Bullis diſtribuendis, aut colligendis eleemoſynis juxta præſcriptum Bullæ perſolvendis, habendus eſſet tamquam abſens a Divinis Officiis, ac mulctandus juxta Canonicas Sanctiones, ac præſertim Tridentini Concilii *Seſſ.* 24. *Cap.* 12. *De Reformat.* amiſſione diſtributionum, quæ dicuntur quotidianæ; cumque Procurator Capituli Monopolitani inſtaret, ut hujuſmodi Canonicus abſens haberetur a Divinis Officiis, atque quotidianis diſtributionibus proinde careret, reſcriptum fuit Ordinario loci, ut ipſe ea prudentia, ac cautione, qua dignum eſſet, procederet in re iſthac non levis momenti, atque decerneret ipſe, quid quid ipſi convenien-

nientius videretur, atque Sacrorum Canonum præſcriptionibus magis conſentaneum ac conforme; atque ut ipſe etiam tempus definiret pro ſua prudentia, quod impendendum eſſet Bullarum diſtributioni, aut eleemoſynarum collectioni, ne fraudibus aditus pateret.

Quare propoſita iſthæc quæſtio commiſſa fuit definienda arbitrio cujuſque Ordinarii inſpectis omnibus, quæ in hanc rem ob oculos haberi oporteat.

§. II.

De Poteſtate Commiſſarii circa Bullae S. Cruciatae Interpretationem, Variarumque Difficultatum Reſolutionibus ad eamdem Bullam pertinentibus.

POſt allatas ſuperiori Paragrapho Eminentiſſimi noſtri Commiſſarii variorum caſuum, ac dubiorum reſolutiones, recta ratio expoſcit, ut de ejuſdem Commiſarii facultate circa Bullæ interpretationem breviter agamus; ut inde dignoſcatur ab omnibus, quo loco illæ ſint habendæ, quantaque obſervantia excipiendae. Quæſtio iſthæc maxime momenti, maximopere neceſſaria, ut cuivis facile patebit, erit reputanda; adeo ut non immerito culpandi fortaſſe videremur, quod illam in priori editione noſtræ Elucubratiun-

tiunculæ prætermiſerimus. Etenim, ſi Commiſſario noſtro nulla ſpecialis competat facultas circa Bullæ noſtræ interpretationem, reſponſiones ab eodem diverſis temporibus adhibitae; licet non levem probabilitatem, ac majoris veroſimilitudinis pondus præ ſe gerere merito videantur, rem tamen non omnino extra dubitationis aleam reponunt; quemadmodum & reliquæ opiniones, licet propoſitæ a viris in Theologica Facultate exercitatiſſimis. At ſi contra ratione ſuæ Commiſſionis ſpecialis, ei tributa ſit poteſtas Bullam noſtræ Cruciatæ interpretandi, cum dubitationes inciderint circa impertita Privilegia, tunc profecto illius reſponſiones, atque reſolutiones veluti *authenticae* erunt nobis habendæ; adeo ut illis editis controverſias omnes eodem ſpectantes jure deremtas quiſque judicare debet, atque diſcrepantium Theologorum opiniones, concertationeſque conticeſcant neceſſe eſt. Hanc itaque adeo neceſſariam Quæſtionem, ut primo, ac breviter expediamus ſit.

Q. I. *Quatuplex a Theologis diſtinguatur legis aut privilegii interpretatio.*

R. Neminem latere arbitramur, triplicem diſtingui ſolere legis interpretationem. 1. *Authentica*, quæ a ſolo legislatore fit, quæque vim obtinet & rationem legis. 2. *Doctrinalis*, quæ ſcilicet a communi Doctorum, ac Sapientum judicio, quæ licet vi legis careat; ſi tamen unanimis Sapientum

tum conſenſus in eam conſpiret, magnam præ ſe gerit auctoritatem, obligationemque imponit; etenim a communi Doctorum conſenſu recedere maxime periculoſum eſt. 3. Demum *Uſualis*, quæ communi uſu, & conſuetudine innititur; conſuetudo enim eſt optima legum interpres. *Cap.* Cum Dilectus 8. *De Conſuetud:* Atque hæc quidem, quæ de legum interpretatione univerſim a Theologis traduntur, in ipſis quoque privilegiis locum habere nemo dubitare poterit; cum privilegia nihil aliud ſint, quam quædam peculiares leges ac privatæ *Cap.* Privilegia. 3. *Diſt.* 3. editæ in favorem privilegiati; uti accidit in Privilegiis Bullæ noſtræ S. Cruciatæ.

Q. II. *Num triplex iſthæc interpretatio in Privilegiis Bullæ noſtræ Cruciatæ locum habeat?*

R: Affirm. Idque per ſe patet; nihil enim prohibet, ſi quid obſcurum, ac dubium occurrat in conceſſionibus Privilegiorum noſtræ Bullæ; ut id declaretur vel ab ipſo Pontifice concedente, vel communi ſapientum ſententia, aut praxi ac conſuetudine piorum ſimul ac peritorum.

Q. III. *Quibuſnam competat jus interpretandi Bullæ noſtræ Privilegia?*

R. Cum authentica legis interpretatio non pertineat, niſi ad ſolum Legislatorem; quia ejuſdem eſt legem authentice interpretari, cujus eſt condere, & inde jus, pro-

prodiit, inde etiam hujuſmodi interpretatio procedat neceſſe eſt. *Leg. 9. & ſeqq: Cod. De Legib.* Et *Cap.* Inter alia 31. *De Sentent. Excommunic.* inde etiam eſt, ut *Authentica* interpretatio Privilegiorum noſtræ Bullæ non pertineat, niſi ad Romanum Pontificem, qui hujuſmodi veluti privatæ legis pro incolis Regni noſtri editæ auctor fuit, & lator.

Interpretatio autem, quæ dicitur *Doctrinalis* Privilegiorum noſtræ Bullæ, fieri poterit a quibuſcumque Viris ſapientibus, atque Theologicis Diſciplinis excultis; modo non fiat ex cerebro, ſed juxta probatiſſimorum Doctorum canones, & ſententias. Etenim cum non infrequenter dubitationes occurrant circa Privilegiorum conceſſiones, nec ſemper pateat aditus ad Summum Pontificem, aut ad ejuſdem Bullæ Commiſſarium, concedi ſimul debuit Viris ſapientibus facultas illa interpretandi, prout prudentia exigit, atque Theologicæ diſciplinæ ratio exquirit. At hæc cum certa atque explorata ſint, in iiſdem immorari diutius non oportet. Quare ad alia protinus properandum.

Q. IV. *Cujuſmodi ſit jus, quod competat noſtro Commiſſario Bullam S. Cruciatæ interpretandi?*

R. Scriptores Hiſpani uti Mendo In Bull. *Diſp. 1. Cap. 6. n. 36.* Salmanticenſ. *In Appendic. Ad Bull. S. Cruciat. Cap. 1. Punct. 2.* Trullench. aliique loquentes de Bulla Cruciatæ conceſſa pro

Re-

Regnis Hiſpaniarum communi conſenſu docent, Commiſſarium ejuſdem Bullæ habere jus interpretandi *authentice* Privilegia ipſius Bullæ. Audiatur hac de re Cl. Mendo. *Rurſus Summus Pontifex, qui hanc Bullam concedit, vel qui ab eo commiſſione habeat, poteſt Bullam ipſam authentice, & infallibiliter interpretari; ita ut interpretatio eadem, ac Bulla ipſa, vi gaudeat*. *Habet autem a Pontifice eam commiſſionem Commiſſarius Generalis Cruciatæ, tamquam judex delegatus, ut præmiſſa ſapientum conſultatione dubia circa Bullam interpretur, cui interpretationi omnes ſtare debent, etiam Judices Cameræ Apoſtolicæ, ac S. R. E.* Cardinales. In *Elucidat. Bull. Cruciat. Diſp.* 1. *Cap* 6. *n.* 43. In eamdem plane ſententiam loquitur Trullenchus *in Bull. Dub.* 3. *Proœmio, n.* 2. Salmanticenſ. *Append. De Bull. S. Cruciat. Cap.* 1. *Punct.* 2. *n.* 14. Ceterique Hiſpani Theologi, qui hoc argumenti genus tractandum ſuſcepere.

De eo tamen quis merito dubitare poterit; num ſcilicet hæc facultas competat Commiſſario Generali ratione ipſius generalis commiſſionis, an ex aliqua facultate ſpeciali, qua ei delegata ſit poteſtas ad eamdem Bullam *authentice* interpretandi. Qua da re nihil definire auſim; etenim laud. Theologi non ita aperte loqui videntur, ut huic definiendæ quæſtioni certa ſuppeditent argumenta. Bullam Cruciatæ Hiſpanicam perlegi apud Men-

do, quæ præfixa eſt initio ſui Operis, & quam etiam refert Lucius Ferrari in *Bibliotheca* Verb. *Bulla Cruciatæ* n. 102. ibique nihil occurrere deprehendi alicujus ſpecialis delegationis ad hujuſmodi *authenticam* interpretationem. Quare colligendum videtur id juris attribui Commiſſario Generali vi generalis commiſſionis, qua eligitur, ac delegatur ad ea omnia, quæ neceſſaria fuerint ad Bullæ ipſius executionem. At quidquid ſit hac de re, & undecumque profluat facultas iſthæc Commiſſario attributa Bullam *authentice* interpretandi, cum a nemine denegetur, non eſt cur in dubium revocetur, ait Auctor Operis *La Luce fra le tenebre Diſſert. V. §. 4. n. 417.*

Quæ cum ita ſeſe habeant, nemo profecto, quod credere par eſt inficiabitur noſtro etiam Eminentiſſimo Commiſſario hujuſmodi jus ineſſe, ut poſſit dubia exorta circa Bullæ conceſſiones pro ſua auctoritate, præmiſſa tamen, ut ait laud. Mendo, ſapientum conſultatione, *authentice* interpretari, cujuſmodi interpretationibus, ſive declarationibus omnes conquieſcant oportet. Ad quod quidem jus noſtro Commiſſario adſerendum facere etiam videntur verba Bulla noſtræ Latinæ, quibus poſtquam noſtro Commiſſario collata ſit poteſtas eleemoſynas contribuendas ad ſui arbitrium juxta opes, facultates, & qualitates perſonarum, determinandi, ac definiendi adjungitur; *Atque omnia, & ſingula*

gula alia , quæ faciliori , & expeditiori executioni earumdem præſentium conferre viſa fuerint , peragere .

Quod ſi forte hæc nimia , aut non ſatis certa cuipiam videantur, ſaltem denegari non poterit noſtro Commiſſario ea facultas, quæ competit cuilibet Judici delegato in aliqua cauſſa ſpeciali , quæ ei fuerit commiſſa . Etenim Judex eſt juris interpres in cauſſa , & caſu dubio , cujus quidem interpretatio facit etiam jus ſaltem particulare , ſive reſpectu partium , quarum intereſt .

Q.V. *Num Dominica Palmarum pertineat ad Hebdomadam Majorem , eamque incipiat .*

R. Affirmative . Quare huic principio innixi reſolvimus , probavimus , ac definivimus , Hebdomadam Majorem , quæ in conceſſione facta Presbyteris ſecularibus, Epiſcopis &c. veſcendi Ovis , & lacticiniis, Pontificia lege fuerat excepta, incipiendam eſſe a Dominica Palmarum; non autem a feria inſequenti Majoris Hebdomadæ . Vide quæ in hanc rem dicta fuere in noſtra Diſſertatione *tom. I. Part. 3. §. Unic. qu.* 15.

Et ſane recenſita iſthæc quæſtio dictante veluti manum Numine ſcripta fuit; dum enim veluti ſupervacaneam duceremus (neque enim mihi videbantur adeſſe, qui contrarium ſentirent) magis ordinem rerum ſectantes , quam neceſſitati inſervientes, quæ indicata fuere, litteris exa-

ravimus. Poſtea tamen rei eventus oſtendit ſummæ neceſſitatis fuiſſe memoratam quæſtionem tractandam ſuſcipere; nam præterquam quod complures ex noſtro Clero, imo & ex ordine Confeſſariorum oppoſitæ ſententiæ adhærebant, integræ etiam Communitates praxim contrariam ſectabantur, ac Dominica Palmarum ovis, & lacticiniis veſcentes, feria tantum inſequenti Majoris Hebdomadæ abſtinere ab illis incipiebant, quaſi a Feria tantum ſecunda computanda eſſet Major illa Hebdomada excepta. Hoc mihi teſtatus eſt Vir fide dignus, qui ſimul adſeveravit lectione noſtræ elucubrationis factum fuiſſe, ut contraria praxis removeretur, ac noſtræ ſententiæ adhærendo Hebdomada Major excepta computari incæpta eſt non a feria ſecunda inſequenti, ſed a Dominica ipſa Palmarum.

Interim dum illa typis mandarentur, laudatiſſimus quidam vir, qui ea legerat, epiſtolam ad nos tranſmiſit, qua ſignificabatur ſe magnopere mirari, nos edocuiſſe Hebdomadam Majorem exceptam incipiendam eſſe a Dominica Palmarum, non a feria inſequenti, cum ipſe & contrarium ſentiret, ac factitaret. Tria autem laudatiſſimus, atque erudutiſſimus vir noſtræ adſertioni opponebat. I. Dies Dominica in Lege Nova ſubſtituta eſt Diei Sabbati, qui apud Hebræos erat quietis, & Deo ſacer. Sed Dies Sabbati erat

erat ultimus Hebdomadæ . Ergo & Dies Dominica , non prima, ſed poſtrema dies Hebdomadæ eſt . II. Adjungebat etiam Rubricas in Directorio Officii favere ſuæ ſententiæ ; cum ante feriam ſecundam Majoris Hebdomadæ inſcribatur litteris rotundioribus *Hebdomada Major* ; quaſi inde incipienda illius computatio . III. Hoc idem ajebat comprobare ipſa verba Bullæ quibus conceditur facultas Lacticiniorum , quæ ſic ſe habent : *Omnibus tam Dominicis , quam ferialibus diebus Quadrageſimæ , etiam Dominica in Palmis , & per Hebdomadam Majorem* . Unde deducebat Dominicam Palmarum non contineri in Hebdomada Majori ; aliter enim ſupervacanea fuiſſet ejuſdem expreſſio cum poſtea addatur : *Et per Hebdomadam Majorem* .

Hiſce itaque argumentis, ut breviter ſatisfaciamus ; neque enim fas eſt ea inſoluta dimittere , ne videamur flocci facere , ac contemnere ; ad I. dicimus : Diem Dominicam fuiſſe in Lege Nova ſubſtitutam Sabbato comperta , atque explorata res eſt , atque diſertis verbis , ac perſpicuis docet D. Thomas 2. 2. *Qu.* 122. *art.* 4. *ad* 4. ſed tamen rotunde negamus, perinde ut olim Sabbatum apud Hebraeos eſſe poſtremam hebdomadæ diem ; ſed eſſe primam , atque initium hebdomadæ. Quod ſane comprobari poſſet innumeris teſtimoniis & SS. Patrum , & legum ſanctionibus ; niſi res eſſet hujuſmodi , ut

per ſe evidens videatur; ſufficiant tamen hæc duo, ut illud ex Cod. Theodoſiano *Leg.* 5. *Lib.* 15. *De Spectacul. Dominico, qui ſeptimanæ totius primus dies eſt.* Et illud Iſidori *Lib. V. Etymolog. Dies, ait, a Diis dicti, quorum nomina Romani quibuſdam ſyderibus ſacraverant: primum enim diem a ſole appellaverunt, qui Princeps omnium ſyderum, ſicut idem dies caput eſt cunctorum dierum.* Diem autem Dominicam appellatam fuiſſe *Diem ſolis* nemo unus ignorat; qui dies celebris erat primis Eccleſiæ temporibus Chriſtianorum ſynaxibus, & conventibus, qua de re legendi ſunt Chriſtianæ Religionis Apologiſtæ Juſtinus Martyr, aliique. Lege etiam Cl. Graveſon in Hiſtoria Eccleſiaſtic. *Colloq:* 7. *De Diſciplina* &c. *trium priorum Eccleſiæ* Seculor. Et Cl. Fleuri in ſuo Libello *De Morib. Chriſtian.*

Ad II. Dicimus, Rubricas in Directorio Officii minime favere oppoſitæ nobis ſententiæ patet ex eo, quod diem Lunæ vocant *Feriam ſecundam*, quare neceſſe eſt, ut quæ præceſſit dies ſit prima Hebdomadæ ipſius Majoris. Quod autem in ipſa Feria ſecunda præponuntur recenſita verba *Hebdomada Major*, non deſignant tunc incipere Hebdomadam Majorem, ſed decurrere; quæ verba idcirco non apponuntur in ipſa Dominica Palmarum, quia hæc dies peculiare nomen habet, & celebritate Divini Officii maxime fuerat ſuo nomine notanda.

Ad III. Denique dicimus: Quod in conceſſione lacticiniorum facta per Bullam noſtræ Cruciatæ, ſejunctim ponantur *Dominica Palmarum*, atque *Hebdomada Major*, quaſi Dominica Palmarum eſſet aliquid diverſum, atque nullatenus pertinens ad Hebdomadam Majorem, hoc ſane non inde factum eſt, quia Dominica Palmarum non includatur in Majori Hebdomada, ejuſque primam diem non conſtitueret; ſed majoris claritatis gratia; ut nimirum luculentiùs pateret, ad quos uſque terminos, aut dies protendi poſſet conceſſionis elargitio pro comeſtione ovorum, ac lacticiniorum. Etenim cum conceſſionis dies luculentius deſignatos vellet ipſe Summus Pontifex, uſus eſt illis verbis: *Omnibus tam Dominicis, quam Ferialibus diebus Quadrageſimæ*; cumque Dominicis dies Quadrageſimæ nominati fuiſſent, oportuit etiam ibi nominari Dominicam Palmarum, quæ ob ſolemniorem diei celebritatem ſpeciali nota erat digna, ac de qua majus dubitationis occurrere poterat, num in conceſſione facta comedendi ova ceteris Quadrageſimæ Dominicis diebus, Dominica etiam Palmarum includeretur; ideo ſuo peculiari nomine fuit deſignanda. Rurſus quia conceſſio facta pro Dominica Palmarum non includebat conceſſionem pro Hebdomada Majori, idcirco etiam Major Hebdomada erat deſignanda. Laudatiſſimis itaque viri diſſipatis argumentis

noſtræ adſertioni oppoſitis ad alia properandum nobis eſt.

Q. VI. *Utrum commutandi vota poteſtas per Bullam Cruciatæ nobis conceſſa, poſſit exerceri extra actum Sacramentalis Confeſſionis.*

R. Theologicam hanc quæſtionem relate ad Bullam noſtræ Cruciatæ pertractavimus in noſtra Diſſertatione *Part. I. §. 3. qu. 1* Ut tamen illam iterum excutiendam reſumeremus, hæc in cauſa fuere. Dum hæc conſcriberem paucis ante diebus devenerat in noſtras manus liber, cui titulus: *Luce fra le tenebre*, qui eſt continuatio *Baptiſmatis Laborioſi*, mihi commodatus per Virum amiciſſimum, atque eruditiſſimum. Eo itaque in libello, ubi complura Moralis Doctrinæ capita ad praxim maximopere conducibilia ſcite illuſtrantur, atque explanantur variis Diſſertationibus ordine digeſtis, occurrit Diſſertatio V. *In Bullam S. Cruciatæ Regni noſtri*, ubi Cl. Auct. breviter præſtringit conceſſiones nobis per Bullam noſtram factas, eaſdemque illuſtrat ſapientibus animadverſionibus; de noſtra etiam Diſſertatiuncula in hanc rem conſcripta mentionem injicit, ac perhonorifice, pro ſua comitate de ea loquitur, ac ſaepe ſæpius noſtras ſententias laudat, profert, adſectatur. Duo autem ſunt in quibus a nobis recedit: Primum hic referemus, alterum poſthac indicabimus.

§. 3. *Laud. Diſſertat.* V. Circa conceſ-

ceſſionem poteſtatis in vota commutanda *n.* 412. docet poteſtatem factam vota commutandi per noſtram Bullam poſſe exerceri extra Confeſſionem; quandoquidem ea facultas nobis non conceditur aliqua adjecta clauſula, aut conditione illam exercendi *in Sacramentali Confeſſione*. Hanc quoque ſententiam docet eſſe communem inter Theologos innixam illa validiſſima ratione; quod commutatio votorum nullam præ ſe gerit relationem ad Forum Pœnitentiale, neque ratione ſui ipſius, neque ex voluntate concedentis; nam ſi quando voluerint Pontifices illam exerceri in Confeſſione, idem ipſum diſertis verbis ſtatuerunt, atque juſſerunt in ſuis Conſtitutionibus. Dein nos ipſos diverſa ſentientes incuſat, rationes, quibus permoti in oppoſitam deſcendimus ſententiam, indicat, eaſque modis omnibus convellere ſtudet.

At nos licet minime inficiemur, ſententiam memoratam, quam indicat laudatiſſimus Theologus, eſſe communem, oppoſitam nihilominus ſectari maluimus, utpote tutiorem, imo etiam probabiliorem. I. Quia cum hæc facultas vota commutandi per Bullam noſtræ Cruciatæ concederetur Confeſſariis eligendis, neceſſarium ordinem, ac relationem ad ipſam Confeſſionem præ ſe gerere nobis viſa fuit; ac proinde exercenda in ipſa *Sacramentali Confeſſione*. At inquit laud. Theologus, id deduci non poſſe ex formula ipſa con-

ceſſionis ; ſiquidem nulla Confeſſarii eligendi facta mentione , in ea dicitur *concedimus* , *& indulgemus Chriſtifidelibus prædictis ut diſpenſari poſſint ſuper votis &c.* Equidem adduci non poſſum ut credam laud. Theologum in ea eſſe ſententia , qua doceat , poteſtatem hujuſmodi vota commutandi poſſe exerceri a quolibet , etiam Confeſſarii munere non decorato ; quandoquidem ſi id ſentiret, manifeſte recederet a praxi communi , atque uſu , quæ ita Bullæ noſtræ verba interpretata fuere , ut hæc facultas nullis attributa cenſenda ſit , niſi Confeſſariis eligendis ; licet in verbis allatis nulla fiat mentio Confeſſarii , ſed tantum dum poſtea agitur de facultate abſolvendi a Reſervatis . Cum verba itaque allata ad ſolos Confeſſarios eligendos , ut liquet , ſint referenda ; apertiſſime patet , ut ego inquiebam , poteſtatem hanc ipſis conceſſam vota commutandi , præ ſe gerere ex mente Pontificis ordinem ac relationem ad ipſam Confeſſionem ; ut proinde extra ipſam Confeſſionem exerceri non poſſe. Huc etiam accedit , quod Eminentiſſimus noſter Commiſſarius hac de re per memetipſum interrogatus reſpondit , atque declaravit , poteſtatem hujuſmodi vota commutandi nemini concedi , niſi actu Confeſſario , ac proinde exquirere ad ſui exercitium actum Sacramentalis Confeſſionis ; ac nomen ipſum Confeſſarii , quod exprimitur , dum agitur de poteſtate abſol-

ſolvendi a Reſervatis (lege Bullam noſtræ Cruciatæ) non indicare tantummodo munus, ſed ipſum actuale exercitum, contra ac docuerat Cl. Suareſius *tom. II. De Religion. Lib. VI. Cap.* 16. *n.* 4.

II. Alterum argumentum quod nos produximus ad noſtram firmandam ſententiam petitum erat ex auctoritate Benedicti XIV., qui in ſua Bulla *Convocatis* edita occaſione Jubilæi Anni S. hoc medio Seculo decurrente celebrati, cum Pœnitentiariis Romanæ Urbis, aliiſque Confeſſariis deſignandis à Cardinali Vicario varia conceſſiſſet circa votorum mixtam diſpenſationem, ſive commutationem; etiamſi in prædicatis conceſſionibus nulla adjecta fuiſſet clauſula hujuſmodi limitans, aut reſtringens facultates; uti E. G. *Auditis Confeſſionibus*, aut alia id genus; nihilominus in eadem Bulla *Convocatis*, cui poſt exhibitas atque impertitas facultates adjecit monita, ac declarationes, ut illæ prudenter, & recte exerceri poſſent, declarat, atque decernit hujuſmodi diſpenſationes exerceri ab illis minime poſſe *Extra actum Sacramentalis Confeſſionis*: Vide *num.* 25. *laud. Bullæ*. Unde id ipſum cenſuimus dicendum de Confeſſariis eligendis ex facultate noſtræ Bullæ S. Cruciatæ.

At reponit *loc. cit.* laud. Theologus, id minime eſſe repetendum ex declaratione Pontificis veluti interpretantis conceſſam facultatem; ſed ex expreſſo, ac

D 6 di

diſtincto præcepto quo id jubet, ac decernit. Etenim cum vellet ut diſpenſationes, aut commutationes votorum non fierent, niſi intra ipſam Confeſſionem, nec ex formula ab eodem adhibita in laud. Bulla *Convocatis* deduci poſſit illud oneris impoſitum Confeſſariis, ut id fieret, quod maxime optabat adjecit peculiare, atque expreſſum præceptum. Quare in laud. *Encycl.* Inter præteritos. §. 63. hunc in modum loquitur: *Nos vero ad omnem difficultatem tollendam in Inſtructione injuximus non poſſe a Pœnitentiariis ullas commutationes, aut diſpenſationes dari extra actum Sacramentalis Confeſſionis.*

R. Licet in laud. *Encycl.* adhibeatur verbum illud imperandi *Injunximus*, attamen ſi legatur laud. Bulla *Convocatis* abunde profecto patebit, quam recte nos dixerimus, Pontificem declaraſſe, aut declarando edixiſſe prædictas diſpenſationes, aut commutationes exerceri minime poſſe *Extra actum Sacramentalis Confeſſionis*. Etenim memorata Bulla *Convocatis* dirigitur ad Pœnitentiarios Romanæ Urbis, ceteroſque Confeſſarios deſignandos a Cardinali Vicario, atque in ea diſtincte, ac dilucide recenſentur facultates impertitæ ſive ad diſpenſandum, ſive ad commutandum, ſive ad abſolvendum adjectis opportunis Monitis, & Declarationibus; denique poſt recenſitas facultates Pænitentiariis attributas, adjiciendo Monita, ac Declarationes, uti prædiximus pro ipſis

Pœ-

Pœnitentiariis, aliiſque Confeſſariis deſtinandis, eoſdem alloquens Pontifex ſapientiſſimus ait: Advertant inſuper, ſupradictas abſolutiones, commutationes, diſpenſationes *non poſſe ab illis exerceri extra actum Sacramentalis Confeſſionis*. At quoniam iſthæc declaratio vim habuerit præcepti, inde eſt cur Pontifex in *Encycl. Inter Præteritos*, de ea ſermonem faciens adhibet verbum illud imperandi *Injunximus*.

Deinde ſi neceſſitas illa commutandi vota intra *actum Sacramentalis Confeſſionis*, ut contendit laud. Theologus, repetenda eſſet tantummodo ex præcepto formali diſtincto, quo illam imperare placuerit Pontifici; hujuſmodi præceptum non adſtringeret, niſi eos tantum, ad quos directa fuit memorata Conſtitutio *Convocatis*; h. e. tantum Pœnitentiarios in Romana Urbe, ceteroſque Confeſſarios deſignandos a Cardinali Vicario; alii ergo Confeſſarii extra Urbem Romæ non tenebantur eo præcepto, ac proinde durante illa celebritate Jubilæi, aut in ejus extenſione poterant illam facultatem vota commutandi extra actum Sacramentalis Confeſſionis exercere; quod ſane nemo, uti credo, auſerit affirmare poſt tam luculentam, & gravem Pontificis declarationem. Ergo ne id cogamur admittere dicendum nobis videtur Pontificem declarando præſcripſiſſe, ne commuta-

rationes, & diſpenſationes votorum conceſſae pro illa celebritate Jubilaei Anni S. exercerentur *extra actum Sacramentalis Confeſſionis*. Rectiſſime ergo Petrus Colet *Appendic. De Jubilæo* §. 15. *qu.* 4. reſpiciens ad memoratam Conſtitutionem *Convocatis* docet Pontificem Benedictum XIV. declaraſſe commutationes, aut diſpenſationes votorum non poſſe in Jubilaei celebritate a Confeſſariis exerceri extra Sacramentum Confeſſionis. Quae cum ita ſe habeant, haud eram culpandus, aut reprehendendus, quod ex declaratione facta a Pontificibus (Nam & antea Xyſtus V. hoc idem declaraverat, teſte laud. Colet) in Bullis Jubilaei argumentum deſumſerim pro Bulla noſtra Cruciatæ ad probandum facultatem nobis conceſſam vota *mixte* commutandi, non poſſe exerceri *extra actum Sacramentalis Confeſſionis*. Ut ut autem ſeſe res habeat, licet memorata noſtra de adducta quæſtione ſententia laudato Viro Teologo, aut etiam fortaſſe aliis minime arriſerit nobis tamen ſatis erit illam probari noſtro Eminentiſſimo Commiſſario, qui pro ſua ſapientia illam expendit, ac ſuo etiam oraculo confirmavit, ac jubendo declaravit eamdem omnibus ſectandam, atque ſervandam, ut antea prædiximus.

Q. VII. *Num quædam ſint Indulgentiarum munera, quæ per ſolam acceptionem Bullæ noſtræ Cruciatæ adquirantur?*

R.

R. Quæſtioni huic abunde ſatisfecimus in noſtra Diſſertatione *Part. II. §. 3. qu. 2.* ubi edocuimus diſtinguendam duplicem Indulgentiam per Bullam noſtræ Cruciatæ promiſſam. Prima eſt participatio omnium Indulgentiarum, quæ Confraternitatibus, Sodalitabus in Regno noſtro exiſtentibus fuerint conceſſæ. Altera vero illa eſt, quæ ſita eſt in participatione illarum Indulgentiarum, quæ Stationibus Romanæ Urbis ſint affixae. Porro ad conſequendas illas Indulgentias, quæ conceſſæ fuerint Confraternitatibus, ſeu ad partecipationem omnium, & quarumcumque illarum, præter ſtatum gratiæ, nihil aliud requiri atque expoſci a Concedente, niſi receptionem ipſius Bullæ, ſive erogationem eleemoſynæ ad deſtinatum opus Belli adverſus Infideles; ac proinde hujuſmodi Indulgentiæ adquiri per ſolam ipſius Bullæ receptionem, poſito gratiæ ſtatu.

Hanc noſtram adſertionem ſeu theſim laud. eximius Theologus *loc. cit.* §. 5. vellicat, carpit, atque nullo innixam fundamento ſugillat; imo adjungit ex ipſa noſtra Bulla, ex cujus lectione rem eamdem liquido patere diximus, oppoſitum manifeſto apparere. Etenim, uti ipſe ait in Bulla noſtræ Cruciatæ non dicitur memoratas illas Indulgentias adquiri Bullam recipiendo, ſive erogando eleemoſynam; ſed qui eleemoſynam præbet illas lucrari, veluti ſi eſſet Confrater, aut reſpective

Con-

Conſoror, illiſque Confraternitatibus perſonaliter reperiretur adſcriptus. Qui autem iiſdem ſit adſcriptus eaſdem non omnes una ſimul lucratur. Etenim quædam ſunt hujuſmodi Indulgentiarum quæ adquirantur per ſolam adſcriptionem ſeu admiſſionem in illas Confraternitates; quædam vero poſita admiſſione in Confraternitatem præſtito aliquo pietatis exercitio requiſito ad illarum conſecutionem.

Quare ſic idem Theologus cum Abbate Cammarata rem ipſam definit; illas nempe Indulgentias, quæ conceduntur adſcriptis in pias hujuſmodi Sodalitates, eo ipſo quod in illis ſint adſcripti, aut propter hanc tantummodo cauſſam, illas adquiri nullo præſtito opere injuncto ab eo qui recipit Bullam, quin aliud facere teneatur. Illas vero ad quas adſequendas præſcribitur aliqua Viſitatio, Communio, Oratio, expoſcere, ut adquirantur, expletionem operis injuncti Hactenus laudatiſſimus Theologus.

Cum audites egregium Theologum edicentem noſtram ſententiam nullo fundamento fulciri, crederes ipſum toto coelo diſtare ab illa; at ſecus ſeſe res habet; ſiquidem ille nobiſcum mirifice conſentit, & nobiſcum amice conjurat, dum & ipſe edocet, eſſe quaſdam Indulgentias, quæ adquirantur per ſolam admiſſionem in dictas Confraternitates, atque hujuſmodi lucrifieri ab incolis noſtri Regni per ſolam Bullæ acceptionem, ſive eleemoſynæ ero-

erogationem; Neque mihi umquam animus ſuit aliud adſerendi, quam iſtud ipſum, quod præclariſſimus Auctor hic edocet; quod luculenter patet ex verbis, quibus noſtram ſententiam explicatam voluimus, quæ in hunc modum ſeſe habent: *Sunt enim quædam Indulgentiæ, nec exigui, nec minoris momenti, quæ impertiuntur recipientibus Bullam, ſive elargientibus eleemoſynam ſive quæ huic tantummodo operi ſunt affixae . . . . Non ſecus ac quandoque Confraternitatibus quibuſdam privilegia conceſſa ſunt, quibus Indulgentiæ non exiguae donantur iis, qui in illas ingrediuntur pro eo tempore, quo ingrediuntur, aut iiſdem adſcribuntur.* Atque hoc ſane illud eſt, quod diximus, *non obſcure patere legenti ipſam Bullam.*

Atque juxta hanc eamdem ſententiam ſunt intelligenda, atque accipienda, quæ proxima Quæſtione 3. ejuſdem Paragraphi de hujuſmodi Indulgentiis, licet pluribus, ac diverſis unico actu percipiendis; h. e. per ipſam Bullam acceptionem. Etenim quemadmodum unico actu admiſſionis in dictas Confraternitates, plures, ac diverſæ Indulgentiæ adquiri poſſint, ſi forte propoſitæ fuerint recipiendis in illas; ita etiam unico actu acceptionis Bullæ percipientur, ſi nihil obſtet, omnes illæ Indulgentiæ, licet quamplures, ac diverſæ, quæ promiſſæ fuerint intrantibus dictas Sodalitates, in eaſque recipiendis; perinde ac ſi incolae noſtri Regni recipientes

Bul-

Bullam eſſent dictarum Confraternitatum *reſpective Confratres, & Conſorores.*

Quod autem in deſignandis hujuſmodi Indulgentiis uſi fuerimns vocabulo *omnium*, & quarumcumque; *Participatio omnium, & quarumcumque Indulgentiarum*; quapropter viſi fuimus noſtro Theologo, omnes omnino, etiam illas, quæ ad illarum conſecutionem in dictis Sodalitatibus peculiare præterea opus præſtandum exquirunt; id quidem haud tantopere reprehendendum videtur; ſiquidem ſectati fuimus illam loquendi rationem, quam adhibet ipſa Bulla noſtræ Cruciatæ: *Omnibus, & ſingulis Indulgentiis . . . quibuſvis Confraternitatibus . . . . conceſſis*; reſtringendo tamen noſtram mentem ad illas tantummodo, quæ affixæ fuerint ſoli admiſſioni in dictas Sodalitates; quod non obſcure licebit colligere ex noſtris verbis ſuperius relatis.

Demum, quod præclariſſimus Auctor deſignat alias Indulgentias dictis Confraternitatibus conceſſas, quæ ſicut in illis, qui dictis Confraternitatibus adſcripti ſunt, exquirunt ad illarum conſecutionem opus aliquod peculiare præſtandum, ita & in illis, qui apud nos Bullam receperint, ſive eleemoſynam erogaverint; id quidem utroque pollice, ut ajunt, probamus, admittimus, atque expanſis ulnis amplectimur; neque umquam animus nobis, aut mens fuerat iſtud pernegare, quod ſibi immerito fingit præclariſſimus Auctor no-

noſter. Ceterum ut omnis ambiguitatis occaſio tolleretur, in hac nova hujuſce noſtri Opuſculi editione paucula verba adjunximus, quæ clarius mentem noſtram patefaciendo benignos Lectores ad rectam noſtrorum dictorum intelligentiam veluti manuducant.

Q. VIII. *Num peccatum illud reſervatum, in quod incurrunt ii, qui falſo innoxios Sacerdotes ſollicitationis accuſant apud Eccleſiaſticos Judices abſolvi poſſit per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ.*

R. Hujuſmodi quæſtionem fuſius pertractavimus in noſtra Diſſertatione *Part. I.* §. *I. qu.* 19. At quia laudatiſſimus Theologus multa nobis objecit per epiſtolas, in quibus diu multumque de hujuſmodi controverſia inter nos decertatum fuit, & nuper in ſuo Opere inſcripto *Luce tra le tenebre Diſſert. III. Cap.* 2. *n.* 247. magnopere miratur, atque turbas excitat adverſus nos, licet tacito nomine, propterea quod affirmativam in propoſita quæſtione ſententiam & prætulerimus, ac ſectati fuerimus, illis verbis: *Or chi non reſterà ſorpreſo nel leggere in un Autor moderno, che queſto Caſo può aſſolverſi in virtù della Bolla della Crociata?* idcirco coacti ſumus eamdem quæſtionem hic pro data opportunitate retractare, eamque iterum ad trutinam revocare.

Tria itaque vir laudatiſſimus nobis objecit in Epiſtola quadam hac de re ad nos tranſmiſſa contra memoratam noſtram ſen-

ſententiam, qua peccatum iſtud reſervatum de quo loquimur, a Confeſſario electo virtute Bullæ S. Cruciatæ abſolvi poſſe edocuimus. Primo ait, ſibi certum atque indubitatum videri, quod ope facultatum Bullæ S. Cruciatæ abſolvi, ac relaxari non poſſe peccata Summo Pontifici ſpeciali reſervatione affecta, ac reſervata (uti eſt ex ſua ſententia peccatum iſtud falſo accuſantis innoxios Sacerdotes de ſollicitatione, cum in illius reſervatione dicatur, ut a nemine abſolvi poſſit *quovis privilegio, auctoritate, dignitate munito*) Idque etiam inquit locum habet, licet in ſpeciali reſervatione nulla fiat nominatim expreſſa derogatio ejuſdem Bullæ S. Cruciatæ. II. Quia ſpecialis reſervatio eſt de ſe ſufficiens derogatio cujuſcumque conceſſionis ordinariæ; uti eſt illa Cruciatae S. quæ præ ceteris omnibus eſt minus ampla, ac magis ordinaria. III. Quia clauſula illa, ut abſolvi non poſſit a *quocumque Sacerdote quovis privilegio . . . munito*, eſt quædam derogatio privilegii Cruciatæ S. aliorumque conſimilium. IV. Quia nulla eſt lex, quæ declaret non cenſeri derogatum facultatibus Cruciatæ S. niſi expreſſe nominentur. Hoc idem fuſius inculcaverat aliis Epiſtolis ſuperioribus, quas idemtidem ad nos tranſmiſerat. Demum in libello nuper indicato iiſdem principiis abunde explicatis, in noſtram recenſitam ſententiam acrius invehitur, licet nomini noſtro

par-

parcere videtur, ne in invidiam adducat, argumenta a nobis adducta ad trutinam revocat, eaque funditus evertere ſtudet. *Laud. Diſſert. III. Cap. 2. n.* 249. *&* 250.

Porro licet nos laudatiſſimi Theologi doctrinam, ac ſapientiam maximi ſemper fecerimus; imo nobiſcum etiam non parum gratulati fuerimus, quod noſtris ſententiis fere ſemper adhærendo plurimum auctoritatis pondus iiſdem conciliavit; ut patet ex illis, quæ diſputat Cl. Auctor *Cap.* 5. *laud. Diſſert. III.* nemo tamen nobis vitio vertat, quod ab ejuſdem ſententia in propoſita quæſtione recedamus; præſertim, cum nobiſcum faciat auctoritas noſtri Ceneralis Commiſſarii, atque iteratæ hac de re Declarationes.

Principio quidem præ oculis hac in re habenda erit quædam Reſponſio noſtri Eminentiſſimi Commiſſarii, qui interrogatus, num ope facultatum Bullæ S. Cruciatæ poſſent abſolvi Caſus omnes Summo Pontifici reſervati, ii præſertim, qui fuerint ſpecialiter reſervati; reſpondit negative quoad Caſus ſpecialiter reſervatos. *Dub. XV.* in hac *I. Append.* Ac poſtea per noſmetipſos iterum interrogatus, quinam eſſent intelligendi ii Caſus ſpecialiter reſervati, reſpondit eſſe intelligendos omnes illos, in quibus reſervandis adſit ſpecialis, atque expreſſa derogatio facultatum Bullæ Cruciatae S. per hujuſmodi clau-

clauſulam, aut conſimilem : *Non obſtantibus Privilegiis Cruciatæ S.*

Porro licet propoſitam laudatiſſimi Viri doctrinam veram fateamur, nec ab ea amplectenda nos alienos profiteamur; nihilominus dicimus in hac propoſita quæſtione locum non habere ; ſiquidem peccatum iſtud, de quo loquimur, non aſt ex ſpecialiter reſervatis eo ſenſu, quo declaravit, ac definivit Eminentiſſimus noſter Commiſſarius ; quippe in illius conſtituenda reſervatione nulla apponitur expreſſa clauſula derogatoria privilegiorum Cruciatæ S.

Deinde cum præclariſſimus Auctor in alia epiſtola etiam ad nos antea transmiſſa ingenue fateatur, clauſulam illam appoſitam in Calce ipſius Bullae *Sacramentum Pœnitentiæ* nimirum : *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, præſertim, quæ nuncupantur Cruciatæ S.* non eſſe referendam ad Paragraph. 3. ubi de reſervatione memorati criminis loquitur Pontifex ; ſed tantum ad Paragraph. 5. ubi agitur de inhabilitate Confeſſarii Complicis, atque de excommunicatione ab eodem contrahenda, ſi ſuum Complicem abſolvere auderet ; quis non inde recte nobiſcum deduceret, noluiſſe ſapientiſſimum Pontificem in conſtituenda, ac ſancienda reſervatione iſtius peccati, quo de agimus derogare privilegiis Cruciatæ S. quorum non meminit ea in re ; ſiquidem iiſdem privilegiis cum ex-

expreſſe derogatum voluiſſet, illorum mentionem fecit per clauſulam predictam: *Non obſtantibus* &c. in ſancienda lege de inhabilitate Confeſſarii Complicis, ac de excommunicatione contrahenda propter impenſam Complici abſolutionem.

At inquit nulla Eccleſiaſtica lege ſancitum occurrit, quod ut derogatum iretur privilegiis Cruciatæ S. opus eſſet illorum expreſſa mentione. Id profecto minime inficiamur, neque id recte poſſumus; at dicimus, id minime repetendum ex aliqua peculiari lege hoc ipſum decernente, ſed ex uſu & conſuetudine quam plures Pontifices ſervatam voluere, quod viro Theologo latere minime poterit. Etenim cum invaluiſſet opinio Sanchez, aliorumque Theologorum; privilegia ſcilicet Bullæ Cruciatæ ſine expreſſa illarum mentione non cenſeri revocata; (*Lib. VIII. De Matrimon. Diſp.* 33. *n.* 10.) cum eſſent conceſſa per modum contractus, hinc factum fuit, ut quandocumque Bullæ privilegiis derogatum vellent Pontifices, illud exprimerent.

Demum in caſibus dubiis circa ipſius Bullæ Cruciatæ privilegia, poſſe Commiſſarium pro ſua auctoritate, quam habet, rem ipſam decernere, ac definire, ipſe laudatiſſimus Theologus nos edocuit. Neque pro ſua parte, neque pro noſtra ſententia, propoſita inter nos quæſtio videretur ſatis deciſa, certa, aut explorata, potuiſſe revera Eminentiſſimum Commiſ-

miſſarium rem ipſam, qua de agitur decernere, ac definire, nemo, uti credo inficiabitur; quod & reipſa præſtitiſſe noſtrum Commiſſarium; quicum ſemel, atque iterum de propoſita quæſtione collocuti ſumus, nos ipſi teſtamur; declarando, ac definiendo memoratum peccatum reſervatum falſo accuſantis innoxios Confeſſarios de ſollicitatione poſſe abſolvi a Confeſſario electo ope facultatum Bullæ noſtræ Cruciatæ.

Q. IX. *Num peccatum illorum, qui dicuntur fautores Hæreticorum, receptatores, legentes, imprimentes, aut retinentes illorum libros, ſi ſit ſine errore intellectus, poſſit abſolvi per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ.*

R. In noſtra Diſſertatione edita de Bulla S. Cruciatæ *Part. I. §. Ultim. qu.* 8. variis adductis Summorum Pontificum Declarationibus probavimus, atque definivimus Peccatum Haereſis per facultates conceſſas in noſtra Bulla Cruciatæ non poſſe abſolvi. Quibus omnibus accenſitam nunc volumus Commiſſarii noſtri Declarationum, quia pluries allata noſtra ſententia fuit confirmata.

Adjunximus autem in allata Diſſertatione hujuſmodi verba: ab aliis vero criminibus, quæ Hæreſim circa verſantur uti ſunt fautores Hæreticorum &c. modo ad Hæreſis malitiam minima pertingant; uti cum nullo errore intellectus committantur per facultatem noſtræ Bullæ Cruciatæ

Con-

ſeſſarium electum poſſe abſolvere, ſi qui contenderet, haud illum a veritate longius aberrare arbitrarer.

Hæc tamen, licet ex aliena potius, quam noſtra ſententia propoſuerimus Eruditiſſimo noſtro Theologo apprime diſplicuere; quin & cenſoria nota digna viſa eidem fuere; qui in quadam epiſtola ad nos data, nos admonuit *fautores Hæreticorum; legentes* &c. *libros*, licet nullum ſit in ipſis crimen formalis Hæreſis non poſſe abſolvi ope facultatum Bullæ Cruciatæ S.; quia cum iſtorum peccatum eſt ſpecialiſſima ratione reſervatum; per Bullam autem noſtræ Cruciatæ nulla impertitur nobis in peccata ſpecialiter reſervata facultas. Et in alia epiſtola poſtea reſpondit; quidquid ſibi objiceretur circa radicem iſtius ſpecialiſſimæ reſervationis, ſive Bullam iſthæc peccata reſervantem, non reſpicere, neque complecti caput iſtud, de quo agebatur, ſed ea ſola, quæ pertinerent ad temporalia, & exteriorem Regni noſtri politiam.

At ego cum hæc ſcribendo allata verba ſubjeceram, proponere volui ſententiam noſtrorum Theologorum, quibuſcum ſaepe hac de re collucutus fui; quin & Eminentiſſimi noſtri Commiſſarii, quorum ſententiam dixi a veritate haud longius aberrare; Et nunc etiam re diligentius diſcuſſa, reprehendenda minime videtur. Hanc itaque ſententiam minime reprehendendam diximus. Etenim Conſtitutio

illa Pontificia, unde profluit ſpecialiſſima illa reſervatio horum criminum, eſt Bulla in *Cœna Domini* promulgari olim ſolita. Excommunicationes autem aut reſervationes in ipſa conſtitutæ, ac propoſitæ vel ſe habent, uti docet Paullus Layman (*Lib. I. Part. II. Tract.* 5. *Cap.* 5.) per modum ſententiæ latæ *ab homine*, quia non feruntur, ut perpetuo durent per modum ſtatuti; cum quotannis promulgari olim ſolerent; atque hujuſmodi excommunicationes, ſive potius reſervationes mortuo Pontifice promulgante deſinere, atque evaneſcere oporteret, niſi in ipſa Bulla ſpeciatim cautum eſſet, ut mortuo Pontifice adhuc perdurarent Sede vacante, donec a novo Pontifice denuo ederentur. Aut etiam ſi mavis cum Suareſio contendere prædictas excommunicationes, ſive reſervationes non eſſe ſimpliciter, & ſolum *ab homine*, ſed etiam *a jure*; cum de ipſis ſtatutum in ea ſit, ut non expirent mortuo Pontifice promulgante, donec a novo Pontifice iterum promulgarentur. Cum autem multis abhinc annis jam ceſſaſſent promulgari, non ſolum apud nos, aliaſque Italiæ regiones; ſed etiam Romæ jam inde ab initio Pontificatus Clementis XIV. non amplius promulgentur, ut mihi teſtati ſunt Viri fide digniſſimi; neque ſpes ſit, uti videtur, ut illæ iterum promulgentur; ſi qui inde deducerent, dictas excommunicationes, ſive reſervationes deſiiſſe, ceſſaſſe, in de-

deſuetudinem abiiſſe, hac de cauſſa reprehendendi minime nobis videntur. Quemadmodum enim & Bullæ noſtræ Cruciatæ privilegia, quæ conceſſa ſunt recipientibus eamdem Bullam ad annum numerandum a die promulgationis ejuſdem Bullæ uſque ad novam promulgationem, ſi nulla ſpes amplius appareat novæ promulgationis Bullæ, deſinant, atque expirent neceſſe eſt cum ipſo anno naturali, etiamſi annus Eccleſiaſticus nondum ſit completus; ita quoque excommunicationes, ac reſervationes ſtatutæ in laud. Bulla C. D. quæ decernebantur duraturæ uſque ad novam promulgationem ejuſdem Bullæ; cum jam, uti videtur; nulla ſpes ſit novæ promulgationis ejuſdem Bullæ faciendæ, deſiiſſe, ac ceſſaſſe dicendæ ſunt. Atque in hujuſmodi ſtandum Juri Communi antiquiori, qua quidem in re notiſſimum cuique eſt *Cap.* Excommunicamus 13. *De Hæreticis.* §. Credentes ubi in *Credentes*, *Receptatores*, ac *Fautores* Hæreticorum decernitur excommunicatio major, nulla ejuſdem reſervatione appoſita. Quantum vero ſpectat ad *Legentes*, ac *Retinentes* &c. libros Hæreticorum ſectandæ ſunt Regulæ Judicis.

His, quæ hactenus dicta fuere illud etiam adjungi poterit, quod non levi argumento eſſe poterit ad confirmandam noſtrorum Theologorum ſententiam, quod mihi teſtatus eſt Vir amiciſſimus, eruditiſſimus, ac fide digniſſimus, ſe nimirum

legiſſe in litteris ſuorum amicorum Romæ commorantium, quas ſtatis diebus ad ſe tranſmiſſas habebat, præſertim ſi quid illuſtrius, & celebrationis famæ Romæ accidiſſet, Clementi XIV. Pontifici, cum primum a promulgatione memoratæ Bullæ *in Cœna Domini* abſtinuit ac ceſſavit anno 1770. per Miniſtros Principum Borbonicorum Romæ degentium ſolemnes, ac nominatim gratiæ actæ fuere pro tam inſigni facto; propterea quod viis tam optatis inſiſtere incæperat ſapientiſſimus Pontifex, atque a Bulla hujuſmodi promulganda deſtiterat, quæ tot diſſidiorum cauſſa fuerat, ac ſcaturigo. Hæc porro quid nobis indicatum velint ſapiens Lector pro ſua prudentia melius apud ſe decernet, quam ut a quopiam moneatur. Imo in in publicatione Jubilæi Anni S. facta a Pio VI. Pontifice feliciter nunc regnante anno 1774., cum in Bullis ejuſdem juxta antiqua exemplaria mentio facta fuiſſet Bullæ dictæ in *Cœna Domini*, jubente eodem Pontifice hujuſmodi exemplaria revocata fuere, atque reformata. Quod conſtat ex Epiſtola cujuſdam Epiſcopi e Roma ſcribentis mihi exhibita.

Quæ cum ita ſe habeant, haud magnopere videbantur reprehendenda verba per nos allata, quibus ſignificavimus a veritatis tramite haud longius aberrare qui docuiſſent hujuſmodi crimina, dummodo non eſſent conjuncta cum errore intellectus, in quo ſita eſt ratio hæreſis formalis, poſſe

abſolvi a Confeſſariis electis per facultates conceſſas in Bulla noſtræ Cruciatæ.

Denique his omnibus accenſemus auctoritatem noſtri Eminentiſſimi Commiſſarii, quæ quanti in re noſtra facienda ſit nemini latere debet. Is porro hac de re per memet ipſum interrogatus ſuo reſponſo declaravit, atque definivit, non prohiberi etiam illum, qui ad recenſita crimina dimittenda, quaſi ex abundanti, uti velit facultatibus conceſſis per Bullam noſtræ Cruciatæ.

Q. X. *Num per facultates nobis in Bulla noſtræ Cruciatæ conceſſas abſolvi poſſunt ſex illi notiſſimi Caſus reſervati in Decreto Clementis VIII. qui dici ſolent* Extra Urbem, & intra Italiam?

R. Decretum S. Congregationis approbante, atque confirmante Summo Pontifice Clemente VIII. editum, in quo ſex illi memorati Caſus reſervantur, jam retulimus in Additionibus adpoſitis *Ad Elementa Theolog. Practic. tom. V. pag.* 459. propoſitum, atque σπκοὸν (ſcopum) S. Congregationis, ſive potius Pontificis in hujuſmodi Decreto edendo inveſtigare atque extricare pro virili curavimus, Caſus ſingulos peculiari adjecto commentariolo illuſtrare conati etiam fuimus. Quapropter adeantur ibi dicta.

Ibi itaque *pag.* 555. *qu.* 3. cum pertractandam ſuſceperimus propoſitam quæſtionem; num per facultates Bullæ noſtræ Cruciatæ abſolvi poſſent memorati

Caſus, in partem negativam declinavimus; eidemque etiam ſententiæ inhærendum nobis viſum fuit, cum in noſtra Diſſertatione *Part. I. § Ult. qu.* 18. ageremus de facultatibus Bullæ noſtræ Cruciatæ quantum ad abſolutionem a Reſervatis. Atque ita etiam reſpondimus ſi quando de hujuſmodi re conſulti fuerimus, permittendo tamen & conſentiendo, ut poſſint iidem abſolvi per facultatem Cap. *Liceat* Tridentini; modo fuiſſent occulti juxta dicta in noſtris Additionibus *tom. V. pag.* 449. *qu.* 2.

Licet autem in hac poſteriori laud. Diſſertationis editione, nihil ibi immutandum cenſuimus; Eruditum tamen Lectorem in hunc locum remiſimus, ubi ſecundis curis, ac diligentius res diſcutienda ſuſcipitur.

Porro recenſita noſtra iſthæc ſententia multum arriſerat laudatiſſimo noſtro Theologo, de quo nuper mentionem fecimus, quippe quæ ſuis principiis optime, ac mirifice quadrabat. Id mihi teſtatus eſt in quadam Epiſtola ad nos transmiſſa; nam identidem per epiſtolas hujuſmodi de rebus cum eo nobis diſputandum fuit; licet pro ſuo ſagaci judicio quoſdam in ea noevos reprehenderit. At nos ea, quæ utroque in loco leguntur ſcripturiendo, Cl. Cabaſſutii non ignobilis Theologi, ac Canonum Interpretis preſſimus veſtigia.

Verum enimvero memorata noſtra opinio de recenſitis ſex Caſibus, cum primum Eminentiſſimi noſtri Commiſſarii aures per-

pervaſit, ab eodem reprobata fuit, ac rejecta. Quare ab ipſo arceſſitus, meamque coactus tueri ſententiam, nihil omnino profeci, Eminentiſſimo noſtro Commiſſario contraria omnia edicente, ac definiente. Quin & nuper etiam, cum in examine Confeſſariorum, cui & ego pro meo munere intereram, de eadem controverſia ſermo incidiſſet, ac ſapientiſſimus Examinator ſecundum noſtram ſententiam rem propoſitam definiendam contenderet, ſua auctoritate obſtitit Eminentiſſimus noſter Commiſſarius, & cum plura tam per me, quam per alios Collegas noſtros in defenſionem memoratæ noſtræ ſententiæ dicerentur; ipſe tamen Commiſſarius ſua hanc in rem auctoritate uſus, oppoſitum declaravit, definivit, ac quodammodo nobis ſervandum juſſit. Quod & idem in privato noſtro colloquio, de eadem re interrogatus, definivit, atque confirmavit. Quapropter tanta preſſus auctoritate & ſupremi noſtri Antiſtitis, & Commiſſarii ejuſdem Bullæ, *retrorſum vela dare, atque iterare curſus cogor relictos*, atque a priori mea diſcedere ſententia.

Ad hanc porro ſententiam noſtræ contrariam definiendam ea potiſſimum ratione uſus eſt Eminentiſſimus noſter Commiſſarius, quam hic breviter indicabimus, cujuſmodi eſt: Per facultates noſtræ Bullæ Cruciatæ nulla nobis poteſtas defertur pro abſolvendis Caſibus ſpecialiter reſervatis; Caſus autem ſpecialiter reſervati

in hanc materia, in qua agitur de facultatibus Bullæ noſtræ Cruciatæ, non ſunt niſi illi tantum, in quibus habeatur expreſſa derogatio privilegiorum Bullæ Cruciatæ S. per formulam illam. *Non obſtantibus privilegiis Cruciatæ S.* aliamve conſimilem. Quare cum in prædicto Decreto Clementis VIII. ubi memorati Caſus fuere reſervati, nulla hujuſmodi derogatio fuerit appoſita; inde ſequitur Caſus prædictos, non eſſe ſpecialiter reſervatos, in adducto ſenſu; ac proinde poſſe Confeſſarios electos per facultates Bullæ noſtræ Cruciatæ, ab iiſdem Caſibus abſolvere, remittendo tum reatus culpæ, tum cenſurarum vincula iiſdem adnexa.

Laudatiſſimus vero noſter Theologus in epiſtola memorata ad nos tranſmiſſa, cum de noſtra priori ſententia circa abſolutionem dictorum Caſuum loqueretur, duo nobis objiciebat, ſive in noſtris verbis reprehendenda cenſebat I. Uerba illa in laud. Decreto Clementis *quomodocumque, ſub quibuſvis tenoribus* non reſpicere, niſi conceſſiones antea factas, minime vero faciendas. II. Quantum ad conceſſiones privilegiorum poſthac, atque in poſterum impertiendas, illud tantummodo dici in laud. Decreto; non poſſe nimirum abſolvi a memoratis ſex Caſibus *ſine nova, vel ſpeciali licentia*; neque opus eſſe dicitur *nominatim expreſſa mentione illorum*.

At ego, licet in locis laud. Cl. Gabaſſutium ſecutus illa ſcripturierim, quæ re-

reprehendenda cenſuit laudatiſſimus noſter Theologus, poſtea hac occaſione re accuratius expenſa, atque diligentius ſemel atque iterum perlecto memorato Decreto; ita, ſalvo tamen ſapientiorum judicio, adferendum cenſeo. Ex memorato Decreto liquido, atque abſque ulla dubitationis ambage non conſtare, num prædicta Eccleſiaſtica ſanctio reſpiceret tantum conceſſiones privilegiorum ante tempora memorati Pontificis Clementis factas; an etiam poſtea per Apqſtolicam Sedem faciendas. Ac ne quis ſuſpicetur nos pro noſtro arbitratu res confingere; en verba laud. Decreti, quibus expenſis Eruditi Lectores pro ſua ſapientia rem ipſi decernent: *Ne quis, inquit, prætextu privilegiorum, indultorum, ac facultatum, generaliter, vel ſpecifice ſcripto, aut vivæ vocis oraculo, vel per communicationem a Sede Apoſtolica, vel ejus auctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus Secularium, aut ſingularibus perſonis, ſeu alias quomodocumque, ſub quibusvis tenoribus, formis, & clauſulis etiam derogatoriis, ad cujuſvis etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum inſtantiam conceſſarum, ſeu confirmatarum alicui cujuſvis ſtatus, gradus, & conditionis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quam Secularis, etiam Regiæ, vel Imperialis: ab illo ex Caſibus . . . vel alias quomodolibet Sedi Apoſtolicæ reſervatis, aut in fu-*

turum per Sanctitatem ſuam, ejuſve ſucceſſores pro tempore, vel alias reſervandis; nec etiam a Caſibus, quos Ordinarii locorum hactenus reſervarunt, vel in poſterum ſibi reſervabunt, nullo caſu etiam neceſſitatis, vel impedimenti, niſi in mortis articulo, ſeu cum nova, & ſpeciali ſanctitatis ſuæ, aut ſucceſſorum, vel Ordinariorum, quoad Caſus ab ipſis tantum reſervatos reſpective, impetrata in ſcriptis licentia, Ordinariis locorum exhibenda, abſolutionis beneficium de cetero impendere audeat, vel præſumat. Lege noſtras Additiones *Ad Element. Th. Pract. Tom. V. p.* 459. ubi integrum iſtud Decretum retulimus, atque Pontificiam de eodem Declarationem.

Cum itaque, uti ex allatis laud. Decreti verbis non obſcure patet, jure dubitari poſſit, num memotata Eccleſiaſtica Sanctio, ſive Conſtitutio ſit extendenda ad futuras privilegiorum conceſſiones, atque in poſterum edendas, multo magis dubitandum reor, num eadem extendenda eſſet ad conceſſas nobis abſolvendi facultates per Bullam noſtræ Cruciatæ, ut illis derogatum vellet; præſertim cum conceſſio, quæ fit per Bullam Cruciatæ S. ſit favorabilior ceteris, & ſpeciali nota, ſive expreſſione digna, ut ejuſdem privilegiis derogetur, quemadmodum non ignobiles Theologi docuiſſe antea monuimus. Quapropter ſi ita ſeſe res habeat perquam merito noſter Eminentiſſimus Commiſſarius decla-

claravit, ac pro ſua ſapientia, atque auctoritate definivit; allatum ſcilicet Decretum Clementis VIII. non derogare privilegiis, ac facultatibus nobis conceſſis per Bullam noſtræ Cruciatæ, de quibus nulla fit in eo expreſſa mentio; ac proinde per facultates nobis conceſſas in eadem Bulla Cruciatæ poſſe a noſtris Confeſſariis per Pœnitentes eligendis abſolvi prædictos Caſus in laud. Decreto contentos. Etenim in dubiis verſantibus circa conceſſionem privilegiorum in Bulla Cruciatæ Commiſſarium pro ſuo munere, & auctoritate recte poſſe decernere, ac definire quidquid opportunius viſum fuerit, ac menti Pontificis magis conſentaneum jam ante demonſtravimus; & Auctor ipſe memorati Opuſculi diſſertiſſime docet.

Demum poſito, quod laud. Decretum complectatur privilegiorum conceſſiones tum ante tempora Clementis VIII. factas, tum etiam poſtea, atque in futurum deinceps faciendas, atque edendas; quemadmodum in laud. Decreto ad abſolvendos prædictos Caſus, ut decernitur, requiritur, ut de iiſdem abſolvendis in conceſſione detur *nova*, ac *ſpecialis licentia*; ita etiam ad abſolvendum Caſum abortus Ordinario reſervatum requiritur ſpecialis approbatio, ſeu deputatio ab Ordinario facienda; quemadmodum ſancivit Gregorius XIV. in Bulla *Sedes Apoſtolica* edita anno 1591. Quemadmodum ergo ſpecialis iſthæc approbatio, ſeu de-

putatio requiſita ad abſolvendam prædi-
ctum Caſum abortus, non impedit, quo-
minus prædictus Caſus poſſit abſolvi per
generalem facultatem, ſive deputationem
ab Ordinario factam abſolvendi a Caſibus
ſibi reſervatis; uſus enim & conſuetudo
ita interpretatus eſt prædictam conceſſio-
nem, teſte Viva, & Ligorio. *Cap. 1.
De Quinto Decalog. Præcept. n. 397.* ita
etiam in re noſtra ſpecialis licentia re-
quiſita ad abſolvendos Caſus in Decreto
Clementis VIII. contentos impedire non
debet, ut per generalem facultatem no-
bis conceſſam in Bulla noſtra Cruciatæ
abſolvendi a peccatis Pontifici reſervatis,
abſolvi quoque poſſint Caſus prædicti,
cum intercedat auctoritas Eminentiſſimi no-
ſtri Commiſſarii ita interpretantis laud. De-
cretum relate ad Bullam noſtræ Cruciatæ.

Q. XI. *Num per facultatem nobis in Bul-
la noſtra conceſſam mixte diſpenſandi in vo-
tis, ſimplex quoque votum Caſtitatis perpe-
tuæ, ac Religionis poſſit mixte diſpenſari?*

R. Licet diu, multumque hac de re
per nos antea dubitatum fuiſſet; neque
enim nobis perſuadere poteramus, iſtiuſ-
modi facultatem mixte diſpenſandi in hi-
ſce votis, quæ maximi momenti ſemper
habita fuere, indiſcriminatim Confeſſariis
per Bullam Cruciatæ noſtræ eligendis a
Pontifice impertiri; quare ita tempera-
vimus adſert onem noſtram, ut hoc *pro-
babile* tantum, aut ad ſummum *multum
probabile* diceretur; nihilominus nunc di-
ſcuſ-

ſcuſſa quavis dubitatione, in communem ſententiam concedere fixum nobis, deliberatumque eſt; per quam & in hiſce votis & Caſtitatis, & Religionis, Confeſſariis noſtris per Bullam eligendi mixte quoque diſpenſandi facultatem attribui credamus, atque edoceamus.

Ad hanc vero ſententiam amplectendam, cui antea nec aſſentiri, nec aſſuefacere poteram, duo potiſſimum me impulere. I. Auctoritas Eminentiſſimi noſtri Commiſſarii, quæ quanti valeat hiſce in rebus, quivis facillime intelligere potuit ex iis, quæ *Quæſt.* I. hujuſce *Paragraph.* II. in hac I. Appendice diſputata fuere; qui apertiſſime, & abſque ulla verborum ambage declaravit, atque definivit, in omnibus ſimplicibus votis, atque etiam in illis quinque notiſſimis Summo Pontifici reſervatis, ac proinde etiam in voto Caſtitatis, ac Religionis, poſſe Confeſſarios electos per Bullam noſtræ Cruciatæ commutationem impertiri, ſeu mixtam diſpenſationem. Conſule Reſponſum noſtri Commiſſarii ad *Dubium* IV. §. I. hujus Appendicis relatum.

Porro licet nos in noſtra Diſſertatione *Part.* I. §. 2. *qu.* 15 cum priorem noſtram ſententiam proponeremus, qua *probabile* tantum, aut ad ſummum *multum probabile* poſſe mixte diſpenſari in hujuſmodi votis Caſtitatis, ac Religionis evincere conati ſumus, dixerimus, iis, quæ ibi ſcripſimus curaſſe, ut accederet Emi-

nan-

nentiſſimi noſtri Commiſſarii auctoritas, & oraculum, nuſquam tamen dixiſſe memini, noſtrum Commiſſarium declaraſſe, ac definiiſſe, per conceſſionem Bullæ noſtræ Cruciatæ commutari non poſſe ſimplex Caſtitati votum, quod tamen nobis laudatiſſimum Theologum temere affinxiſſe vehementer doluimus. Laud. Opuſculo (*Luce fra le tenebre*) pag. 394.

II. Illud etiam præcipue nos permovit, ut in hanc ſententiam libentius deſcenderemus, quod illud argumentum, quod nos potiſſimum deterruit ab ea amplectenda, re accuratius expenſa, nullius penitus eſſe momenti perſpectum eſt; nec ea plurimum movent, quæ Cl. Covarruvias in medium protulit ad illud defenſandum, atque probandam Regulam illam Canonicam: *Exceptio firmat regulam in contrarium in omnibus aliis caſibus non exceptis* eſſe intelligendam hac ratione; quando nimirum Caſus non eſſent aliunde excepti; Siquidem, ut ipſe, aliique docent; exceptio non facit, ut ſub regula comprehendatur Caſus, qui ſub ea comprehenſus non eſſet, ſi exceptio adhibita non fuiſſet; unde concludendum erat per viam, ut ajunt, exceptionis, vota Caſtitatis, ac Religionis non comprehendi in ea conceſſionis formula, quam Bulla noſtræ Cruciatæ adhibet; quoniam nec comprehenſa fuiſſent, ſi adpoſita non fuiſſet exceptio de votis ſolemnibus. Hæc inquam licet tanti momenti viſa fuerint

Cl.

Cl. Sanchez, ut doctrinam contrariam, quam ipſe tuetur probabilem tantummodo judicarit, non admodum movent; quandoquidem exceptio adpoſita in noſtræ conceſſionis formula, ne prorſus inutilis, & irriſoria reputetur, debet neceſſario aut reſtringere, aut ampliare conceſſionem; non reſtringit, uti patet. Ergo ampliare debet noſtræ conceſſionis formulam, ut extendatur etiam ad vota ſimplicia reſervata; ac proinde etiam ad votum Caſtitatis ac Religionis. Præterea, uti clare deducitur ex illo axiomate communiter recepto apud Canonum Interpretes: *Exceptio declarat regulam eſſe intelligendam de materia exceptionis*. Sed exceptio in noſtræ conceſſionis formula adpoſita eſt de votis ſolemnibus reſervatis. Ergo conceſſio etiam debet intelligi de votis reſervatis; ac proinde de voto Caſtitatis, ac Religionis, quæ præ ceteris Summo Pontifici reſervata fuere. Hæc ſunt itaque, quæ nos præcipue impulere ad memoratam ſententiam amplectendam, quam antea tantum uti *probabilem*, aut *multum probabilem* arbitrabamur; quæque poſtea ex declaratione, ac definitione noſtri Commiſſarii, atque ex allatis rationibus ſatis tuta in praxi reputari debet. Legatur hac de re laudatiſſimus Theologus ſæpius memoratus, qui in laud. Opuſculo (*Luce fra le tenebre*) Diſſertatione III. *Cap.* 3. loquens de ſpecialibus conceſſionibus abſolvendi a Reſer-

ſervatis recenſitam Covarruviæ opinionem aliorumque expendit, confutat, atque argumentis pro ea allatis ſapientiſſime occurrit, licet ipſe ſtet pro opinione huic noſtræ contraria, ut inferius uberius oſtendetur.

Q. XII. *Num in formulam noſtræ conceſſionis Amanuenſium incuria error irrepſerit, atque aliqua vocula ſit dilapſa, quæ ſit ſubſtituenda ad rectam dictorum intelligentiam?*

R. Formulam conceſſionis in Bulla noſtra adhibitam Lectorum oculis iterum hic ſubjiciam de poteſtate conceſſa in vota mixte diſpenſanda ex præſcripto noſtræ Bullæ, ut ipſi recte rem, de qua hic quæritur, percipere poſſint, eamque pro ſua ſapientia definire. Formula autem hujuſmodi eſt: *Concedimus, & indulgemus Chriſtifidelibus prædictis, ut diſpenſari poſſint ſuper votis ſimplicibus per eos emiſſis in alia pia opera rite commutandis, exceptis tamen votis ſolemnibus Religionis, & Caſtitatis.* Noviſſimus quidam Scriptor domo Siciliæ, nomine *Abbas Philippus Nerius Maria Cammarata* anno 1784. Diſſertationem edidit in Bullam S. Cruciatæ Panormitanam, cui etiam ſubtexuit brevem explicationem privilegiorum Bullæ noſtuæ huic Neapolitano Regno conceſſæ. Hic autem referens formulam conceſſionis adhibitam in noſtra Bulla circa vota adjungendam putavit voculam *ac*, eamque inſeruit in dictam formulam, quam inde excidiſſe arbi-

beratur Amanuenſium incuria; hac ratione: *Ut poſſint diſpenſari ſuper votis ſimplicibus per eos emiſſis, in alia pia opera rite commutandis, exceptis tamen votis ſolemnibus*, ac (hæc eſt vocula adjecta, quam excidiſſe putat) *Religionis, & Caſtitatis*.

Anno poſtmodum 1790. laudatiſſimus Theologus, de quo ſaepe mentionem injecimus, ad me reſcribens de quibuſdam Moralibus Controverſiis, de hac adjectiuncula facienda, ſive de prædicto errore Amanuenſium corrigendo me admonuit, ac multis probare conatus eſt hujuſmodi adjectiunculam faciendam, ſive corrigendum hunc manifeſtum errorem; me etiam juſſit Commiſſarium adire, illumque rogare, ut ſua auctoritate curaret de hujuſmodi adjectione facienda, ſive potius errore corrigendo in Summariis Bullæ. Ut morem gererem præclariſſimo Auctori adii Eminentiſſimum noſtrum Commiſſarium, ipſum conſului de propoſita re, ejuſque ſapientiſſimam explicationem formulæ ipſius conceſſionis ad Auctorem præclariſſimum per epiſtolam transmiſi, in qua & de noſtris Moralibus Controverſiis inter nos agebatur. At per illam explicationem minime ſatisfactum dubitationibus, ſive difficultatibus præclariſſimi Auctoris poſtea deprehendi, ac perſpexi. Etenim idem ipſe præclariſſimus Auctor anno poſtmodum 1791. in lucem edens Opuſculum illud in-

inſcriptum *La luce fra le tenebre*, quæ eſt continuatio Operis inſcripti *Batteſimo Laborioſo*, ante editi, ac duobus Tomis comprehenſi Diſſertatione V. §. 3. pag. 394. mordicus inhaeret opinioni de ſupplenda memorata adjectiuncula, ſeu de errore Amanuenſium corrigendo, ac multa accumulat argumenta, quibus probet iſtiuſmodi additiunculæ neceſſitatem, itemque ſuæ adſertionis veritatem. I. Nam poſito, inquit, quod vocula illa *ac* neque exciderit incuria Amanuenſis, neque ſit ſupplenda, ſequeretur iſtud abſurdum, quod votum Religionis eſſet computandum inter Solemnia, cum nemo unus ignoret illud eſſe tantummodo Simplex. II. Inde quoque deduceretur poſſe per noſmet mixte diſpenſari ex facultate Bullæ noſtræ in voto Solemni Paupertatis, & Obedientiæ, cum ſolummodo exceptum ſit votum Solemne Caſtitatis, juxta Regulam Canonicam ſuperius adſertam, ac probatam: *Exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis*; cui autem latere poteſt hujuſmodi facultatem in hiſce memoratis votis nunquam fere impertiri? III. Formula iſthæc conceſſionis non ſuppleta vocula prædicta, inſignem contineret ſermonis improprietatem, cum per ipſam concederetur facultas mixte diſpenſandi in votis Simplicibus, excepto Solemni Caſtitatis III. Quid enim magis improprium, quod exceptio fieret de iis, quæ in Regula conceſſionis non continen-

tur

tur contra commune Canoniſtarum axioma ſuperius allatum. Iiſdem quoque argumentis in epiſtola memorata neceſſitatem prædictæ additiunculæ nobis perſuadere antea conatus fuerat.

At nos tantæ non ſumus auctoritatis, ut audeamus inſimulare erroris conceſſionem Bullæ noſtræ, atque oſcitantiæ ſcriptorem ejuſdem Bullæ, neque ulla cogit neceſſitas hæc audendi. Interim quomodo occurri poſſit difficultatibus ab Inclyto Auctore propoſitis breviter videamus.

Principio præmittenda nobis eſt germana interpretatio formulæ prædictæ conceſſionis, quam multo ante adhibuerat, atque ea occaſione iterum adhibuit Eminentiſſimus noſter Commiſſarius; qua quidem propoſita ingeſtas difficultates ab Inclyto Theologo abire, ceu fumum in auras comperiemus. Illa autem eſt hujuſmodi: per votum illud Religionis exceptum in noſtræ conceſſionis formula, non eſſe intelligendum votum promiſſivum Religionis, ſive ingrediendæ Religionis, uti opinatus eſt Inclytus noſter Theologus; ſed votum *conſtitutivum* Religionis, ſive quæ emittuntur in Profeſſione Religionis, quæque ſunt adnexa Regulæ Monachali juxta *Cap.* Cum ad Monaſterium 6. *De ſtatu Monach.* Sunt autem tria illa notiſſima Obedientiæ, Paupertatis, ac Caſtitatis. Per votum autem Caſtitatis pariter exceptum in noſtræ conceſſionis formula eſſe intelligendum votum illud,

quod

quod emittitur in ſuſceptione Ordinis Sacri docuit etiam ac declaravit noſter Commiſſarius.

Hac autem propoſita germana interpretatione formulæ prædictæ conceſſionis, nihil amplius difficultatis in ea deprehendetur, nec argumenta allata ab inclyto Theologo evincere poterunt neceſſitatem memoratæ additiunculæ; uti breviter oſtendemus. Etenim poſita allata interpretatione, non recte amplius deduci poterit ex formula noſtræ conceſſionis votum ingrediendæ Religionis computandum inter Solemnia; ſiquidem de hoc voto *promiſſivo* Religionis quod apud omnes conſtat eſſe votum Simplex, non ſunt intelligenda verba noſtræ Bullæ; ſed tantum de votis conſtituentibus ſtatum Regularem. Neque recte inde conſequi aliquis dixerit per allatam noſtræ conceſſionis formulam poſſe a Confeſſariis electis mixte diſpenſari in votis Paupertatis, atque Obedientiæ Regularis; cum iſta apertiſſime includantur in exceptione votorum Solemnium Religionis, pro quibus mixte diſpenſandis nihil poteſtatis nobis per Bullam noſtram attributum voluit Summus Pontifex. Neque demum loquendi ratio in Bulla noſtra adhibita, ut minus propria notari, atque accuſari poteſt. Idcirco enim adjecta fuit exceptio votorum ſolemnium Religionis, ac Caſtitatis, ut inde dignoſci poſſent, non in ſolis Simplicibus votis non reſervatis nobis imper-

tiri.

ſtiri mixte diſpenſandi facultatem ; ſed etiam in Simplicibus votis reſervatis Summo Pontifici ; quia Regula intelligenda eſt de materia exceptionis. Etenim ſemper ac exceptio aliquid operetur vel reſtringendo, vel ampliando, recte adponitur, neque ut minus propria dicendi ratio erit taxanda.

Verum illud hic animadvertatur oportet ; quod licet quibuſdam in rebus ab Inclyti Auctoris, ac laudatiſſimi Theologi ſententiis diſceſſerimus, neque nobis vitio id verti poterit, præſertim cum nobiſcum faciat auctoritas Eminentiſſimi noſtri Commiſſarii, neque quidquam ejuſdem Auctoris merito inde detractum putandum erit. Etenim indicata opuſcula in lucem edita a Cl. Auctore ſummo bono publico maximopere commendamus, ipſum de re Morali optime meritum fuiſſe multum gratulamur, cum complures Theologicas controverſias ad praxim ſummopere accomodatas, & ſcitu perneceſſarias Sacerdotibus, præſertim Confeſſarii munus obeuntibus, pertractet, illuſtret, atque reſolvat ; quare auctorſum, ut ab omnibus pervoluntentur.

Q. XIII. *Num præceptum de non permiſcendis epulis ; h. e. carnibus ſimul cum piſcibus non comedendis, Quadrageſimali tempore, aliiſque jejunio dicatis diebus, obſtringat etiam fideles diebus Veneris, ac Sabbathi quibus nulla urgeat jejunii obligatio?*

R.

R. Negat. Atque ita ſane nos olim hac de re conſultos reſpondiſſe meminimus, idque propter apertiſſima verba Benedicti XIV. qui hujuſmodi præceptum antea a ſe editum, & firmatum Conſtitutione *Non ambigimus*, in alia poſtea, quæ incipit *In Suprema* hac ratione explicat, atque ſervandum proponit; ut nimirum illi, quibuſcum ob aliquam legitimam cauſſam diſpenſari contingat ab obligatione a carnibus abſtinendi, in *Quadrageſima, aliiſque anni temporibus, ac diebus, quibus carnium, ovorum, ac lacticiniorum eſus eſt prohibitus* teneantur hujuſmodi præcepto de non permiſcendis licitis, atque interdictis epulis. Quare diebus Veneris, ac Sabbathi, quibus Ovorum, ac lacticiniorum uſus eſt conceſſus fidelibus, non illigantur hujuſmodi præcepto de non permiſcendis epulis h. e. carnibus cum piſcibus non comedendis. Præterea memoratum iſtud præceptum non reſpicit, niſi tempus Quadrageſimæ, alioſque anni dies, quibus jejunium de præcepto ſervandum eſt; quod apertiſſime colligitur ex Epiſtol. Encyclic. quæ incipit *Libentiſſime* ab eodem Pontifice Benedicto XIV. edita §. *Cum hæc ita ſe habeant*. Diebus ergo Veneris, & Sabbathi, quibus nulla jejunandi urgeat neceſſitas atque obligatio, a memorato præcepto de non permiſcendis licitis, atque interdictis epulis fideles ſoluti ſint oportet.

Nu-

Nuper vero non ignobilis Theologus, qui & ad Bullam noſtræ Cruciatæ explicandam non levi ex parte operam contulit, apertiſſime adſeruit memoratum interdictum de non permiſcendis licitis, atque interdictis epulis adſtringere non ſolum ceteris jejuniorum diebus extra Quadrageſimam; verum etiam diebus Veneris, ac Sabbathi per integrum annum decurrentibus. Suam hanc adſertionem confirmat auctoritate ejuſdem Benedicti XIV. qui reſcribens ad Archiepiſcopum Coeſareæ Auguſtæ (vulgo *Saragozza*) anno 1755. ita edixiſſe fertur: *Ex audientia Sanctiſſimi Sanctiſſimi firma remanente diſpoſitione Conſtitutionum Apoſtolicarum, & declarationum ſuper ipſis a Sanctitate ſua editarum . . . quamvis illæ reſpiciant tempus Quadrageſimæ, alioſque anni dies, quibus jejunium de præcepto ſervandum eſt; nihilominus ex alia ratione declarat, eos etiam quibus ex juſta cauſſa permittitur eſus carnium diebus Veneris, & Sabbathis, aliiſque per annum diebus in quibus præceptum non eſt jejunandi, nequaquam poſſe una cum carnibus piſces quoque comedere; niſi forte valetudinis cauſſa, hoc ipſis a medico conceſſum fuerit.*

Ad hujuſmodi tamen hac in re opinionem convellendam merito totus inſurgit præclariſſimus Auctor laud. Opuſculi (*Luce fra le tenebre*) *pag.* 390. ac primo ait, pluribus nominibus haud eſſe

ve-

veroſimile hanc Declarationem prodiiſſe a memorato Pontifice Benedicto XIV. Deinde poſito, quod illa a memorato Pontifiee emanarit, pro certo tamen, atque explorato habendum, quod ipſa vim obligandi non habeat, cum deſit hic promulgatio; quæ neceſſario intercedere debeat, ad novæ legis obligationem inducendam; reſponſionem autem hujuſmodi uni tantum Archiepiſcopo datam ſufficere ad juridicam legis novæ promulgationem nemo unus dixerit.

At vero nonnullis diverſa hac de re opinantibus viſum fuit nimiæ audaciæ, quod Auctor memorati Opuſculi, adeo diſertam, atque expreſſam Pontificiam Declarationem de propoſita quæſtione in dubium revocaverit, aut illam veluti omni vi, ac facultate obligandi, atque ad opus adſtringendi carentem rejecerit, atque reprobaverit. In ſuæ vero opinionis patrocinium adſumunt, atque urgent illud ejuſdem Pontificis Reſponſum ad Poſtulatum I. Archiepiſcopi Compoſtellani ſciſcitabatur enim laud. Archiepiſcopus ab eodem Pontifice Benedicto XIV. *Utrum, quæ in antedictis (Pontificiis) Litteris in forma Brevis de unica comeſtione, & de epulis non permiſcendis præſcribuntur, ſub gravi etiam præcepto probibeantur.* Huic autem quæſtioni hunc in modum reſpondit Pontifex: Reſpondemus: *Concedentes facultatem veſcendi carnibus tempore vetito, ſub gravi teneri eaſdem facultates non aliter* *da-*

dare, quare geminis hiſce adjectis conditionibus, videlicet unicae in dicm comeſtionis, & non permiſcendarum epularum. Eos vero, qui hujuſmodi facultatibus utuntur, ſub gravi ad binas ipſas conditiones implendas obligari.

In quo tamen Reſponſo illud animadvertendum jubent, dixiſſe Pontificem: *Concedentes licentiam veſcendi carnibus tempore vetito*, ut hac loquendi ratione comprehenderet etiam dies Veneris, & Sabbathi; ſiquidem memorati dies, tempus vetitum eſt veſcendi carnibus. Quare non ſolis Quadrageſimalibus Diebus urget memoratum præceptum non permiſcendi licitas, atque interdictas epulas; ſed etiam ceteris diebus Veneris, & Sabbathi, per annum recurrentibus, etiamſi nulla lex jejunii ſit iiſdem impoſita.

Verum enimvero licet memorata loquendi ratio adhibitæ a tanto Pontifice in reſponſione ad Poſtulata Archiepiſcopi Compoſtellani intelligenda videatur, uti patet, relative ad Bullas ab eodem Pontifice editas quarum initia ſunt *In Suprema*, Et *Non ambigimus*, in quibus de Solo Quadrageſimali Jejunio ſermo habetur; atque in reſponſione ad Poſtulatum memorati Archiepiſcopi, apertius indicatur ſermonem eſſe de ſolis Jejuniorum diebus, quibus urgeat præceptum unicae comeſtionis; ſiquidem Concedens facultatem veſcendi carnibus conditione adjecta *Unicae Comeſtionis* concedere illam

 de-

debet; nihilominus, quia nonnulli ſubdubitarunt de eo, quod Auctor laud. Opuſculi probare adnititur, & nos priori loco inſinuavimus, ac reſpondimus, idcirco ſatius nobis viſum fuit ſuſpendere noſtrum judicium de hac memorata quæſtione, donec certiora atque exploratiora ſuppetant argumenta alterutri parti adhærendi. Eruditus tamen Lector pro ſua ſapientia diligentius diſcuſſis pro utraque parte indicatis probationibus, decernat, atque definiat, quid potiſſimum hac in re ſequendum ſit; nam & Sapientiorum Lectorum judicio aliqua committere definienda recta agendi ratio ſuadet, atque expoſcit.

Q. XIV. *An liceat Bullæ noſtræ privilegio piſcibus adipe* (vulgo ſtrutto) *conditis ad menſam uti, ac veſci?*

R. Affirmative quemadmodum olim hac de re conſultus reſpondi, & nunc etiam adſerendum puto. At nobis objiciebatur auctoritas Benedicti XIV. qui in Reſcripto ad Archiepiſcopum Compoſtellanum in reſponſione ad IV. Poſtulatum poſtquam explicaſſet, quænam eſſent epulæ licitæ, quæve interdictæ, adjungit: *Piſcibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia.* Cum itaque hic Pontifex tantummodo facultatem impertiatur una ſimul cum piſcibus comedendi ova, & lacticinia, nihil vero edicat de piſcibus adipe con-

dien-

diendis, non eſt temere hujuſmodi facultas adſtruénda.

Verum hæc nullius ſunt momenti, neque noſtræ refragantur ſententiæ, quemadmodum aperte colligitur ex eodem Pontificio Reſcripto. Siquidem idem Pontifex Poſtulato VI. interrogatus: Utrum hæc lex de non permiſcendis epulis ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere poſſunt ova, & lacticinia, ſic reſpondet: *Reſcribimus: nihil in prænuntiatis noſtris Apoſtolicis Litteris ſtatutum eſſe, quod reſpiciat gratioſum Cruciatæ Diploma. Quare, qui eo gaudent, illius tenorem ſtricte, & conſiderate perpendant, ex ejuſque ſententia ſe gerant.* Cum itaque hic jubeat ſapientiſſimus Pontifex perpendenda eſſe verba cujuſque Bullæ, & quidem *ſtricte*, ac *conſiderate*, cumque nobis ex Bullæ noſtræ privilegio præter conceſſionem ovorum, & lacticiniorum, ſimul etiam peculiari Reſcripto datum fuiſſet, ut Quadrageſimalibus temporibus, aliiſque jejunio dicatis diebus, ut poſſemus uti etiam larido (vulgo *ſtrutto*) ad condiendos cibos, quis jure inficiari nobis poterit, nobis licere uti eo genere condimenti, uti ad inſtruendas ceteras dapes, ita etiam ad piſces condiendos? Verum hæc levia ſunt, neque longiori diſquiſitione opus habent.

Q. XV. *Num Filii-familias, quorum patres ſunt Profeſſores, aut Locupletes, poſſint ſibi accipere Bullam Minorem, eo*

quod Filii familias nihil proprii poſſideant, neque unde aliquid lucrentur, habeant?

R. Negat. Hac de re interrogatus ex longinquis regionibus hunc in modum reſpondi juxta declarationem, atque oraculum noſtri Eminentiſſimi Commiſſarii: Si uxor, ac Filii hominum Locupletum, ac Profeſſorum verſentur in ſtatu impotentiæ, qua de re conſulant propriam conſcientiam, tunc poterunt Patres-familias, aut qui domus curam gerunt, accipere Bullas *Minores* pro ſua familia; illud tamen advertentes, quod ſi poſſint accipere pro eadem familia Bullas *Communes*, non fruentur privilegiis, atque Indulgentiis acceptis Bullis Minoribus.

Atque utinam hujuſmodi declarationes, ſeu reſponſiones, quæ pluries hac de re a noſtro Commiſſario, variis perſonis undique poſtulantibus datæ fuere, alte infigantur, atque penitus haereant animis Diſtributorum; aliquos enim reperi, qui paſſim, atque indiſcriminatim pro Filiis familias ſoleant impertiri hujuſmodi Bullas *Minores*, ea innixi ratiuncula, quia Filii-familias nihil proprii ipſi poſſident, neque habent, unde lucrari aliquid poſſint. Agitur enim hic de modo, ſeu quantitate eleemoſynae conferendae, ſive erogandæ, ut quis frui poſſit privilegiis, atque conceſſionibus noſtræ Bullæ; qua in re ſtandum eſſe definitioni, ſeu taxae factæ per noſtrum Eminentiſſimum Commiſſarium juſſit, atque decrevit Sedes

Apo.

Apoſtolica; uti legere eſt in Bulla noſtræ Cruciatæ.

Nihil tamen adverſus Bullam, aut Concedentis arbitrium admitti reſpondi, ſi deficientibus in aliqua regione Bullis pro Sacerdotibus, quæ neque ex finitimis locis haberi poſſint, ipſis Sacerdotibus dentur Bullæ pro Secularibus addictæ, adjecta manu ipſius Diſtributoris exceptione Hebdomadæ Majoris, quæ exſtat in Bullis pro Sacerdotibus, quibus decurrente Majori Hebdomada ceſſandum eſt a privilegio comedendi ova, & lacticinia. Hanc noſtram reſponſionem adprobavit, atque confirmavit Eminentiſſimus noſter Commiſſarius, hac tamen adjecta conditione, ut prius diligentia adhibeatur, num Bullæ deficientes pro Sacerdotibus ex finitimis locis haberi poſſint.

Atque idem quoque dicendum, ſi deficientibus Bullis *Minoribus*, Bullæ *Communes* accipiantur, ac dentur duobus ſimul, qui pro medietate conferant eleemoſynam definitam pro Bulla *Communi*, quæ medietas eadem eſt, ac eleemoſyna definita pro Bulla *Minori*, ac nomen utriuſque inſcribatur in ipſa Bulla.

Q. XVI. *Utrum Bulla noſtræ Cruciatæ proſit Regularibus?*

R. Bullam noſtram Regularibus utriuſque ſexus nequaquam prodeſſe, niſi quantum ad ſolam Indulgentiarum adquiſitionem.

Controverſia iſthæc nuper excitata

 fuit

fuit, ac de ea noſtram etiam ſententiam rogati fuimus; atque inſuper ut breviter aperiatur quænam deinceps hac in re ſententia tenenda omnibus eſſet in hac nova hujuſce Opuſculi editione adjecta præſertim Eminentiſſimi noſtri Commiſſarii declaratione, ac definitione. Quare propoſita iſthæc quæſtio exactius hic erit nobis diſcutienda.

Primo quidem omnibus compertum eſſe debet, plura nobis impertiri privilegia per Bullam noſtræ Cruciatæ; quæ ad hæc capita commode poſſunt revocari. I. Privilegium veſcendi omnibus tam Dominicis, quam ferialibus diebus Quadrageſimæ ovis, & lacticiniis. II. Ut poſſit nobiſcum diſpenſari ſuper votis ſimplicibus per noſmet emiſſis, in alia pia opera rite commutandis. III. Ut poſſimus etiam virtute ejuſdem Bullæ abſolvi per Confeſſarios ad id eligendos a peccatis, ſive Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis. IV. Participatio omnium, ac quarumvis Indulgentiarum, quæ fuerint conceſſæ Confraternitatibus, atque Sodalitatibus in hoc noſtro Neapolitano Regno exiſtentibus, & conceſſio etiam Indulgentiarum, quæ dicuntur *Stationariæ*.

Itaque quantum attinet ad primam conceſſionem de comedendis ovis, ac lacticiniis, nemini dubium eſſe poterit, quod Regularibus non proſit; cum apertiſſime a communione ac participatione hujuſmodi privilegii per verba Bullæ noſtræ exclu-

cludantur. Dum enim Pontifex in laud. Bulla deſignat perſonas, quibus hujuſmodi privilegium comedendi ova, ac lacticinia conceſſum velit; h. e. Chriſtifideles utriuſque ſexus in Regno noſtro commorantes, aut ad illa declinantes, diſerte inde excipit in priori Bulla præter Archiepiſcopos, Epiſcopos &c. *Cujuſvis Regularis Ordinis Profeſſores*; niſi forte ſexageſimum ſuæ ætatis annum compleverint. Et licet in poſteriori Bulla edita anno inſequenti h. e. 1778. hujuſmodi privilegii extenſio facta fuiſſet ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque inferiores Prælatos, necnon ad Presbyteros Seculares, inde tamen iterum excluduntur Regulares, ut luculenter deducitur ex vocula illa reſtrictiva *tantum*, quæ ibi apponitur hac ratione: *Epiſcopis* &c. *necnon Presbyteris Secularibus tantum.* Huc etiam conferenda erunt, quæ ſcripſimus ad hanc quæſtionem in noſtra Diſſertatione ſæpius laudata *Part. III.* §. *Unic. qu.* 12. 13. & 14. Regulares vero ad Epiſcopatus apicem evectos, etiam ſi nondum attigerint annum ſexageſimum ſuæ ætatis poſſe uti Indulto lacticiniorum per Bullam nobis conceſſo jam ediximus, ac probavimus in ſæpius laud. Diſſertat. *tom. I. Part. III.* §. *Unic. qu.* 14. Quod etiam me interrogante, ac ſciſcitante definitum, atque declaratum fuit a noſtro Eminentiſſimo Commiſſario: Regulares nempe hujuſmodi, uti vere Prælatos, aut

 Epi-

Epiſcopos hac in re habendos eſſe, adeoque gaudere hujuſmodi Indulto, ſive Bulla propria Prælatorum. Adeo ut in iſtis prævaleat qualitas Epiſcopalis; quod non pauci ex Theologis docuerant apud Ferrari in ſua Bibliotheca Verb. *Bulla Cruciatæ n.* 55. Quod enim dignius ad ſe trahere debet minus dignum *Cap.* Si Eccleſia *De Conſervation. Eccleſiæ Vel Altaris in 6.*

Idem quoque dicendum de privilegio, quo mixte quis diſpenſari poſſit in votis ſimplicibus, atque abſolvi a Caſibus Summo Pontifici reſervatis; quandoquidem & iſthæc privilegia Bullæ noſtræ Cruciatæ cum eadem exceptione Regularium nobis impertiuntur: nam propoſita adducta exceptione tum privilegium comedendi ova, & lacticinia, tum etiam mixte diſpenſandi in votis, & abſolvendi a Caſibus Summo Pontifice reſervatis conceduntur, atque in extenſione facta ad Epiſcopos &c. ac Presbyteros Seculares, Regulares, ne nominantur quidem, imo apertiſſime arcentur. Præterquam quod Regulares non indigent facultate, ut diſpenſentur in votis juxta conceſſionem Bullæ noſtræ Cruciatæ; ſiquidem illorum vota ſive ante Profeſſionem emiſſa ſint, & poterunt commutari in perpetuam Religionis obſervantiam. *Cap.* Scripturæ 3. *De Voto &c.* ſive poſt Profeſſionem nuncupata fuerint & tunc poſſunt a ſuis Superioribus infirmari irritatione directa Demum

mum privilegium eligendi Confeſſarium, ſeque a Caſibus abſolvi faciendi per Bullam Cruciatæ conceſſum, nequaquam ſuffragari Regularibus Apoſtolico oraculo declaratum, ac ſancitum fuit per conſtitutionem, quæ incipit *Apoſtolica Indulta*; ut alibi jam indicavimus.

At ſecus omnino dicendum nobis erit quantum ad privilegium lucrandi Indulgentias conceſſas per Bullam noſtræ Cruciatæ; ſiquidem hoc privilegium noſtræ Bullæ Regularibus ſuffragari minime dubitandum. Etenim iſtiuſmodi privilegium lucrifaciendi prædictas Indulgentias confertur omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus utriuſque ſexus in Regno noſtro commorantibus, aut ad illud declinantibus, nulla propoſita exceptione Regularium, quemadmodum factum fuerat in conceſſionibus priorum privilegiorum. Lege Bullam noſtræ Cruciatæ quæ incipit *Catholicæ Eccleſiæ*. Conſonat etiam huic noſtræ ſententiæ communis praxis, qua Regulares ad Indulgentias comparandas Bullas ſibi accipere conſuevere; imo & diſerta declaratio Eminentiſſimi noſtri Commiſſarii.

Q. XVII. *Num facultate Bullæ noſtræ Cruciatæ poſſit a Confeſſario Complice valide abſolvi Pœnitens, qui ex oblivione inculpabili, non confitetur peccatum illud turpe, in quo cum Confeſſario complex extitit?*

R. Quæſtionem iſtam propoſuimus in

Additiunculis interjectis in *Elementa Theolog. Pract. tom. IV. pag.* 474. qu. 3. cum novam illorum editionem adornandam ſuſceperimus; eamque in partem negativam reſolvimus eo inducti argumento; quoniam abſolutio complici collata, *nulla omnino*, *atque irrita* decernitur (Conſtit. *Sacramentum Pœnitentiæ*) ſaltem cum peccatum illud in quo uterque complex extit, ac ſocius, nondum fuerit rite confeſſum, ac dimiſſum. Ergo non ſolum quantum ad illud peccatum, in quo Complex fuit Confeſſarius, verum etiam quantum ad cetera; non ſolum *directe*, verum etiam *indirecte*. Etenim Confeſſarius abſolvens in adducta hypotheſi *indirecte* abſolveret a peccato, in quo fuit Complex.

Hanc tamen ſententiam Cl. Auctor Opuſculi ſaepius laud. (*Luce fra le tenebre pag. 76. n. 59.*) rejicit, ac veluti improbabilem damnat; propterea quod licet memorata Conſtitut. nullam omnino, atque irritam decernat abſolutionem Complici collatam; hoc tamen eſſe intelligendum docet, cum Pœnitens apud Confeſſarium ſe accuſat de illo peccato, in quo Complex extitit; alioquin nec Complex dicendus eſſet Confeſſarius. Deinde licet Pontifex declarat privatum jurisdictione Confeſſarium in hujuſmodi peccati, ac Pœnitentiis genere; hoc tamen intelligendum etiam jubet, *quantum ad hu-*

juſmodi culpam abſolvendam, de qua Pœnitens ſeſe accuſaſſe ſupponitur.

Verum ut nobis videtur, ut ut probabilia ſint allata Cl. Auctoris argumenta, haud tamen plane rem conficiunt. Etenim quod ſancita in laud. *Conſtitut.* ſint intelligenda de eo Pœnitente, qui ſe accuſat apud Confeſſarium de ea culpa, in qua extitit Complex, non vero de illo, qui inculpabiliter omittit ex oblivione, id luculenter non patet ex verbis laud. *Conſtitut.*

Nihilominus a priori noſtra ſententia recedentes libenter concederemus, atque accederemus in ſententiam Cl. Auctoris hiſce permoti rationibus. I. Quia Conſtitutio iſthæc *Sacramentum Pœnitentiæ* eſt maxime odioſa Confeſſariis, quos juriſdictionis legitime quæſitae exercitio privat, quantum ad illam culpam, in qua ſunt Complices, atque etiam quantum ad ceteras, dum illa adhuc dimiſſa non fuerit; quare eſt reſtringenda ad caſus certos, minime vero extendenda ad caſus dubios, qualis eſt caſus propoſitus; juxta notiſſimam illam Regulam: *Odia reſtringi convenit. Reg. Juris in 6.* II. Quia in caſu allato ceſſat, uti videtur ratio Conſtitutionis; quæ fuit, uti patet ex verbis laud. Conſtit. §. 4. ut nim. ex *Sacri Tribunalis Sanctitate quævis turpitudinis occaſio* ſubmoveretur propter nova peccandi pericula, quæ tum Confeſſariis tum Pœnitentibus crearentur ex manifeſtatio-

ne culpæ præteritæ ; & *Sacramentorum contemtus atque Eccleſiæ injuria* propter defectum diſpoſitionum ad valide recipiendum hoc Sacramentum , dum Pœnitens Confeſſario complici manifeſtat peccatum illud , in cujus luto ac voluptate uterque hæſit , ac volutatus eſt .

Q. XVIII. *Utrum facultate Bullæ noſtræ S. Cruciatæ abſolvi poſſit caſus Simoniae in Ordine commiſſæ .*

Antequam propoſitæ Quæſtioni fiat ſatis, in memoriam revocandæ nobis ſunt poenæ a Jure inflictæ adverſus Simoniae crimen in Ordine commiſſum . In Extravaganti II. quæ *incipit : Cum Deteſtabile* , quæ eſt Pauli II. adverſus quoſcumque Simoniace ordinatos decernitur ſuſpenſio ipſo facto incurrenda ab exercitio , atque executione ſuorum Ordinum .

Præterea decernitur , ut omnes , & ſinguli , qui dando , vel recipiendo Simoniam hujuſmodi commiſerint , excommunicationis ſententiam etiam ipſo facto incurrant , a qua niſi a Romano Pontifice pro tempore exſiſtente , non poſſint abſolvi præterqnam in mortis articulo conſtituti *laud. Extravag.* 2.

Poſtea Xyſtus V. anno 1588. ſeverioribus atque gravioribus poenis hoc tam nefarium crimen inſectatus eſt , atque affecit . Etenim in Bulla , quæ incipit *Sanctum* , & *Salutare* cum male promoventes , ac promotos ad Ordines , atque etiam ad primam Clericalem Tonſuram

poe-

poenas decreviſſet graviſſimas præter illas in Jure ſtatutas; adverſus ſcilicet Prælatos hujuſmodi male promoventes, ſuſpenſionem a collatione Ordinum, etiam Primæ Tonſuræ, atque ab executione munerum Pontificalium, atque interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ; adverſus vero indigne promotos ſuſpenſionem perpetuam ab executione, miniſterio, atque exercitio Ordinum ſuſceptorum, atque privationem omnis ſpei, ac facultatis aſcendendi ad alios ſuperiores; atque inſuper irregularitatis poenam ſi in ipſis miniſtrare præſumſerint; etiamſi crimen fuiſſet occultum. Tum facultatem ab hiſce pœnis abſolvendi, in iiſque diſpenſandi, etiam in foro Conſcientiæ tam ſtricto reſervationis genere ſibi, ac Romano Pontifici pro tempore exſiſtenti reſervavit; ut a quocumque ſive Presbytero, ſive Prælato, quavis auctoritate fungente, nec per quæcumque Jubilaea, & Indulgentias etiam pleniſſima, & extraordinarias, & Cruciatæ S., & quocumque alio titulo, modo, & forma hujuſmodi crimen poſſit abſolvi, nec vigore, ac prætextu quarumcumque facultatum; niſi tantum in mortis articulo. Poſtea §. VI. ejuſdem Bullæ eaſdem poenas ſanxit, atque confirmavit adverſus eos omnes, qui aliquem ſimoniace ordinaverint, aut ipſi, interveniente pretio pecunia, & praemio ordinati fuerint.

Et licet Clemens VIII. hujuſmodi Xy-

ſti-

ſtinam Conſtitutionem, poenaſque in illa ſancitas quantum ad male promotos, ac male promoventes juſtiſſimis de cauſſis reduxerit ad terminos Juris Communis per Bullam, quæ incipit *Romanum Pontificem decet* editam anno 1595. nihilominus poenas adverſus ſimoniace promotos, ac promoventes, ſive Ordinatos, ſive Ordinantes inflictas in nihilo innovavit, atque immutavit, ſed in ſuo robore permanere juſſit. Hiſce itaque adnotatis ad propoſitam Quæſtionem.

Reſp. Et dico, Caſum Simoniae admiſſæ in Ordine una cum adjuncta cenſura ſuſpenſionis tum quantum ad recipientes Ordines, quam eoſdem conferentes per ſimoniacam indignitatem, non poſſe abſolvi a Confeſſario electo per facultatem conceſſam in noſtra Bulla abſolvendi a Reſervatis. Etenim in laud. Bulla *Sanctum*, & *Salutare* reſervatur hujuſmodi crimen Summo Pontifici cum expreſſa derogatione privilegiorum quorumcumque, & facultatum quacumque ratione conceſſarum, etiam Cruciatæ S. adeo ut, nec vi iſtorum valeat abſolvi; quod apertiſſime patet ex adductis formulis ejuſdem Bullæ *Sanctum*, & *Salutare*. Quare per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ nequibit abſolvi a Confeſſario electo. Præterea: nequit Confeſſarius electus per facultatem ſibi attributam in Bulla noſtræ Cruciatæ abſolvendi a Reſervatis Summo Pontifici, atque ejuſdem ab-

abſolvere a Caſibus ſpecialiter Summo Pontifici reſervatis ; uti declaravit Eminentiſſimus noſter Commiſſarius . (Vide Reſponſionem ab ipſo adhibitam ad Dubium X.) Caſus autem in hac materia ſpecialiter Summo Pontifici reſervati intelligendi ſunt illi , in quibus adeſt expreſſa derogatio privilegiorum , & facultatum Cruciatæ S., ut idem Commiſſarius per memet ipſum interrogatus expreſſe definivit , quod & nos jam antea ediximus in Reſponſione ad Quæſtionem X. hujuſce I. Appendicis . Ergo cum hic Caſus Simoniae admiſſae in Ordine ſit ex ſpecialiter Summo Pontifici reſervatus in ſenſu allato, nequibit a Confeſſario electo per facultatem noſtrae Bullae abſolvi.

Demum in quibuſcumque conceſſionibus facultatibus, & gratiis , etiam in Caſibus quibuſcumque Sedi Apoſtolicæ , & quomodolibet , etiam in Bulla Cenæ Domini reſervatis, etiam ſub nomine Jubilæi Plenarii, vel Cruciatæ S. abſolvendi facultatem quibuſvis perſonis generaliter , vel ſpecialiter tribuentibus , minime comprehenſus cenſeri debet hujuſmodi Caſus Simoniae in Ordine commiſſae , ſed ſemper inde exceptus, ut decernit idem Pontifex Xyſtus V. in laud. Conſtitutione §. VII. Ergo neque in conceſſione facultatis abſolvendi a Reſervatis Summo Pontifici nobis facta per Bullam noſtræ Cruciatæ Caſus hujuſmodi eſt intelligendus conceſ-
ſus,

ſus, aut comprehenſus, ſed inde etiam exceptus; ac proinde per facultatem noſtræ Bullæ nequebit Caſus hujuſmodi Simoniae a Confeſſario electo abſolvi. Cenſet quidem Leſſius eumque ſecuti Salmanticenſes Appendice Ad *Tractatum VI. de Bulla S. Cruciatæ Cap. 6. Punct. 3. n.* 181. loquentes de Bulla Cruciatæ Hiſpanica, non obſtante prædicta tam expreſſa derogatione poſſe abſolvi Caſum hunc Simoniae, una cum adjuncta ſuſpenſione a Confeſſario electo per Bullam S. Cruciatæ Hiſpanicam; quia, ut ipſi ajunt, Bulla *Sanctum* &c. quantum ad hujuſmodi derogationem non fuit recepta. Sed hoc, cum de noſtris Regionibus, noſtraque Bulla S. Cruciatæ paucis abhinc annis apud nos recepta definire non audeamus, contrarium potius hac in re ſectati ſumus.

Imo videtur quod nec etiam facultate *Cap. Liceat* Tridentini memoratus Caſus Simoniae commiſſæ in Ordine valebit abſolvi. Etenim licet facultas a Tridentino Concilio conceſſa abſolvendi a Caſibus Summo Pontifici reſervatis, dummodo ſunt occulti, locum habere, & vim ſuam exſerere debet etiam in Reſervationibus poſterioribus memorato Concilio, modo in iſtis nulla adjecta fuerit ſpecialis clauſula expreſſe derogatoria dictæ facultatis (Vide quæ per nos dicta fuere in Appendice De facultatib. *Cap. Liceat Tridentini §. II. Qu. 9. Tom. V. no-*

ſtra-

ſtrarum Inſtitution.) Quod reapſe accidit in caſu allato. Etenim in laud. Bulla Xyſti V. *Sanctum* &c. expreſſe derogatur quantum ad hunc Caſum Simoniae facultati Epiſcupis conceſſæ in Cap. *Liceat*. Tridentini ; dum decernitur non poſſe abſolvi Caſum prædictum vigore, & prætextu quarumcumque facultatum, ac privilegiorum etiam Epiſcopis *per Decreta Concilii Tridentini* conceſſorum. Atque adjungitur, quod perſonæ deliquentes a *reatibus* atque *exceſſibus* hujuſmodi non poſſint abſolvi, *præterquam in mortis articulo*, *nec cum iis ſuper irregularitate propter præmiſſa contracta*, *etiamſi crimen penitus occultum fuerit*, *quovis modo valeat diſpenſari*.

At nihilominus plures Theologi, nec exiguæ auctoritatis apertiſſime teſtantur Bullam laud. Xyſti V. quantum ad hanc partem, qua derogatur facultati conceſſæ per Cap. *Liceat* non fuiſſe uſu receptam. Ita Leſſius *De Simon. Dubitat.* 24. *n.* 134. Salmanticenſes *De Simon. Cap.* 4. *Punct.* 2. *n.* 15. Palaus *Punct.* 24. *n.* 4. Suarez. *De Simon. Cap*, 61. *n.* 11. Garcias *De Benefic. Part. VIII. Cap.* 1. *n.* 74. Et noviſſime Illuſtriſſimus ac Piiſſimus noſter Ligorius. *In de I. Decalog. Præcept. Cap.* 2. *De Irregirſit. Dub.* 3. *Art.* 2. *n.* 109.

Quin imo laud. Suareſius, & Garcias proferunt quamdam Declarationem S. Congregationis, in qua dicitur Epiſcopum non poſſe quidem rehabilitare Simoniacum

ad

ad beneficia in poſterum obtinenda, aut ad ea retinenda, quæ per Simoniam occultam obtinuit; poſſe vero abſolvere ſuum ſubditum in Simonia occulta, & rehabilitare ad Ordines, ac beneficia antea obtenta.

Quare ſi haec ita ſeſe habeant retinenda ſunt quæ docuimus, quantum ad abſolutione a memorata pœna ſuſpenſionis, & a reatu hujuſce criminis in laud. Appendice *De facultatib. Cap. Liceat Tridentin.* §. I. Tom. V. *Noſtrar. Inſtitut. pag.* 397. n. 6. Et §. II. pag. 429. n. 3.

Q. XIX. *Num poſſit quis per ignorantiam invincibilem excuſari tum ab hac cenſura ſuſpenſionis incurrenda, tum a reſervatione hujus criminis?*

R. Nemini, uti arbitror, dubium eſſe poterit, quin admittentes crimen Simoniæ in Ordine, ut invincibiliter ignorantes ſuſpenſionis poenam jure ſtatutam adverſus hujuſmodi, eadem cenſura non illigari. Quia juxta Juris præſcriptum ignorantes non ligantur ſententiis h. e. cenſuris, niſi illorum ignorantia craſſa fuerit, aut ſupina. *Cap.* Ut animarum 2. *De Conſtitut. in 6.* Et licet ibi agatur de cenſuris impoſitis per ſtatuta Epiſcoporum, multo tamen magis adducti Decretalis locum haberet debet in cenſuris lege Pontificia latis; neque de ſola cenſura excommunicationis, ſed etiam ſuſpenſionis, & interdicti. Vide Sanchez. Lib. IX. *De Matrimon. Diſput.* 32. *n.* 17. Et Cl.

Pon-

Pontas *in ſuo Dictionar. Cas. Conſcient.* V. Suſpenſio: *Caſ.* 4. Præterea ignorantia probabilis, & juſta h. e. invincibilis reddit excuſatos agentes adverſus legem juxta *Cap.* Apoſtolicæ 9. *De Cleric. Excom. Depoſit. Interd. Miniſtrant.* ſive hæc ignorantia fuerit tantum juris poſitivi, ſive facti, ſive ſolius poenæ cenſuræ. Vide Sanchez *Laud. Diſp.* 32. Quare ignorantia invincibilis ſive juris poſitivi Pontificii ſtatuentis haſce cenſuras excommunicationis, & ſuſpenſionis adverſus committentes Simoniam in Ordine, ſive ſolius cenſuræ, excuſabit ab ea incurrenda.

At quid hac in re dicendum de poena irregularitatis, contrahenda ex violatione ſuſpenſionis, uti decernitur, ſive declaratur, num per ignorantiam invincibilem juris quis valeat ab ea excuſari?

R. Ita quidem ſentire Cl. Sanchez laud. *Diſp.* 32. *n.* 17. ubi probare contendit invincibilem ignorantiam juris poſitivi, non ſolum excuſare a poenis cenſurarum; ſed etiam ab irregularitatis poena, ubi fuerit propter delictum impoſita. At non recte; ſiquidem irregularitas etiam ex delicto non eſt poena medicinalis, ſed primo, & per ſe canonicum impedimentum impoſitum ad decentiam ſacri miniſterii. Quare cum eadem ſit indecentia, ſive oppoſitio cum ſacro miniſterio, quæ conſurgit ex actione patrata cum ſcientia legis Eccleſiaſticæ

ſub

ſub poena irregularitatis prohibentis, quam cum ignorantia ejuſdem prohibitionis, aeque contrahatur oportet tum a ſcientibus jus, & poenam, quam ab ignorantibus aut alterutrum, aut etiam utrumque.

At quid dicendum de reſervatione hujuſce criminis; num per prædictam ignorantiam quis excuſabitur ab ea contrahenda?

R. Affirmativæ parti in hujuſce Quæſtionis reſponſione quivis adhæreret. Etenim cum hic verſemur in reſervationibus Pontificiis, atque agatur de Caſibus a Pontifice reſervatis, qui principaliter reſervationi ſubjiciuntur propter cenſuram; quemadmodum ignorantia invincibilis excuſaret a cenſura incurrenda, laud. *Cap.* Ut animarum *De Conſtitut. in 6.* ita etiam excuſaret a reſervatione Pontificia. Ita communiſſime Theologi nos edocent, imo potius unanimi maxime conſenſu, ſi unum excipias Cl. Concinam, qui unus ex omnibus hanc doctrinam unanimi conſenſu probatam in dubium revocare conatus eſt. Lege Cl. Suareſium. De Penitent. *Diſp.* 29. *Sect.* 2. *n.* 11. Sanchez. in Decalog. Lib. 11. *Cap.* 8. *n.* 5. & *Cap.* 11. *n.* 1. & noviſſime Cl. Ligorium *De Pœnitent. n.* 580. Caſum autem hic de quo loquimur, h. e. de ſimoniace promotis, vel promoventibus ad Ordines habere adnexam cenſuram nemo unus ignorat vel quia habet adjunctam poenam ſuſpenſionis, uti ex laud. Bulla Xyſti V. vel

quia

quia habet adjunctam pœnam excommunicationis; uti ex *Extravag.* Cum deteſtabile inter Communes *tit. De Simonia.* Quare ex adducto principio communiſſime recepto reſpondendum eſſe quivis dignoſcet ignorantem invincibiliter hujuſmodi Pontificias cenſuras, nec etiam reſervationem memorati criminis incurrere. Atque his rationibus innixum me in hanc ſententiam reſpondiſſe memini cum de hac per epiſtolam ab Eximio quodam Theologo fuiſſem interrogatus.

At nihilominus graviſſime obſtitit laud. Theologus, atque litteris ad nos transmiſſis non ſemel hac de re ſuæ opinionis, ac diſſentionis a noſtra ſententia argumenta indicavit, ac noviſſime abuudantiſſime id præſtitit in ſuo Opuſculo, cui titulus (*Luce fra le tenebre*) de quo ſæpius in hac Appendice ſermonem ingeſſimus, ubi totis viribus inſurgit ad rationes; quibus ego innixus me oppoſitum ſentire ſignificaveram, convellendas, atque evertendas.

Tota itaque probationum vis in ſuæ opinionis patrocinium huc recidit. I. Licet Præclariſſimus Auctor non inficietur regulam unanimi conſenſu probatam in Reſervationibus Pontificiis adjuncta etiam cenſura; ut ſcilicet per ignorantiam invincibilem quis excuſetur tum a cenſura, tum etiam a reſervatione; ſecus tamen rem ſeſe habere docet, atque decernit, cum præter morem in Caſibus a Pontifi-

ce

ce reſervatis cum cenſura, ipſum peccatum ſeorſim, atque ſejunctim reſervationi ſubjiciatur: Atque ita rem evenire in caſu propoſito probare contendit. Etenim in laud. Bulla *Sanctum*, & *ſalutare* poſtquam impoſita fuiſſet pœna ſuſpenſionis *ipſo facto* adverſus committentes crimen Simoniæ, aliave ibidem indicata, atque irregularitatis adverſus violantes hujuſmodi cenſuram, gradum deinde facit Pontifex ad reſervandum tam peccatum, quam ſuſpenſionem, atque irregularitatem illis verbis: *Tam abſolvendi, quam diſpenſandi facultatem in caſibus ſuperius expreſſis, etiam in foro Conſcientiæ Nobis, & ſucceſſoribus Noſtris duntaxat reſervamus*. Ac demum poſtquam derogaſſet quibuſcumque facultatibus ac privilegiis adjungit laud. Pontifex: *Inhibentes ne . . . Perſonæ ſic, ut præfertur delinquentes, tam ſcilicet Antiſtites, ſeu Abbates promoventes, quam Clerici male inſigniti, ſeu ordinati a reatibus, & exceſſibus præfatis abſolvi, præterquam in mortis articulo, poſſint*. Quibus verbis ſejunctim, atque ſeorſim iterum reſervatur ipſum peccatum.
II. Producit aliquos ex Theologis id ipſum, quod ipſe contendit ſentientes. Lege Diſſertationem *II. Cap.* 1. *n.* 97. *& ſeqq.*

At ego jam reſponderam per litteras, atque nunc etiam reſpondeo (neque enim a priori ſententia recedere fert animus, donec certius aliquid pateſcat, quo tutius altera controverſia definiri poſſit) reſponderam

ram, inquam, adductis verbis: *Inhibentes ne &c. a reatibus, atque exceſſibus præfatis abſolvi poſſint*, non videri fieri novam reſervationem ejuſdem criminis Simoniæ admiſſæ in Ordine, ſejunctim ab ipſa cenſura, neque id temere ſuſpicandum. Et ſane contextus ipſius Bullæ mihi videbatur, & nunc etiam videtur iſtiuſmodi interpretationem exquirere. Cum enim Pontifex ſibi reſervaſſet facultatem abſolvendi a cenſura ſuſpenſionis, qua memoratum Simoniæ crimen affectum eſt, & diſpenſationem ab irregularitate, ſi contingerit memoratam cenſuram violari per verba illa ſuperius adducta. *Tam abſolvendi* &c. poſtea cum derogatum vellet omnibus, & quibuſcumque facultatibus, ac privilegiis conceſſis abſolvendi tum a cenſuris, tum diſpenſandi ab irregularitate adjungit illa verba, quibus ſpeciatim derogat facultatibus, ac privilegiis hujuſmodi: *Inhibentes*, inquit, §. IV. *ne a quoquam Seculari, vel cujuſvis Ordinis Regulari Presbytero, vel Prælato quavis auctoritate fungente, nec per quæcumque Jubilaea, & Indulgentias, etiam pleniſſima, & extraordinarias . . . & Cruciatæ S. vel quocumque alio titulo, modo, & forma . . ., nec vigore aut pretextu facultatum, ac privilegiorum, Mare Magnum, aut alias quomodolibet nuncupatorum, quibuſvis Ordinibus, Congregationibus, aut perſonis Regularibus, aut Epiſcopis per Decreta Tridentini Concilii . . . ., perſo-*
næ

ſeorſim inſtituiſſe ejuſdem criminis reſervationem, in memoratam abiit ſententiam, quam tanta animi contentione tuetur.

Adjiciebamus in *laud.* Epiſtolis ſuis dubitationibus reſpondendo, quod cum ex doctrina Eximii Suareſii *In De Pœnitent. Diſp.* 29. *Sect.* 2. in Reſervationibus Pontificiis tum cenſuram, tum culpam *in ſe*, & *immediate* reſervari, idem profecto erat in re noſtra, culpam hic ſeorſim, ac ſejunctim reſervari, ut contendit Cl. Auctor, ac reſervari *in ſe*, & *immediate*, quod ad novam ſpeciem reſervationis ſolius culpæ non eſt trahendum. Hæc autem dicta Cl. Auctor maximopere criminatur, ac graviſſime excandeſcit in hæc verba prorumpens: *Falſiſſima, ed evidentemente falſiſſima aſſertiva, ne da veruno mai proferita. Quando ſi riſerva ſeparatamente il peccato, allora la di lui riſerva non dipende dalla cenſura, e queſto lo conoſce ognuno.*

Verum enim vero, ſi Præclariſſimus Auctor pro ſua ſapientia expendiſſet hoc effatum a me non abſolute pronuntiatum, ſed illud me intellexiſſe de Caſu propoſito, de quo agebatur, a tantis turbis adverſus me ciendis fortaſſe ſuperſediſſet. Et ſane Cl. Suareſius, quem ipſe contra producit *loc. cit. n.* 9. Caſum Simoniæ in laud. Conſtitutione tam ſpecialiter reſervatum in medium profert ad probandum culpam *in ſe*, & *immediate* reſervari in Re-

Reſervationibus Pontificiis. Quare tantopere culpandus non videbar, quod in propoſito caſu ita fuerim locutus.

His etiam adjungo, quod ſi, uti contendit, Cl. Auctor ſemper ac reſervatur abſolutio alicujus delicti in Reſervationibus Pontificiis erit intelligendum de eodem delicto, pro ut eſt ſejunctum a cenſura, quicum alioquin eſt conjunctum, ſequeretur quod delictum illius, qui communicat criminoſo in crimine in quod lata eſſet cenſura, eſſet reſervatum etiam, ut ſejunctum a cenſura; ſiquidem in *Cap.* Nuper 29. *De Sentent. Excommunic.* reſervatur ſeorſim, ſejunctim, ac ſpeciatim illius abſolutio. Etenim in laud. *Cap.* dum agitur de communicante cum criminoſo in crimine dicitur: *Cum talis & communicet crimini, & participet criminoſo, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit, ab eo, vel ejus Superiore merito delicti tunc erit abſolutio requirenda, cum juxta Canonicas Sanctiones facientes, & conſentientes par poena conſtringat*. Quod ſi iſthæc abſolutionis reſervatio hiſce verbis ſtatuta intelligenda non ſolum de delicto, ſed de delicto conjunctim cum cenſura, de qua antea mentio facta fuerat; etiam reſervatio abſolutionis facta a Xyſto V. in ſua laud. Bulla de *exceſſibus* illis, ac *reatibus* de quibus loquebatur, intelligenda erit de exceſſibus, & reatibus conjunctim cum cenſuris, quas antea tulerat, ac de quibus

bus locutus fuerat. Quare ſi in *laud. Cap.* Nuper delictum memoratum; cum *in ſe*, & *immediate* reſervatur intelligitur reſervari cum ſua adnexa cenſura; ita etiam in Bull. Xyſti V. cum reſervantur *exceſſus* illi, ac *reatus*, intelligendi ſunt reſervari cum ſua cenſura. Huic argumento, quid reponi poſſit ſane non video.

At vero inquit Cl. Auctor, neminem Theologorum id ipſum in dubium revocare; hic nempe peccatum reſervari ſeorſim a cenſura; non pauci vero id diſerte fatentur, ac docent; uti ſunt Ciera, Cabrinius, Suareſius, Caſtro Palaus, Sanchez. Equidem Theologorum auctoritatem, illorum præſertim, qui inter ipſos probatiores, accuratiores, ac peritiores habentur, ſemper ſuſpexi, ac maximi feci; attamen nullius addictus jurare in verba magiſtri, tum demum illorum placitis adhærere, atque ſententias ſectari propoſitum deliberatumque nobis eſt, cum ratio veritatis, cui unice addictus eſſe debet Chriſtianus Theologus, nos cogat, aut id expoſcat, aut ſuadeat. Jam vero, cum verborum, ac Conſtitutionis contextus, ut oſtendimus, abhorrere videatur ab iſthac ipſorum ſententia, atque interpretandi ratione, haud cogimur illorum anctoritati velificari, aut tantum deferre, ut a ſtudio inquirendæ veritatis avertamur. Quid quod ſi inter recenſitos nuper Theologos, qui potioris ſunt auctoritatis, nobiſcum potius ſentire, quam

cum Cl. noſtro Auctore, cui oppoſitum arriſit, ſtare videantur.

Et ſane, ut ab Eximio Suareſio, quem facile dixeris Theologorum Principem, exordiamur. Is quidem in laud. Tractatu *De Pœnitentia Diſput.* 29. *Sect.* 9. cum *num.* 8. probandum ſibi propoſuiſſet in Reſervationibus Pontificiis, non ſolum cenſuras, ſed culpas ipſias *in ſe*, & *immediate* reſervari; ut id probaret ratione a priori ex intentione Pontificum reſervantium, quæ ex eorum verbis, ac Decretis a nobis colligitur, duo profert exempla. Primum Ex *Cap.* Si quis ſuadente Diabolo 29. *Cauſ.* 17. *qu.* 4. Alterum ex memorata Bulla Xyſti V. *Sanctum* &c. In *Cap.* porro *Si quis ſuadente* oſtendit, ac probat utrumque ſimul; cenſuram nempe, & culpam *in ſe*, & *immediate* reſervari; ac proinde idem ipſum adſerendum patet ex ejuſdem ſententia de altero Pontificiae reſervationis exemplo producto ex laud. Bulla Xyſti V. de quo ſtatim adjecit hæc verba; *Ubi licet, peccatum illud habeat adnexam ſuſpenſionem tamen non ſola ſuſpenſio, ſed etiam culpa reſervatur; ut ex verbis ejuſdem Pontificis ſupra expendimus. Et in hac cenſura per ſe eſt manifeſtum, quia non impedit abſolutionem a culpa, & ideo quantumcumque cenſura reſervata eſſet, nullo modo reſervaretur culpa, niſi reſervatio immediate & per ſe, ut ipſam caderet.* Si quis autem hæc relegens non apertiſſime di-

gno-

gnoſcet Cl. Suareſium hoc ipſum docuiſſe, quod nos contendimus, atque a noſtra quidem ſententia ne latum quidem unquem diſcrepare, jurarem equidem oculis eſſe plane orbatum. Immerito, & contra omne fas producitur Cl. Suareſius veluti nobis contrarius, dum ille nobiſcum amice conjurat.

Quod autem laudatiſſimus Theologus laud *Sect.* 2. *n.* 5. dum velit recenſere Reſervationes Pontificias ſine cenſura præter exemplum productum ex *Extravag.* Inter cunctas, *De Privilegiis* profert etiam Bullam Xyſti V. adverſus male & Simoniace promotos, hoc inde factum eſt, non quia putaret caſum hujuſmodi per ſe ſeorſim, & ſine cenſura reſervari; ſed quia ei potius propoſitum fuerat enumerare Caſus Pontificios reſervatos cum cenſura excommunicationis; proindeque ſubdit: (*Quos ſcilicet* male promotos) *non excommunicat*, *ſed tantum ſuſpendit*. Et paulo poſt adjungit: *Præter has hactenus enumeratas, non invenio Reſervationem Pontificiam ſine adnexa excommunicatione, id vero ſatis eſt ad conſtituendam regulam moralem, quod Pontifices non reſervant, niſi ſimul ferendo ratione illius excommunicationem reſervatam*. Hoc ſane, cum non adverterint nonnulli ex Theologis dictitarunt peccatum hujuſmodi de Simonia admiſſa in Ordine eſſe referendum in numerum illorum, quæ reſervata fuere, aut dicuntur ſine cenſura, aut ſub-

ſubjiciendum regulæ, quam tradunt Theologi de Caſibus, aut peccatis a Pontifice reſervatis ſine cenſura. Quare dum idem Eximius Theologus *n.* 11. *laud. Sect.* 2. ex antea adductis exemplis procudit, ſive ſtatuit hanc regulam generalem, quod ex uſu, ac conſuetudine Pontificum reſervantium utrumque ſimul manſere conjuncta, peccatum nempe & cenſura; & quod ablata cenſura, culpæ quoque reſervatio auferatur, & conceſſa poteſtate abſolvendi a cenſura, cenſeatur quoque conceſſa poteſtas a culpa reſervata, illam vult intelligi quoque de Caſu Simoniae admiſſae in Ordine cujus exemplum antea attulerat cum reliquis, & ex quibus laud. regulam eruit.

Quod vero ſpectat ad Caſtro-Palaum & Sanchez, quos etiam pro ſua ſententia producit Cl. Auctor noſter dico laudatos Theologos nobiſcum potius ſentire, quam Cl. Auctoris opinioni ſuffragari, ac velificari. Quod quidem vel leviter attendenti abunde patebit, licet prima fronte contrarium videatur. Et 1. quod ſpectat ad Caſtro-Palaum; is dum *Tract. II. Diſp.* 1. *Punct.* 17. agit de ignorantia, probat ignorantiam Eccleſiaſticæ legis, aut pœnæ ab illa impoſitæ, excuſare a poena contrahenda; cumque id extenderit non tantum ad pœnas medicinales, uti ſunt cenſuræ, ſed etiam ad irregularitates ex delicto, ceteraſque pœnas ſaltem extraordinarias, atque excedentes ſub. n. 8. in-

8. infert ſecundo, reſervationem abſolutionis factam in odium alicujus peccati non contrahi ab ignorante, ſecus vero, ſi ob commune bonum Eccleſiæ, & rectam illius gubernationem reſervetur. Tunc autem ait fieri reſervationem in odium alicujus peccati, ſi reſervetur peccatum conſtitutione aliqua prohibitiva, & punitiva delicti; uti fecit Xyſtus V. contra male promotos, aut ſimoniace ad Ordines, & Gregorius XIII. contra dantes, aut recipientes pecunias pro gratia a Sede Apoſtolica obtinenda. Hic autem licet videatur agi de peccato Simoniæ, prout eſt affectum ſola reſervatione, nihilominus recenſita Theologi doctrina intelligenda eſt de crimine Simoniæ, prout ſecum ferat reſervationem ipſam, & cenſuram. Quod patet. 1. Quia laud. Thologus conjungit hunc Caſum Simoniæ reſervatum a Xyſto V. cum Caſu reſervato a Gregorio XIII. de dantibus, aut recipientibus aliquid pro gratia a Sede Apoſtolica, quem certum eſt non reſervari, niſi prout eſt affectus excommunicatione cum eaque conjunctus (Vide *Extravag.* Excommunicamus. *Inter Communes.* Bonifacii VIII. tit. *De Sentent. Excommunicat.* Et *Conſtit.* Gregorii XIII. quæ incipit *ab Ipſo*: edita anno 1574.) II. Quia juxta ſententiam laud. Theologi, aliorumque, quos refert Ciera ſolam ignorantiam invincibilem, aut cenſuræ, aut ſolius reſervationis, ſaltem quando eſt in

ſent intelligenda, jam explicuimus, loquentes de Caſtro Palao.

Porro licet minime inficiandum ſit Cl. Ciera apertiſſime edocere, in laud. Xyſti V. Conſtitut. *Sanctum* ſolam culpam, ſive peccatum Simoniæ reſervari, hoc tamen ipſum noſtræ ſententiæ minime officere contendimus. I. Quia dum ipſe exſcribit, proponit, atque ſectandum doceat Syſtema Cl. Suareſii de Reſervationibus Pontificiis, licet ipſe edicat in laud. Conſtitut. ſolam culpam reſervari; nihilominus hoc ipſum intelligendum erit juxta doctrinam Cl. Suareſii; h. e. culpam ipſam, ſeu peccatum Simoniæ in Ordine admiſſæ in laud. Xyſti V. Conſtitut. *in ſe*, & *immediate* reſervari. II. Cum ipſe Ciera doceat, ac probet in quibuslibet Reſervatis, ſive Pontificiis, ſive Epiſcopalibus, ſive cum cenſura, ſive ſine cenſura, invincibilem reſervationis ignorantiam excuſare ab illa incurrenda (lege laud. Theolog. laud. *Diſſert.* I. *Qu.* 3. *n.* 29. 30. & 31.) inde conſequitur, quod unum idemque ipſi fuerit probare culpam ipſam ſolam ibi reſervari, ac *in ſe*, & *immediate* reſervari; etenim in utroque caſu quis per ignorantiam ab incurrenda reſervatione juxta ſuum ſyſtema excuſatur, contra illud, quod contendit laud. Opuſculi Auctor.

Demum de Cabrinio, cujus diſertiſſima verba pro ſua opinione facientia Cl. Auctor producit, haud magnopere laboran-

dum aut curandum nobis erit. Ipſe enim cum nullam ſui effati, atque opinionis probationem afferat, eidem aſſentiri non cogimur recedentes a contextu ipſius Bullæ, atque a probatiſſimorum Theologorum ſententia.

Verum ad hanc controverſiam inter nos, & Auctorem laud. Opuſculi dirimendam accedat judex ſibi non ſuſpectus, & cui maxime ipſe addictus eſſe debet. Is autem eſt Piiſſimus atque Illuſtriſſimus Ligorius, qui *loc. cit. In De Caſuum Reſervat n.* 580. cum propoſuiſſet hujuſmodi quæſtionem, ac memorata ſententia quorumdam Theologorum de Caſu Simoniace promoti, ac promoventis ad Ordines qui accenſent inter reſervatos ſine cenſura, a quo proinde incurrendo non excuſaret ignorantia, adjungit: *Sed melius dicendum cum Palao non incurri* (ſcilicet ab ignorante) *quia in Extravag.* Cum Deteſtabile, *huic crimini poſtea impoſita eſt excommunicatio Papalis*. Sive ergo dixeris hujuſmodi Caſum Simoniæ admiſſæ in Ordine non incurri ab illis, qui invincibili ignorantia illius laborant, aut ratione excommunicationis, aut ratione ſuſpenſionis huic eidem crimini adnexæ, perinde erit, unum idemque valet, ac per invincibilem ignorantiam cenſuræ minime incurri prædictam reſervationem hujuſmodi criminis ſtatutam a Xyſto V. in laud. Bulla *Sanctum* &c. quod & nos ab initio docueramus, & Auctor laud. Opuſculi præfacte negans hac de cau-

cauſa nos accuſat. Illud vero minime probamus, quod laud. Illuſtriſſimus Ligorius huic crimini Simoniæ admiſſæ in Ordine excommunicationem poſtea (h. e. poſt tempora Xyſti V.) impoſitam fuiſſe perdictam excommunicationem per *Extravag.* Cum Deteſtabile *De Simonia*. Id ſane apertiſſime falſum eſt; uti ex Chronologiæ rationibus, ac temporum ſupputatione cuivis liquido patebit. Etenim memorata Extravagans eſt longe antiquior Conſtitutione Xyſti V. ſiquidem illa edita fuit a Paulo II. Veneto, qui integro ſeculo & amplius præceſſerat aetatem Xyſti V. Cum Paulus II. exceſſerit e vita anno 1474. Conſtitutio vero Xyſti V. edita fuerit anno 1588.

Hæc porro, quæ hactenus hanc in rem dicta fuere, ita dicta velim accipias, ut non animo pugnandi, ac contendendi, ſed unice veritatem inveſtigandi, quod Chriſtiano Theologo maxime omnium, imo unice propoſitum eſſe debet, adjecta per nos fuerint, ut Deus teſtis eſt. Ceterum contentionis diſputationiſque funem longius protrahere nolumus. Quod ſi fortaſſe mora longiuſcula detinuimus benignum Lectorem, non inde culpandi, ac reprehendendi ſumus; res enim hujuſmodi, quæ non levis momenti ſit, diligentiorem diſcuſſionem exquirebat; agitur enim hic de poteſtate abſolvendi crimen Simoniæ, ſi quando per ignorantiam invincibilem cenſurarum poenæ non fuerint contractæ.

At nos cum non ii ſimus, ut rem iſtam confeciſſe, aut controverſiam hujuſmodi diremiſſe videamur, illud tantummodo hic conati fuimus, ut utriuſque partis rationes Erudito Lectori proponeremus, ut ipſe pro ſua ſapientia expendat, atque dijudicet, quæ magis ad veritatem videantur accedere. Si enim potior ſibi, ac probabilior videatur opinio Auctoris laud. Opuſculi, adjungat caſum iſtum Simoniæ admiſſæ in Ordine inter illos, qui reſervantur Pontifici nulla etiam adnexa cenſura: adeo ut ab eo incurrendo per ignorantiam licet invincibilem juris reſervantis nemo excuſari poſſit; ſin autem noſtris rationibus perſuaſus in contrariam abibit ſententiam, non recedet a communiſſima inter Theologos regula de duobus tantum Caſibus Pontifici reſervatis ſine cenſura, & ab iſto incurrendo per ignorantiam invincibilem juris reſervantis quilibet excuſabitur.

Q. XX. *Num cenſuræ contractæ propter violationem Clauſuræ poſſint abſolvi ope facultatem nobis in Bulla noſtræ Cruciatæ conceſſam.*

R. Ut propoſitæ quæſtioni apte, ac dilucide ſatisfieri poſſit, plures facti ſpecies ſunt diſtinguendæ ac de ſingulis diſtincte inquirendum, num per facultates noſtræ Bullæ poſſint cenſuræ inde contractæ abſolvi, ac remitti.

Clauſura itaque poteſt violari per egreſ-

ſum

ſum, aut per ingreſſum in Monaſteria Monialium, aut Virorum Religioſorum.

Dico I. *Moniales violantes Clauſuram per egreſſum e Monaſterii ſeptis; h. e. inde egredientes nulla intercedente legitima cauſſa, ac Superiorum facultate, poterunt per facultatem noſtræ Bullæ a Confeſſario ad id electo abſolvi a cenſura inde contracta.*

Et re quidem vera adverſus hujuſmodi Moniales violantes Clauſuram in caſu prædicto ſancita fuit poena excommunicationis per Bullam S. ii. V. quæ incipit *Decori ac honeſtati* editam anno 1570. Hæc excommunicatio licet ſit reſervata Summo Pontifici; uti conſtat ex laud. Conſtitutione: *Excommunicationis majoris latæ ſententiæ vinculo ſtatim eo ipſo, abſqe ulla declaratione ſubjacere, a quo præterquam a Romano Pontifice, niſi in mortis articulo, abſolvi nequeunt*, nemini tamen dubitandum eſſe arbitramur, quin per facultatem attributam Confeſſariis ad id electis per Bullam noſtræ Cruciatæ, poſſit abſolvi, ac remitti. Siquidem per Bullam noſtræ Cruciatæ Confeſſariis ad id electis impertitur facultas abſolvendi ab omnibus peccatis, ſive Caſibus Summo Pontifici reſervatis; niſi forte in illorum reſervatione conſtituenda ſpecialis facta fuerit derogatio privilegiorum conceſſorum per Bullam ru ciatæ S. uti ſæpius declaravit, ac definivit Eminentiſſimus noſter Commiſſarius, & nos antea pluries monui-

nuimus. In Bulla autem laud. S. Pii V. nulla hujuſmodi occurrit derogatio privilegiorum Bullæ Cruciatæ S. Imo neque ullum ſpecialis reſervationis veſtigium. Quare recte poterunt memoratæ cenſuræ contractæ propter cauſſas prædictas abſolvi, ac dimitti per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ. Vide Sanchez *Lib. VI. In Decalogum Cap.* 15. *n.* 76.

Idem quoque dicendum de eadem excommunicationis cenſura ab illis contracta, qui Moniales prædictas Clauſuram violantes per egreſſum e Monaſterii ſeptis, comitati fuerint, vel receptaverint, cujuſcumque conditionis ii fuerint, etiam ipſius conſanguinei; quique ex eadem Bulla Pii V. eadem excommunicatione reſervata illigantur.

At non idem erit dicendum de *Inhabilitate* in quam incidunt prædictæ Moniales ex laud. Bulla ad Dignitates, Officia, aliaſque adminiſtrationes in poſterum obtinendas. Quandoquidem in Noſtra Bulla tantum facultas conceditur abſolvendi a peccatis Summo Pontifici reſervatis, atque a cenſuris ratione connexionis ad peccata in reſervationibus Pontificiis. Hujuſmodi autem impoſitæ *Inhabilitates*, non ſunt cenſuræ *Cap.* Quærenti *de Verbor. Signification.* neque peccata, licet ex peccato ortæ fuerint, ac propter peccatum contractæ. Lege Sanchez *Lib. VI. In Decalogum Cap.* 15. *n.* 78. qui hanc noſtram ſententiam aperte tuetur, ac docet

etiam

etiam ad incurrendas hujuſmodi inhabilitates requiri ſententiam Judicis crimen declarantis *laud. Cap.* 15. *n.* 65. contra communem. Huc facit decretum S. Congregationis Cardinalium Concilium Tridentini Interpretis declarantis Epiſcopos per facultatem Cap. *Liceat* Tridentini, quod refert Garcias De Beneficiis *Part. VIII. Cap.* 1. *n.* 74. per, facultatem inquam, Cap. *Liceat* abſolvendi a Caſibus occultis etiam Summo Pontifici reſervatis, non poſſe rehabilitare Simoniacum ad beneficia in poſterum obtinenda, quæ per Simoniam occultam quis obtinuit, licet poſſit abſolvere ſuum ſubditum in Simonia occulta. Conſulantur ea quæ in hanc rem dicta fuere a nobis in Appendice IV. *De facultatib. Cap.* Liceat *Tridentini* §. 1. *pag.* 398. In Additionibus *Ad Element. Theolog. Practicæ.*

Dico II. *Poterit itidem Confeſſarius electus per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ abſolvere ab excommunicatione ab eo contracta, qui prætextu facultatum ingredi auderet Monaſteria Monialium contra legem Clauſuræ.*

Hujuſmodi excommunicationem ſtatuit, atque ſancivit Gregorius XIII. *Conſtitut.* quæ incipit. *Ubi Gratiæ* edita anno 1775. eamque Summo Pontifici reſervavit; ſi quis prætextu facultatum, aut licentiarum quæ ibidem ſimul omnes revocantur, atque irritantur, ingrediatur Monaſteria Monialium, aut etiam Virorum. Porro nemi-

ci

ni quoque dubitandum, quin & prædictæ excommunicationis vinculum per facultatem noſtræ Bullæ a Confeſſario electo poſſit remitti; ac relaxari. Etenim in laud. Bulla, uti patet, nihil ſpeciale occurrit in ea reſervatione conſtituenda; ſed tantum decernitur, ut hujuſmodi peccatum, & cenſura *a nemine, niſi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo*, poſſit abſolvi; quæ formula generalis eſt, & communis in ceteris omnibus Pontificiis reſervationibus ſanciendis. Pro hujuſmodi autem abſolvendis poſſe Confeſſarios ad id electos uti facultatibus Bullæ noſtræ Cruciatæ certo certius conſtat. Quare, aut nulla omnino facultas per Bullam noſtræ Cruciatæ tribui ad relaxandas, ac remittendas hujuſmodi Pontificias reſervationes, ac cenſuras, aut ſi aliqua nobis attribuatur, ut ex formula conceſſionis in dicta Bulla adhibita liquido conſtat, pro hujuſmodi abſolvendis, ac remittendis omnino valere debet.

Illud vero in diſputationem vocatur apud Theologos; num ſcilicet hac eadem reſervata excommunicatione illigentur illi, qui non prætextu hujuſmodi licentiarum, ſed non ſervatis debitis conditionibus, ac nulla Superoris obtenta licentia, Monaſteria Clauſuræ lege adſtricta ingrediantur. Qua quidem in quæſtione nobis probabilius viſum fuit, & nunc etiam videtur, illos, de quibus hic agitur, non incurrere prædictam reſervatam excommunicationem.

Adean-

Adeantur a nobis dicta in Appendice V. *De Sex Caſibus Extra Urbem intra Italiam* Tom. *V. pag.* 504. *q.* 3. Quare ſi hæc ita ſe habeant cum ingredientibus prædicta Monaſteria abſque ſuperiorum permiſſu, ſed non pretextu facultatum, ad illorum abſolutionem nulla opus erit facultate Bullæ noſtræ Cruciatæ, aliave conſimili, cum ipſi tantummodo incurrant excommunicationis ſententiam a Tridentino ſtatutam *Seſſ. XXV. Cap.* 5. *De Regularibus* ; quia cum iſthæc excommunicatio nemini ſit reſervata, quilibet Confeſſarius cum adprobatus fuerit etiam ſine ſpeciali facultate ab ea poterit abſolvere juxta ſtatutum Cap. Nuper 29. *De Sent. Excommunicat.*

Dico III. *Poſſe quoque Confeſſarios electos per facultatem noſtræ Bullæ Cruciatæ abſolvere a peccato, atque ab excommunicatione inde contracta mulieres ingredientes Monaſteria Religioſorum Virorum.*

Hanc excommuuicationem ſtatuit atque decrevit S. Pius V. Conſtitutione, quæ incipit: *Regularium Perſonarum*, ſibique, ac Romano Pontifici reſervavit per formulam illam communem ac generalem; nim. *A qua* (ſcilicet excommunicatione) *non poſſunt niſi a Romano Pontifice abſolvi, præterquam in mortis articulo*; neque ulla occurrit derogatio privilegiorum Cruciatæ S. alteriuſque generis. Quare dubitandum non eſt illam poſſe abſolvi, ac remitti per facultatem noſtræ Bullæ. Qua-

Quare rectiſſime Cl. Sanchez Laud. *Lib. VI. Cap.* 15. *n.* 76. *&* *Cap.* 17. *n.* 41. docet hujuſmodi excommunicationem poſſe abſolvi, ac remitti per facultatem *Cap. Liceat* Tridentini, ſi ſit occulta, & a Confeſſario approbato virtute Bullæ Cruciatæ. Atque idem docet num. 41. & ſeqq. de ſuſpenſione *a Divinis*, quam incurrerint Superiores Regulares, aut Religioſi admittentes prædictas feminas, etiamſi cenſuræ illæ eſſent deductæ ad forum contentioſum, atque eſſent pubblicæ. Et quamvis in locis indicatis loquatur de Bulla Cruciatæ conceſſa pro Regnis Hiſpaniarum; idem tamen dicendum nobis erit de Bulla Cruciatæ Neapolitano huic Regno conceſſa; cum utraque Bulla impertiatur Confeſſariis ad id electis facultatem abſolvendi a cenſuris Summo Pontifici reſervatis; hoc tantum interpoſito diſcrimine, quod noſtra Bulla id nobis elargitur ratione connexionis cenſurarum ad peccata Summo Pontifici reſervata, illa vero; h. e. Hiſpanica nominatim concedit facultatem abſolvendi a cenſuris.

Dixi in Adſertione: *Mulieres ingredientes*, ut inde quivis agnoſcat, atque definiat non ſolum mulieres ingredientes in prædicta Monaſteria Virorum prætextu licentiarum, ac facultatum illuc ingrediendi comprehendi, atque illigari prædicta cenſura excommunicationis; verum etiam mulieres qualcumque illuc ingredientes

etiam

etiam nullo innixas prætextu, aut virtute hujuſmodi facultatum. Etenim licet Pius V. in laud. Conſtitutione *Regularium Perſonarum* loquatur de ſolis mulieribus ingredientibus prædicta Virorum Monaſteria; attamen alia Conſtitutione edita anno 1570. quæ incipit *Romanum Pontificem* explicans ſuam mentem in prædicta Conſtitutione *Regularium* declaravit ſe voluiſſe comprehendere omnes, & quaſcumque mulieres illuc ingredientes his verbis: *Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium dicimus, ac declaramus fuiſſe, & eſſe mentem, & intentionem noſtram, quòd dictae litteræ* (ſcilicet *Regularium &c.*) *non ſolum comprehenderent, & comprehendant mulieres habentes, ac prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi Monaſteria; ſed etiam omnes, & quaſcumque mulieres alias, tam in genere, quam in ſpecie*. Lege laud. Sanchez laud. *Lib. VI. in Decalog. Cap. 16. n.* 79. Quare per quam merito minime adſentiendum eſſe edicimus Cl. Pontas, qui in ſuo Dictionario *Caſuum Conſciontiæ* Verb. *Excommunicatio*. *Cas.* 47. caſum proponens de quodam Religioſo, qui ſuam neptem introduxerat atque receperat in interiora Monaſterii, docet, ipſam neptem introgreſſam prædicta Monaſterii loca non fuiſſe illigatam hac cenſura excommunicationis per S. Pium V. decreta, ac Religioſum admittentem, ac recipientem non teneri pœna ſuſpenſionis, aliiſque inibi ſtatutis; propterea quod laud.
Pii

Pii V. Conſtitutio *Regularium* ex ſua ſententia non comprehendere dicenda ſit, niſi illas tantum mulieres, quæ illuc ingrederentur prætextu licentiarum, ac facultatum. Verum id libenter condonandum Cl. memorato Auctori, aliiſque paucis contrarium hac in re edocentibus; quippe poſterior Conſtitutio S. Pii V. declarativa prioris ipſorum notitiam effugerit, eamque nuſquam legerint, uti docet Cl. Suareſius. Vide Illuſtriſſimum Ligorium Lib. VII. *Cap.* 2. *De Excommunic.* *n.* 230.

Dico IV. *A cenſura, ac ſpeciali illa reſervatione, qua afficiuntur, atque illigantur violantes Clauſuram ad malum finem, poſſunt quoque Confeſſarii electi abſolvere per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ.*

Specialem hanc reſervationem cenſuræ, ac peccati conſtitutam fuiſſe a Clemente VIII. in ſuo Decreto edito anno 1601. omnes norunt, etiam Tyrones in Theologica facultate, quod Decretum complectitur ſex illos notiſſimos Caſus, qui dicuntur *Extra Urbem, intra Italiam*. De quibus fuſius pertractatum a nobis fuit Appendice V. *In Additionibus Ad Elementa Theolog. Practic. tom. V. pag.* 458. Et licet tam inibi, quam Diſſertatione Hiſtorica Dogmatico-Morali a nobis edita in Bullam S. Cruciatæ Neapolitanæ arbitrati olim fuerimus, nihil juris, aut poteſtatis competere poſſe Confeſſariis electis ad hujuſmodi recenſitos Caſus abſolven-

vendos per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ, ab ea tamen tandem opinione receſſimus propter iteratas Commiſſarii noſtri Eminentiſſimi definitiones, ac declarationes. Vide quæ in hanc rem dicta per nos fuere hac ipſa Appendice I. §. 2. qu. 10. Ubi & rationes etiam attulimus, quibus permoti priori ſententiæ nuntium remiſimus.

Propoſita itaque iſthæc adſertio, eſt veluti proximum corollarium, ſive conſectarium illorum, quæ diſputata, ac probata fuere in hac ipſa Appendice loco indicato. Etenim ſi vera ſunt, quæ eo loci diſputavimus, ac probavimus (de quibus profecto minus dubitare licet propter iteratas Commiſſarii noſtri declarationes, ac definitiones) inde recta ac per ſe nullo cogente ſequitur, poſſe quoque a Confeſſariis ad id electis per facultatem Bullæ noſtræ remitti, ac relaxari reſervationem, ac cenſuram contractam propter violationem Clauſuræ *ad malum finem*. Iſte ſiquidem Caſus violatæ nimirum Clauſuræ *ad malum finem*, licet aliis in Clementino Decreto contentis gravior videatur, eadem tamen reſervatione afficitur, atque alligatur, ut ceteri inibi recenſiti. Quare ſicut in reliquis aliis Confeſſarius electus per facultatem Bullæ noſtræ poteſt abſolutionem impertiri, ita & in iſto.

Quid ſi prædictus Caſus ſit publicus?

℟. Adhuc poſſe per facultatem noſtræ Bul-

Bullæ remitti, ac relaxari. Et ſane privilegium a Reſervatis Summo Pontifici abſolvendi nobis conceditur abſque ulla limitatione ac reſtrictione ad ſolos Caſus occultos. Ergo poterit Confeſſarius electus ab iiſdem abſolvere ex facultate noſtræ Bullæ, ſive occulti ſint, ſive publici; imo etiamſi ſint deducti ad forum contenſioſum. Quemadmodum Cl. Sanchez laud. Lib. VI. *In Decalogum Cap.* 17. *n.* 31. propter eamdem rationem loquens de Bulla Cruciatæ Hiſpanica docet excommunicationem contractam, propter violationem Clauſuræ, ſive ingreſſum in Monaſteria Virorum poſſe remitti, ac relaxari per facultatem Bullæ Cruciatæ Hiſpanicæ, quamvis illa eſſet publica, ac deducta ad forum contentioſum; propterea quod Bulla Hiſpanica, non ſecus ac noſtra Neapolitana impertitur hujuſmodi privilegium abſolvendi a Reſervatis Pontifici abſque ulla limitatione ac reſtrictione, qui præterea plures affert Theologos id ipſum ſentientes, ac docentes, ac ſcite diſſolvit argumenta pro oppoſita ſententia. Lege laud. Theologum. Hanc eandem ſententiam pluribus in locis docent, atque inculcant Salmanticenſes in Appendice ad *Tractat. VI. De Bulla S. Cruciat. Cap.* 6. *Punct.* 13. *n.* 186. *&* *ſeqq.* Et alibi pluries. Imo, quod maximi nobis hac in re faciendum eſt hæc eſt ipſiſſima ſententia noſtri Eminentiſſimi Commiſſarii, qui interrogatus de publico Cle-

Clerici percuſſore, an poſſet abſolvi per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ, definiendo, ac declarando pluries reſpondit poſſe abſolvi virtute Bullæ quantum ad forum internum. Vide quæ ſuperius §. I. hujuſce Appendicis dicta fuere, ubi expreſſam hac de re illius definitionem, ac reſponſionem attulimus. Quapropter minime adſentiendum putamus Auctori Opuſculi (*Luce fra le tenebre*) qui recenſet inter Caſus ſpecialiter reſervatos, a quibus non poſſet quis abſolvi ſine ſpeciali conceſſa facultate, omnes Caſus generali reſervatione affectos, ſi ſint publici, aut deducti ad forum contentioſum. Diſſertatione II. *Cap.* 2. *pag.* 118. *n.* 105. & *Cap.* 5. *n.* 125. *p.* 154. Etenim privilegium, ut optime ratiocinatur Sanchez *loc. laud.* ſine reſtrictione, aut limitatione conceſſum, a nobis limitandum, aut reſtringendum non eſt. Neque argumentum deductum ex *Cap. Liceat* Tridentini, quod facultatem abſolvendi, aut diſpenſandi impertitur pro ſolis occultis, quidquam derogat huic ſententiæ, imo magis illam confirmat; quandoquidem ſi non eſſet appoſita clauſula illa reſtringens conceſſionem ad ſolos Caſus occultos, aeque valeret pro occultis, ac publicis. Lege laud. Theologum *loc. cit.*

Interim tamen illud maximopere advertatur oportet, quod iſtiuſmodi abſolutio collata, etiamſi parti jam ſatisfactum fuerit, valebit tantummodo pro foro in-

ter-

ſum in Monaſteria virorum etiam *ad malum finem*, erit, uti patet ab ea immunis.

II. Certum quoque eſſe debet violationem Clauſuræ per ingreſſum in Monaſteria Monialium *ad malum finem* illigari hac ſpeciali reſervatione ex Clementino Decreto; adeo ut ad hanc cenſuram remittendam, ſive relaxandam opus eſſe facultate Bullæ noſtræ Cruciatæ, aut alia conſimili recte quis decernat. Id liquido conſtat ex verbis Decreti ſupra adductis; adeoque in eo probando haud diutius immorandum.

At quid ſi Monialis contra legem Clauſuræ e Monaſterii ſeptis egrediatur ad turpia perpetranda?

R. Hanc exiſtimo ſubjacere huic legi ſpecialis reſervationis; adeoque non poſſe abſolvi per facultatem generalem abſolvendi a Reſervatis Pontifici, cum inde cenſendi ſint excepti, uti ſanxit idem Clemens in laud. Decreto. Recte tamen dimitti poterit, atque abſolvi per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ, uti jam probatum eſt. Hujuſce adſertionis ea eſt ratio; quia Monialis egrediens e Monaſterii ſeptis contra legem Clauſuræ ad turpia, atque inhoneſta perpetranda, violat, uti patet, Clauſuram Monialium *ad malum finem*; ac proinde ſpeciali iſta reſervatione ex laud. Clementino Decreto illigetur oportet.

Q. XXII. *Num eadem reſervata excom-*

municatione illigetur atque indiget, ut abſolvatur facultate noſtræ Bullæ ille, qui ingrederetur Monaſterium Monialium cum debita licentia, juſtaque intercedente cauſſa, ſed ſimul pravo animo ductus turpia atque inhoneſta perpetrandi.

Si iſte talis ingrediatur præcedente debita licentia, juſtaque cauſſa intercedente, licet ſimul etiam pravo animo ſit affectus perpetrandi turpe aliquid, ſi opportunitas ſeſe obtulerit, quod tamen poſtea non perpetrat deficiente opportunitate, non incidet in hanc reſervatam excommunicationem juxta prædictam Clementis Decretum, quia iſte talis non eſt violator Clauſuræ Monialium, uti patet, licet graviſſime peccet etiam peccato ſacrilegii; pravus enim animus non aufert priorem cauſſam, cui debita etiam acceſſit licentia. Ita Sanchez *laud. Lib. VI. Cap.* 17. *n.* 28. Et noviſſime Ligorius *Lib. VII. Cap.* 2. *De Excommunicat. n. ſub n.* 228.

Secus vero dicendum ſi nulla juſta cauſſa moveretur ad ingrediendum; ſed tantum animo turpia agendi; tunc incurreret hujuſmodi reſervatam cenſuram quemadmodum, & ille etiam incurreret, qui habet licentiam ingrediendi Monaſterium ex juſta cauſſa ſi nullatenus illius gratia ingrederetur Sanchez *loc. cit.*

At quid dicendum de illo, qui ex legitima facultate, juſtaque de cauſſa introgreſſus Monaſterium, re peracta, ac finito ne-

negotio, diutius ibi immoretur ad malum finem?

R. Norunt omnes, ingredientes hujuſmodi Monaſteria ex legitima licentia adſtringi completo negotio ad exeundum; alias peccabitur, uti recte docet Bonacina *De Clauſur. Monialium Qu.* 4. *Punct.* 4. *n.* 22. contra obligationem Clauſuræ; quia licentia non eſt conceſſa, niſi ob juſtam cauſſam, quam jam deſiiſſe, ac ceſſaſſe ſupponimus. Id tamen Cl. Sanchez laud. *Lib. VI. Cap.* 16. *n.* 69. morali modo jubet eſſe intelligendum; nam propter aliquantulam moram etiam ex curioſitate vult hujuſmodi eſſe excuſatum. Ad propoſitam itaque quæſtionem, ut reſpondeamus.

Dico: Eum, de quo in caſu quæritur, illigari ea cenſura reſervata excommunicationis juxta Clementinum Decretum; pro qua abſolvenda, ſive relaxanda indigeat facultate Bullæ noſtræ Cruciatæ. Et ſane violatio Clauſuræ *ad malum finem* ſubjicitur legi illi ſpecialis reſervationis in Clementino Decreto, uti patet ex ejuſdem ſupra adductis verbis. Sed ille, de quo in propoſito caſu violat Clanſuram *ad malum finem*; ſiquidem dum ille diutius immoratur intra Monaſterium tranſacta neceſſitate, & completo negotio peccat adverſus obligationem Clauſuræ; uti ex Bonacina ſupra retulimus; h. e. violat legem Clauſuræ perverſa abductus cogita-

tione, atque intentione turpia perpetrandi. Atqui hoc eſt violare Clauſuram ad malum finem. Ergo immunis non eſt a reſervata illa excommunicatione ex Clementino Decreto. Quapropter indiget abſolvi per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ, aliamve conſimilem. Hanc opinionem, quam hac in re ſelegimus non ſolum eſt probabilis probabilior, imo & probabiliſſima, ut illam rectiſſime appellat laud. Bonacina, qui inter rigidiores Theologos numquam audiit; quare ſapiens lector non facile patiatur ab ea divelli. Et licet in Appendice V. *De ſex Caſibus Clementis VIII. pag.* 513. *tom. V. In Additionibus* &c. contrariam potius hac in re inſinuavimus ſententiam, Cl. Sanchez, ac Ligorium ſecuti, nunc re melius diſcuſſa, ad hanc, quam hic prætulimus, declinavimus ſententiam, eaque eſt, quæ nunc animo ſedet, & ſedebit, quidquid alii ad eam convellendam in contrarium adducant. Idem potiori ratione dicendum erit de eo, qui præhabita legitima licentia introgreſſus Monaſteria Monialium, poſtea rem habeat cum aliqua ex Monialibus, licet contrarium doceat Sanchez *loc. cit.* idque licet antea deduxerim ex ipſa ratione legis; h. e. ex fine Clauſuræ; uti videre eſt laud. Appendice *loc. cit.* nunc prætermiſſa hujuſmodi argumentatione, quæ parum firma eſt, dum agitur de pænalibus, atque odioſis ſtando ipſiſſimis verbis Decreti reſervantis,

hoc

hoc ipſum, quod docuimus, ſatis liquere putamus.

Dices cum Auctore Opuſculi (*Luce fra le tenebre pag.* 104.) in Reſervationibus non valet argumentum *a fortiori*, & multo minus *a pari*; quia in pœnalibus & odioſis, qualia ſunt cenſuræ reſervatæ, non eſt facienda extenſio de caſu expreſſo ad caſum non expreſſum, licet graviorem, juxta notiſſimam illam juris Regulam: *Odia ſunt reſtringenda*. Reg. 15. *Juris in 6.* Poena enim dependet a voluntate legislatoris, non a ratione legis. Quare cum legislator reſervationi ſubjecerit ingreſſum ſine debita licentia in Monaſteria Monialium; qua ratione poterit inde deduci, quod qui illuc introgreſſus ex Superiorum permiſſu rem habeat cum Moniali, ſubjiciatur eidem reſervatæ excommunicationi. Ita contra nos tacito nomine argumentatur Cl. Auctor.

R. Cum in Clementino Decreto reſervationi ſubjiciatur *Violatio Clauſuræ Monialium ad malum finem*, & in caſu propoſito verificentur adamuſſim verba Decreti, ſive iſthæc violatio Clauſuræ *ad malum finem*, qui id doceat minime argumentatur a *ſimili*, aut a *majori*; ſed adhæret, atque inſiſtit verbis ipſius Decreti, a quibus licet poenam infligentibus recedere nefas eſt, quippe quæ legislatoris voluntatem nobis patefaciunt. Neque porro fit extenſio ad caſum non expreſſum, quæ in pænalibus, atque in odioſis

 paſ-

paſſim fieri non debet ; ſed ipſe Caſus expreſſus in propoſita a nobis ſpecie occurrit, atque deprehenditur , qui a Legislatore prohibetur, damnatur , ac ſpeciali ratione reſervatæ cenſuræ ſubjicitur. Neque demum a ratione legis repetitur memorata poena contra ſpeciem a nobis adductam ; ſed ab ipſa voluntate Legislatoris expreſſis verbis nobis manifeſtata . Quare licet Decretum Tridentini (*laud. Seſs. XXV. Cap.* 5. *De Regularibus*) ceteraeque Pontificiæ Conſtitutiones loquantur , uti patet , de violatione Clauſuræ per egreſſum , aut ingreſſum in Monaſteria, Clementis tamen Decretum poenam decernens adverſus quoſcumque violatores in genere , atque ſubjiciens huic reſervatæ excommunicationi violationem in genere , haud dubium videtur , quin non ſolum violationem Clauſuræ per ingreſſum, aut per egreſſum comprehendere voluerit ſed poenas præterea extendere voluerit ad quaſcumque Clauſuræ violationes ; ac proinde ad Caſum propoſitum de quo loquimur ; cum quis ex Superiorum permiſſu ingrediens , ac juſta de cauſſa , intra Clauſuræ ambitum diutius, quam par eſt, immoretur animo turpia perpetrandi . Atque hac explicatione Decreti obviam itur argumentis , quæ urgent Cl. Sanchez, ac Ligorius ad oppoſitam huic noſtræ ſententiam confutandam .

Q. XXIII. *Quo pacto ſint intelligenda ver-*

verba illa in formula conceſſionis noſtræ Bullæ: Atque etiam in mortis Articulo.

R. Formulam conceſſionis in noſtra Bulla adhibitam pro conceſſione facultatis ad abſolvendum a Pontificiis Reſervatis diligenter excuſſimus, ac diſerte explicavimus, quomodo eſſet intelligendum illud *Bis in vita*, & quomodo poteſtas abſolvendi ab iiſdem Reſervatis in mortis articulo computanda ſit inter privilegia nobis per Bullam noſtram conceſſa. Vide quæ hac de re dicta per nos fuere in noſtra Diſſertatione *Part. I.* §. *Ult. qu.* 4. 5. *&* 6. Quibus etiam acceſſere iteratæ, ac ſæpius repetitæ Eminentiſſimi noſtri Commiſſarii definitiones, ac declarationes explicationi per nos propoſitæ maxime conformes, quæ legi poterunt in hac ipſa Appendice §. I. Interim in propoſita conceſſionis formula illud adhuc ſupererat explicandum, quod modo eſt nobis inquirendum, quod cum obſcurum ſit, & ambiguum in plures poſſet ſententias detorqueri. Hujuſmodi autem eſt illud: *Atque etiam in mortis Articulo*. Etenim hic dubitabatur, & quidem merito, an poteſtas hic conceſſa abſolvendi a Reſervatis in Articulo mortis ſit limitanda ad duas vices, juxta facultatem conceſſam tempore vitæ, an ad unam tantum, an intelligenda ſit conceſſa ſemper ac incidat mortis periculum, modo non expiraverint Bullæ privilegia, cum nulla nu-

meri apponatur limitatio, quæ tamen apponitur dum agitur de tempore vitæ.

Hac ſane de re in noſtra Diſſertatione *loc. cit. qu.* 4. ita reſponſionem noſtram temperavimus, ut nihil certi, ac definiti propoſuerimus; ſed allatam formulam ita intelligi poſſe inſinuavimus, ut poſſet illa extendi vel ad quodcumque tempus, quo mortis inciderit periculum, ſive incurrerit articulus, modo perdurent privilegia ipſius Bullæ, vel ad duas vices juxta conceſſionem factam tempore vitæ, vel ad ſemel, ſive unam tantum vicem reſtringi; neque enim eam rem definire auſi fuimus, cum nobis certius non conſtaret, quo ſcilicet modo illa potius eſſet intelligenda.

At nunc, ne in incerto vagemur, atque in ambiguitatibus verſemur, ac ſimus ea in re tamquam parvuli fluctuantes, quod ſane quam maxime dedecet Virum Theologum, formulam memoratam, cum noſtro Eminentiſſimo Commiſſario communicatis dubitandi rationibus, illam definiri ſua auctoritate curavimus, ut ambiguitatibus omnibus rejectis, atque reſectis ſciat unuſquiſque, ubi certo pedem figere poſſet, ac rectæ, germanæ, atque authenticæ ejuſdem noſtræ Bullæ formulæ adhærere interpretationi.

Noſter itaque Eminentiſſimus Commiſſarius hac de re per memet ipſum interrogatus ita rem definiit, atque hac ratione adductam formulam interpretandam de-

decrevit, ut perdurantibus eodem anno privilegiis Bullæ non ſolum *bis* in vita poſſit quis per Confeſſarium electum in vim ejuſdem conceſſionis a Reſervatis Summo Pontifici abſolvi; ſed etiam quotieſcumque eodem anno mortis inciderit periculum, aut mortis articulus incurrerit.

Huic ſapientiſſimæ interpretationi, quo libentius adhæreamus, eamque ſecurius amplectamur illud potiſſimum facit, quod nihil conformius menti Pontificis Bullam nobis elargientis, prout verbis exprimitur, afferri potuit. Etenim cum agendo de vitæ tempore facultas abſolvendi a Reſervatis Pontifici limitetur ad duas tantum vices, perdurantibus eodem anno ejuſdem Bullæ privilegiis: *Bis in toto vitæ decurſu*, & circa mortis articulum nulla apponatur limitatio, aut reſtrictio ad aliquas vices, recte rectiſſime definitum fuit a noſtro Commiſſario, ut quotieſcumque inciderit periculum, atque articulus mortis, quilibet in eo conſtitutus poterit a Reſervatis Pontifici per facultatem Bullæ noſtræ abſolvi.

Quapropter minime adſentiendum edicimus Cl. Auctori Opuſculi (*Luce fra le tenebre*) qui Diſſertatione V. *De Bulla Cruciatæ Regni noſtri* §. 4. loquens de facultate abſolvendi a Reſervatis Pontifici, ut recte noſtram interpretationem de formula illa *Bis in toto vitæ decurſu*, quam & auctoritate Eminentiſſimi noſtri

Commiſſarii communitam attulimus, ceteris omnibus per alios adhibitis interpretationibus præfert, ita non recte loquendo de poſtrema parte adductæ formulæ: *Atque etiam in mortis articulo*, facultatem pro ea temporis circumſtantia collatam reſtringit ad ſemel, ſive ad unicam tantum vicem perdurantibus eodem anno privilegiis Bullæ in hunc modum decernens: *Il ſenſo dunque di detta clauſula è, bis in vita, & ſemel in morte per quamlibet Bullam*. Libentiſſime tamen condonandum id erit Cl. Theologo, quod illa de propoſita quæſtiuncula ſecutus fuerit interpretationem, quæ ſibi viſa fuit veroſimilior; rectius tamen ſeſe geſſiſſet, ſi noſtris inſiſtens veſtigiis ſe temperaſſet ab ea definienda, ne cogeretur evulgata definitione, atque interpretatione noſtri Eminentiſſimi Commiſſarii palinodiam canere ſui dicti. Sed hæc obiter dicta ſint, ut præclariſſimi Auctoris Opuſculum, quantum fieri poterit, inoffenſo pede percurri poſſit.

Interim duo hic advertantur oportet, quæ propoſitam Eminentiſſimi noſtri Commiſſarii interpretationem magis, ac magis confirmant, ac nemini in dubium vel leviter revocandam apertiſſime evincunt. I. Ex principiis admiſſis ab eodem Cl. Auctore rectiſſime conſequitur interpretationem noſtri Eminentiſſimi Commiſſarii optime quadrare in propoſitam quæſtionem. Cum enim Cl. Auctor *loc. cit.* re-

ctiſ.

ctiſſime doceat poſſe Commiſſarium Bullæ S. Cruciatæ *authentice* interpretari, cum res in dubio verſetur; cumque dubium eſſet num recenſita formula: *Atque etiam in mortis articulo* eſſet coarctanda, ac reſtringenda ad unicam tantum vicem, ut opinatus eſt Cl. Auctor, an ad duas vices, ut alii contendebant, an demum ad omne tempus, quo mortis articulus, ſive periculum inciderit, durantibus tamen, uti diximus, eodem anno privilegiis ejuſdem Bullæ, rectiſſime Eminentiſſimus noſter Commiſſarius *authentice* declaravit, atque definivit memoratam conceſſionis formulam eſſe intelligendam de omni tempore, aut de omni ac quacumque vice, qua periculum, aut articulus mortis inciderit.

II. Ex adducta interpretatione, ac definitione noſtri Eminentiſſimi Commiſſarii non ſequi, nimium relaxari Eccleſiaſticam diſciplinam, ejuſque vigorem obtundi, dum conceſſionis formula de poteſtate abſolvendi a Reſervatis Pontifici non ſolum extendatur ad binam abſolutionem forte conferendam eodem anno decurrente, quo vigent Bullæ privilegia, ſed etiam ad omne tempus, quo eodem anno inciderit periculum, aut articulus mortis. Huic enim malo, quod inde ſequi potuiſſet, obviam itur, atque ſatis occurritur per clauſulam illam adjectam in Summariis Bullarum, qua declaratum fuit, ſive decretum hujuſmodi facultatem

abſolvendi a Reſervatis Pontifici tributam Confeſſariis electis in vim Bullæ locum non habituram, neque exercendam cum illo, qui hujuſmodi peccata reſervata admittere minime veretur *in confidentiam* ipſius Bullæ; quemadmodum ſæpius reſponſum fuit a noſtro Eminentiſſimo Commiſſario, ut hoc argumentum, quod poſſet intorqueri adverſus allatas interpretationes, ipſe prius occuparet. Quod quidem, quemadmodum de bina abſolutione tribuenda in toto vitæ decurſu eſſe intelligendum juſſit noſter Eminentiſſimus Commiſſarius, ita & de abſolutione impendenda, quoties articulus, ſive periculum mortis acciderit, quin ſit accipiendum nullus dubito.

Q. XXIV. *Num per facultatem noſtræ Bullæ poſſint Confeſſarii electi abſolvere a cenſura quoque ſuſpenſionis, & interdicti?*

R. Cum in Bulla Cruciatæ pro Regnis Hiſpaniarum conceſſa diſertis, atque expreſſis verbis Confeſſariis virtute Bullæ electis tribuatur facultas tum peccata, tum cenſuras Pontifici reſervatas abſolvendi, jure merito nullus ex Hiſpanicis Scriptoribus in dubium revocavit, num virtute ejuſdem Bullæ poſſent a Confeſſariis electis abſolvi cenſuræ ſive ſuſpenſionis, ſive interdicti; cum ſuſpenſio, atque interdictum cenſuræ ſint, atque inter cenſuras computentur. *Cap.* Quærenti 20. *De Verb. ſignificat.*

At

At cum in noſtra Neapolitana Bulla nulla de cenſuris mentio fiat, ſed tantum in peccata Pontifici reſervata Confeſſariis electis virtute noſtræ Bullæ facultas tribuatur, inde dubitare coeptum eſt apud nonnullos Theologorum, num prædicta collata facultas de cenſuris etiam reſervatis eſſet intelligenda. Qua quidem in re, rejectis iſtorum injuſtis dubitationibus, nos primi eam prætulimus, atque probavimus ſententiam, qua edoceretur per formulam conceſſionis in noſtra Bulla adhibitam, Confeſſariis electis virtute noſtræ Bullæ facultatem attribui in cenſuras ſimul, & peccata reſervata ratione connexionis, quæ inter utrumque intercedit in Pontificiis reſervationibus. Vide, quæ in hanc rem dicta per nos fuere in ſæpius laud. noſtra Diſſertatione *Part. I. §. Ultim. qu. I.* Quam noſtram ſententiam lætandum nobis eſt, quod illam & confirmavit praxis communis, & auctoritas noſtri Eminentiſſimi Commiſſarii ſuis iteratis reſponſionibus, & in Summariis ejuſdem Bullæ, ubi Pontificiam mentem pro ſua auctoritate interpretando hunc in modum eloquitur recenſendo privilegia noſtræ Bullæ: *Potrete eſſere aſſoluti da' Caſi riſervati al Sommo Pontifice*; caſus autem reſervatos complecti ſimul peccata, & cenſuras Summo Pontifici reſervatas comperta res eſt apud Theologos.

Interim licet ex dictis in laud. noſtra Diſſertatione *loc. cit.* ſatis apte propoſita quæ-

quæſtio diſſolvi , atque expediri poſſit, quia tamen aliqua obeſſe poterat ratio dubitandi, num prædicta facultas Confeſſariis electis per Bullam noſtram conceſſa de illis tantum cenſuris eſſet intelligenda, quæ Pœnitentes a Sacramentorum ſuſceptione repellunt, & aliqua hac de re eſſent enucleatius explicanda, idcirco hunc in locum reſervata eſt propoſita iſthæc quæſtio, cui ut ſatisfiat.

Dico. *Per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ Confeſſarii electi poterunt quoque abſolvere a cenſuris ſuſpenſionis, & interdicti.*

Prob. Per Bullam noſtræ Cruciatæ defertur Confeſſariis eligendis virtute ejuſdem Bullæ facultas abſolvendi non ſolum a peccatis Summo Pontifici reſervatis, ſed etiam ab ipſis cenſuris propter connexionem, quam ordinarie habent cum peccatis in Pontificiis reſervationibus. Ergo quandocumcunque cenſura aut ſuſpenſionis, aut interdicti præ ſe fert hanc connexionem ad peccata Pontifici reſervata, poterit abſolvi una cum ipſo peccato, quicum ſit connexa ipſa cenſura. Hoc autem cum contingat innumeris in caſibus, iiſdem in caſibus, poterunt per facultatem noſtræ Bullæ prædictæ quoque cenſuræ abſolvi a Confeſſariis eligendis virtute Bullæ.

Ut autem ad majorem hujuſce Aſſertionis elucidationem aliqua proferantur exempla I. Poterit Confeſſarius electus per

per facultatem noſtræ Bullæ abſolvere à cenſura ſuſpenſionis lata adverſus Clericos recipientes aliquem ex Sacris Ordinibus ante legitimam aetatem, vel ſine Litteris Dimiſſoriis juxta Bullam Pii II. quæ incipit *Cum Sacrorum*; modo non evaſerit irregularis. Qua de re lege Bonacinam De *ſuſpenſionib. in particulari Punct. I. Prop. 1. n. 9.* Quia ad irregularitatis notam abſtergendam nulla eſt nobis per noſtram Bullam attributa facultas, ut probavimus. Ratio eſt, quia iſtiuſmodi ſuſpenſio eſt vera cenſura impoſita propter gravem culpam indignæ, & contra Canonum præſcripta ſuſceptionis Sacrorum Ordinum. Ita Salmanticenſes Appendice *ad Tractat. VI. De Bulla S. Cruciatæ Cap. 6. n. 179. & ſeqq.* Poſſunt etiam ab hujuſmodi ſuſpenſione Epiſcopi abſolvere, modo provenerit ex delicto occulto juxta *Cap.* Liceat Tridentini; imo etiam publica; quia iſthæc ſuſpenſio ex laud. Bulla Pii II. non eſt reſervata. Et licet Xyſtus V. in Bulla *Sanctum, & ſalutare* edita adverſus male promotos hujuſmodi ſuſpenſionem Romano Pontifici reſervaverit, hanc tamen Bullam temperavit, ſive correxit Clemens VIII. per Bullam *Romanum Pontificem*, eamque redegit ad terminos Conſtitutionis Pii II. Bonacina, & Salmanticenſes, ibid.

At quid dicendum de ea ſuſpenſione, quam incurrerit ille, qui ſine Litteris Commendatiis proprii Ordinarii ab alieno Epi-

ſco-

ſcopo etiam per Reſcriptum ac privilegium Ordines ſuſceperit .

R. Hanc ſuſpenſionem ſancivit Sacroſancta Tridentina Synodus *Seſſ. XXIII. Cap. 8. De Reformat.* his verbis: *Si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi ejus probitas, ac mores Ordinarii ſui teſtimonio probetur. ſi ſecus fiat . . . Ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus* . Hanc itaque ſuſpenſionem per facultatem Bullæ noſtræ a Confeſſariis electis relaxari aut auferri non poſſe arbitramur; niſi etiam acceſſerit licentia illius Ordinarii, cujus commendatiæ litteræ requiſitæ defuere. Ratio eſt; quia iſthæc ſuſpenſio impoſita fuit a Concilio contra hujuſmodi Clericos ita ordinatos ad puniendam illorum audaciam, atque reſarciendam injuriam illatam proprio Ordinario, cujus Commendatiæ litteræ, ſive teſtimoniales quæſitæ minime fuere; atque idcirco ſtatutum fuit a Concilio, ut hujuſmodi ſuſpenſio perduraret, quamdiu proprio Ordinario, cujus auctoritati præjudicatum fuerat, videbitur expedire. Atqui, ſi ſine Epiſcopi licentia & permiſſu per inferiores Confeſſarios etiam ope privilegiorum Bullæ Cruciatæ S. iſthæc ſuſpenſio abſolveretur, injuria irrogata Ordinarii juriſdictioni nullo modo

do videbitur reſarciri, quod in hac cenſura conſtituenda unice, ac maxime fuit propoſitum Concilio. Ergo ſine ejuſdem licentia ac permiſſu, etiam per facultatem Bullæ Cruciatæ S. memorata ſuſpenſio abſolvi non poterit, atque relaxari. Præterea caſus hujuſmodi, ſive cenſura iſthæc ſuſpenſionis ita ſpeciali ratione commiſſa fuit per Concilium juriſdictioni, atque auctoritati Ordinarii, ut omnino ex ejuſdem arbitrio penderet ejuſdem duratio. Atqui ſi Epiſcopo inconſulto, aut non concedente per inferiores Confeſſarios ſuffragantibus etiam privilegiis Cruciatæ S. abſolveretur memorata ſuſpenſio, ab ejuſdem arbitrio non penderet ejuſdem duratio, atque abſolutio. Ergo ſine licentia Epiſcopi atque permiſſu abſolvi non debet.

Idem quoque dicendum erit de ſuſpenſione, quæ incurritur ab eo qui abſque proprii Epiſcopi dimiſſoriis litteris ab alieno Epiſcopo Ordines receperit quandoquidem & ipſe juxta aliquos jubetur manere ſuſpenſus ad arbitrium ſui Epiſcopi. Ita ex Tridentino *loc. cit.* atque ex *Cap.* 2. *Seſſ. XIV. De Reformat.* deducit Cl. Cabaſſutius in ſua *jur. Can. Theor. Et Pract.* 1. *Cap.* 15.

II. Poteſt quoque Confeſſarius electus per facultatem Bullæ noſtræ ab ea abſolvere ſuſpenſione, in quam forte inciderit Clericus *per ſaltum* Ordinatus juxta *Cap.* Tuæ

Tuæ nobis I. *De Cleric. per ſaltum Ordinat.* & communem Theologorum, & juris Canonici Conſultorum interpretationem (Vide Bonacinam *loc. cit. Punct. II. Prop. I.* Et Cl. Gonzalez *Commentar. In laud. Cap.*) Ratio eſt, quia iſthæc ſuſpenſionis cenſura impoſita eſt Clericis hujuſmodi propter violationem vetuſtiſſimæ, & ſapientiſſimæ legis Eccleſiaſticæ, ut quis ad Ordines gradatim promoveretur. Salmanticenſes *loc. cit.* Clericus autem abſolutus ab iſthac ſuſpenſione ſive per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ, aliamve conſimilem recipere poterit Ordinem prætermiſſum; in male ſuſcepto, ſeu *per ſaltum* recepto Ordine miniſtrare, atque ad ſuperiores provehi; hi enim ſunt effectus hujuſce ſuſpenſionis, qui remota cauſſa, ſive ablata cenſura per legitimæ abſolutionis beneficium & ipſi ceſſent oportet. Bonacina *loc. cit. n. 9.*

Ab hac quoque ſuſpenſionis cenſura abſolvere poterit Epiſcopus hujuſmodi male promotos, ſive *per ſaltum*, etiamſi delictum eſſet publicum, modo ita ordinatus non miniſtraverit; h. e. functiones, & miniſteria aut ordinis *per ſaltum* ſuſcepti, aut etiam prætermiſſi non obierit, aut exercuerit; tunc enim fiet irregularis. Ita decernitur in Tridentino Concilio *Seſſ. XXIII. Cap.* 14. *De Reformat.* per hæc verba: *Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſſa poſſit diſpenſare.* Quin imo etiamſi

Cle-

Clericus hujuſmodi per violationem cenſuræ ob exercitium Ordinis Sacri ſive prætermiſſi, ſive *per ſaltum* ſuſcepti, evaſerit irregularis, adhuc tamen Epiſcopus cum illo diſpenſare poterit, modo delictum ſit occultum ex facultate Cap. *Liceat* Tridentini. *Seſſ. XXIV. Cap. 6. De Reformat.* Bonacina *loc. cit. n.* 12. Et Gonzalez *laud. Comment. in Cap.* Tuæ nobis n. *6.*

III. Per facultatem quoque Bullæ noſtræ abſolvi poterunt Clerici ſuſcipientes Sacros ordines extra tempora conſtituta a ſuſpenſione ea de cauſſa contracta juxta laud. Pii. II. Bullam *Cum ex Sacrorum*. Ratio eſt, quia iſthæc cenſura ſuſpenſionis impoſita fuit propter lethalem culpam, quæ admittitur ab hujuſmodi ſive Ordinatoribus, ſive Ordinatis violando haſce ſacratiſſimas Eccleſiæ leges. Ita Salmanticenſes *loc. cit.* Lege Gonzalez in *Cap.* De eo 3. *De Temporib. Ordination.* &c.

Diſputant porro inter ſe Doctores num iſthæc ſuſpenſio ſit Pontifici reſervata necne. Bonacina *loc. cit. Punct. III. Prop.* 3. cenſet ipſius abſolutionem nulla reſervationis lege fuiſſe affectam in Bulla Pii II. Neque etiam ex antiquo Canonico Jure ipſius reſervatio colligi poteſt; ſiquidem *Cap.* Litteras veſtras 13. *De Temporib. Ordinat.* ubi non obſcure indicari videtur iſtiuſmodi reſervatio, præ ſe fert potius, ut ipſe opinatur, reſervationem

ab

ab homine, non *a jure*, de qua poſtrema unice quærendum nobis eſt. At mihi contrarium potius certum perſuaſumque eſt; quoniam *Cap.* Cum quidam 8. *laud. tit. De Temporib. Ordinat.* apertiſſime decernit, atque ſtatuit hujuſce cenſuræ reſervationem; loquens enim de illis, qui a quodam Epiſcopo in die Dedicationis Eccleſiæ Ordines receperant, inquit: *Ordinatos a ſuſceptis ordinibus tamdiu debes reddere expertes, donec apud Nos, vel Succeſſores noſtros reſtitutionis gratiam conſequantur.* Et licet Gregorius IX. *Cap.* Conſtitutioni 16. *tit. eod.* permiſerit Epiſcopis, ut cum hujuſmodi ordinatis poſſint diſpenſare; ut in ſuſceptis tantummodo Ordinibus poſſent miniſtrare, liquido inde etiam adparet Jure ſaltem antiquiori Canonico iſtiuſmodi ſuſpenſionis reſervationem fuiſſe decretam. Lege Gonzalez *Comment.* in *Cap.* De eo 3. *laud. tit. De Tempor. Ordinat.*

Verum, utut ſe res habeat, noſtra nunc magni non intereſt hujuſmodi quæſtiunculam hic definire; quam quidem ſive reſervatam dixeris hujuſmodi ſuſpenſionem, ſive immunem a reſervatione cum Bonacina putaveris, utroque in eventu per facultatem noſtræ Bullæ a Confeſſariis eligendis virtute Bullæ poſſe abſolvi minime dubitandum reor. Poterit etiam Confeſſarius, cui collata fuerit ab Epiſcopo facultas Cap. *Liceat* Tridentini ab eadem ſuſpenſionis cenſura abſolvere, modo delictum hu-

hujuſmodi fuerit occultum; ſiquidem Epiſcopis per Tridentinum conceditur facultas diſpenſandi in omnibus ſuſpenſionibus, & irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, quæ poſſit etiam in alios ex arbitrio Epiſcopi delegari, ut unanimi conſenſu nos edocent Theologi, ac Juris Canonici Interpretes. Vide quæ in hanc rem per nos dicta fuere in peculiari Appendice de hoc argumento *Tom. V. pag.* 362.

IV. Valet quoque Confeſſarius electus ex facultate noſtræ ejuſdem Bullæ abſolvere ab ea ſuſpenſione, quam quis forte contraxerit recipiendo duos Sacros Ordines eodem die, aut aliquem ex Minoribus cum Subdiaconatu Ordinibus, aut etiam Primam tonſuram cum Subdiaconatu. Ratio eſt, quia iſthæc ſuſpenſio lata fuit in punitionem gravis culpæ, qua quis ſeſe obſtringit ſuſcipiendo contra ſanctiones Sacrorum Canonum Ordines non ſervatis debitis, ac præſcriptis interſtitiis. Tridentinum *Seſſ. XIII. Cap.* 11. *De Reformat.* Quam legem antiquiſſimam fuiſſe in Eccleſia probat, ac docet Gonzalez. *Comment. in Cap.* Dilectus 14. *De Temporib. Ordination.*

Iſthæc porro ſuſpenſio adverſus hujuſmodi Clericos qui ſanctiſſimas Eccleſiæ leges violare hac in re minime formidaverint decernitur in *Cap.* Litteras veſtras 13. Et *Cap.* Dilectus filius 14. *De Temporibus Ordinat.* & apertiſſime conſtat ex verbis

ipſis

ipſis Canonum laud. & recte docet, ac probat memoratus Bonacina *loc. cit. Punct. VI. Prop.* 1. *n.* 7. illam Summo Pontifici reſervari; licet alium effectum non pariat iſthæc ſuſpenſio, quam ut impediat exercitium tantum illorum Ordinum, qui eodem die illegitime recepti fuere, quemadmodum conſtat ex laud. juribus, atque ex *Cap.* Cum. H. 2. *De eo qui furtive* &c. & rectiſſime etiam docet laud. Bonacina; qui tamen in eo peccat, cum reſervationem iſtiuſmodi cenſuræ conſtitutam in laud. *Cap.* Litteras, velut cenſuram *ab homine* latam acceperit; hic vero velut *a jure* decretam, uti revera eſt, nobis præſeferat.

Licet autem memorata ſuſpenſionis cenſura fuerit Summo Pontifici reſervata, uti jam probavimus, haud dubium tamen eſſe poterit, quin per facultatem Bullæ noſtræ poſſit abſolvi; ſiquidem ex Apoſtolica benignitate in laud. Bulla noſtræ Cruciatæ confertur nobis poteſtas abſolvendi a peccatis Summo Pontifici reſervatis, & conſequenter etiam a cenſuris, quæ in reſervationibus Pontificiis conjuncta fere ſemper fuere; etenim ſicuti hæc duo ſimul, & conjunctim reſervantur, ita & poteſtas ab iiſdem abſolvendi. Idem quoque dicendum de ſuſpenſione contracta a Clerico, qui *furtive* h. e. Epiſcopo non approbante Ordines recepit juxta *Cap.* 1. 2. *&* 3. *De eo qui furtive* &c. quæ ſuſpenſio eſt etiam Pontifici reſervata uti
poſt

poſt Suareſium docet Cl. Gonzalez. *Comment.* in *Cap.* 3. *tit. laud.* Poterit etiam Confeſſarius, ſi voluerit, uti ad iſtam utramque memoratam cenſuram remittendam, ac relaxandam facultate Cap. *Liceat* Tridentini, modo delictum fuerit occultum; quod cum conſtet ex ſuperius dictis, probatione non indiget.

Idem quoque dicendum non ſolum de excommunicatione illa, quam incurrent forte laici, qui colligunt ſtipendia majoris pretii pro Miſſis celebrandis juxta locorum conſuetudines, & retenta ſibi parte eorumdem alibi, ſive ibidem, ubi minora ſtipendia dantur pro Miſſis celebrandis, eaſdem Miſſas celebrari fecerint; verum etiam de ſuſpenſione, quam incurrent Clerici propter eamdem cauſſam ipſo facto Pontifici reſervatam juxta Conſtitutionem Benedicti XIV. quæ incipit: *Quanta cura* editam anno 1741. Has quoque pænas, ſive cenſuras per facultatem noſtræ Bullæ poſſe remitti, ac relaxari nemo dubitabit propter eaſdem rationes.

Qua quidem in re illud maxime advertatur oportet, quod quidam ex Theologis haſce poenas referentes ſua loquendi ratione, quam adhibent, illud videntur inſinuare, quaſi velint has poenas incurri ab iis omnibus, qui Miſſas celebrari fecerint minori ſtipendio, quam ipſi receperint, retenta ſibi parte ejuſdem ſtipendii.

dii. Hanc loquendi rationem adhibet Lucius Ferrari in Bibliotheca Ad Verbum *Miſſæ Sacrificium Art.* 2. *n.* 16. Hanc quoque loquendi rationem videntur ſervaſſe Piiſſimus, atque illuſtriſſimus Ligorius Lib. VI. *Tract.* 3. *De Euchariſt. Cap.* 3. *Dub.* 1. *n.* 321. atque Cl. Auctor laud. Opuſculi (*Luce fra le tenebre*) Diſſertatione II. *Cap.* 9. *n.* 145.

At pace tantorum Virorum, ſi candide loqui fas ſit, quod ſentimus, dicimus ipſorum hac in re loquendi rationem aperte repugnare menti ipſius Pontificis, atque ab ejuſdem Bullæ verbis longius aberrare. Etenim mens Pontificis fuit, atque ejuſdem Bullæ verba ſatis aperte indicant, recenſitas poenas intendi, atque decerni non adverſus quoſcunque, qui Miſſas celebrari fecerint minori ſtipendio, quam ipſi receperint, retenta ſibi parte ejuſdem ſtipendii, ſed adverſus eos tantum, qui avaritiæ ſpiritu extimulati quamdam nundinationem, ſeu mercaturam exercent in hujuſmodi Miſſarum ſtipendiis, ſive elemoſynis, eaſdemque colligentes, ubi majoris pretii ſtipendia tribui ſoleant, Miſſas celebrari curent eo loci ubi pro Miſſis celebrandis minoris pretii ſtipendia attributa ſint. Quod quidem, niſi fallor, liquido patet tum ex mente ipſius Pontificis, tum ex verbis ejuſdem Bullæ. Et ſane ipſe laudatiſſimus Pontifex apertiſſime profitetur ſe velle occurrere huic enormi abuſui, quem ibi enar-

enarrat alicubi inoleviſſe, & quem poenarum Eccleſiaſticarum atrocitate propoſita compeſcere conatur; eorum nempe, quorum avaritia eo uſque progreſſa fuerat, *ut eleemoſynas quidem, ſeu ſtipendia propter Miſſarum celebrationem, juxta locorum conſuetudines, vel Dioeceſanarum Synodorum Sanctiones colligerent ... Miſſas vero celebrari curarent alibi, ubi eleemoſinæ, ſive ſtipendia, vel conſuetudine, vel Synodali lege, pro ſingulis Miſſis attributa ſint minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur*. Quod erat profecto nundinationem quamdam, aut mercaturam exercere in hujuſmodi eleemoſynis deſtinatis pro Miſſis celebrandis; quemadmodum loquitur idem Pontifex; *mercaturis faciendis* §. 2. Et dum §. 5. pænas decernit adverſus hujuſmodi abuſum, ſive crimen, iiſdem verbis illud deſcribit, ac antea, uti modo retulimus. Quare immerito hujuſmodi ſancitæ poenæ ad aliud extenderentur contra mentem Pontificis. Nec obſtat, quod ait §. 3. Pontifices *decretum voluerunt*, *nimirum a quolibet Sacerdote, ſtipendio, ſeu eleemoſyna majoris pretii pro celebratione Miſſae a quocunque accepta, non poſſe alteri Sacerdoti Miſſam hujuſmodi celebraturo, ſtipendium, ſeu eleemoſynam minoris pretii erogari, etſi eidem Sacerdoti Miſſam celebranti, & conſentienti, minoris pretii ſtipendium, ſeu eleemoſynam ſe accepiſſe indicaſſet*. Hoc enim retulit Pon-

tifex, ut viam ſibi pararet ad novam hanc Eccleſiaſticam Sanctionem edendam. Hoc mihi tam certum videtur, ut non temere ſuſpicari poſſem laud. Theologos hoc ipſum ſignificare voluiſſe, licet verbis paulo obſcurioribus fuiſſent locuti.

Quare ille qui forte receperit eleemoſynam pro Miſſa celebranda, ac detracta parte ſtipendii, ac ſibi retenta alteri illam commiſerit celebrandam, licet graviter peccet, ac teneatur ad reſtitutionem partis, quam ſibi retinuit Sacerdoti celebranti, ut unanimi fere conſenſu docent Theologi; cum tamen ab hujuſmodi ſuſpenſionis pœna ſit immunis, poterit abſolvi a quocumque Confeſſario approbato, nulla etiam adhibita Cruciatæ noſtræ facultate. Si autem docuerit, aut defenderit prædictam opinionem veluti licitam, qua in hypotheſi incidens in excommunicationem Summo Pontifici reſervatam juxta Decretum Alexandri VII. anno 1665. in damnatione Propoſitionum, indigebit abſolvi per facultatem noſtræ Bullæ, aliamve conſimilem.

V. Poterit etiam Confeſſarius eligendus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ abſolvere ab ea ſuſpenſionis ſpecie, quam incurrerit fortaſſe Clericus ipſo facto, qui receperit Sacros Ordines abſque ullo titulo, vel conficto decipiens hac in re ſuum Ordinarium ex Tridentino *Seſſ. XXI. Cap.* 2. *De Reformat.* juxta probabiliorem ſententiam, quam tuentur ac docent præter in-

innumeros Theologos Suarez. De Cenſur. *Diſp.* 2. *Sect.* 1. *n.* 31. Sanchez De Matrimon. *Lib. VI. Diſp.* 32. *n.* 8. Navarrus in ſuo Manuali *Cap.* 27. *n.* 157. Et Garcias De Beneficiis *Part. II Cap.* 9. *n.* 24. Iſthæc ſuſpenſio Jure Communi non eſt reſervata, uti docet Bonacina; quare poterit Confeſſarius, ut idem Theologus docet, habens generalem facultatem abſolvendi a cenſuris, abſolvere ab hac ſuſpenſione contracta ob defectum tituli; quia cum ſuſpenſio iſthæc inter cenſuras computetur, poterit abſolvi ab iſtiuſmodi Confeſſario in foro Conſcientiæ. Vide Bonacinam *loc. cit. Diſp. III. Punct.* 8. *qu.* 1. *Prop.* 3. *n.* 32. Poterit ergo ab eadem ſuſpenſione abſolvere Confeſſarius electus virtute noſtræ Bullæ, cui etiam competit poteſtas in cenſuras ratione connexionis ad peccata reſervata, vero tamen conſtituto titulo, & quidem toties quoties opus fuerit, cum non ſit reſervata uti antea ediximus.

Verum in noſtra Neapolitana Dioeceſi præſentantes falſum, fictum, aut Fiduciarium Patrimonium per Confeſſarium electum virtute Bullæ Cruciatæ nobis conceſſæ abſolvi non poterunt a contracta inde cenſura ſuſpenſionis, cum iſtiuſmodi Caſus una cum annexa poena excommunicationis, & ſuſpenſionis ſit reſervatus noſtro Ordinario; (Vide Caſum VI. inter Reſervatos a noſtro Ordinario quaeque ibi adnotavimus ad illius elucidatio-

nem Tom. *V. In Addition. pag.* 150.). Et in Bulla noſtra Cruciatæ nulla nobis defertur poteſtas abſolvendi peccata Epiſcopis reſpective reſervata. Conſulantur, quæ in hanc rem dicta a nobis fuere in noſtra Diſſertatione *Part. I.* §. *Ultim. q.* 2. Quin imo, ad hanc ſuſpenſionis ſpeciem relaxandam non ſufficere generalem facultatem a noſtro Ordinario obtentam abſolvendi a Caſibus ab ipſo reſervatis ſine ejus ſpeciali licentia, non temere docuere quidam ex noſtralibus Theologis.

At quid dicendum de ſuſpenſione lata in aliquam Communitatem, de ceſſatione a Divinis, de Depoſitione, de Degradatione?

R. Hujuſmodi recenſitas pœnas minime poſſe tolli a Confeſſariis per facultatem Bullæ noſtræ. Quia cum hujuſmodi poenæ non per abſolutionem, ſed per diſpenſationem tollantur, & nulla nobis per Bullam noſtram diſpenſandi impertita ſit facultas, recte inde ſequitur per Bullam noſtram non poſſe tolli. Salmanticenſes Appendice laud. *Cap.* 6. *Punct.* 3. *n.* 184. & 185. Qui ibid. idem docent de conſimilibus ſuſpenſionibus.

VI. Demum poterit Confeſſarius per facultatem noſtræ Bullæ abſolvere ab illa ſuſpenſione *a Divinis*, quam incurrunt Prælati Monaſteriorum, aut Religioſi admittentes, aut permittentes ingredi feminas in Monaſteria Virorum juxta Conſtitutionem S. Pii V. quæ incipit *Regula-*

rium Perſonarum, quum nuper etiam indicavimus, dum loqueremur de abſolutione excommunicationis inde contractæ. Ita quidem natura rei inſpecta, & facultatibus Bullæ noſtræ, & apertiſſime docet Cl. Sanchez *In Decalogum Lib. VI. Cap.* 17. *n.* 41. At quoniam hujuſmodi Apoſtolica Indulta, quæ vocantur Cruciatæ Sanctæ ex declarationibus plurium Pontificum, ac præſertim Benedicti XIV. Conſtitutione, quæ incipit *Apoſtolica Indulta* edita anno 1744. nequaquam Regularibus ſuffragantur quantum ad articulum eligendi Confeſſarium, ſeque a Caſibus reſervatis abſolvi faciendi, & nos antea ſæpe monuimus, ac probavimus; & hujuſmodi ſuſpenſio, quam indicavimus juxta tenorem dictæ Bullæ Pii V. a Rugularibus, ſive Prælatis, ſive Religioſis ſimplicibus contrahatur; præterquam quod, uti docet Sanchez *loc. cit.* hujuſmodi ſuſpenſio non eſt Pontifici reſervata; idcirco ab illa fuſius diſcutienda ſuperſedendum nobis cenſemus.

At ſecus erit dicendum ſi ſuſpenſio lata fuiſſet in perpetuum, ſive ad certum tempus, hujuſmodi enim ſuſpenſiones ab ipſo Auctore Canonis ante tempus elapſum dimitti, ac relaxari tantummodo poſſunt. Quia hujus generis ſuſpenſiones cenſentur ipſo jure, atque ex natura ſua reſervatæ; uti rectiſſime probat Cl. Suareſius, neque tolli poſſunt, aut relaxari per abſolutionem, ſed per ſolam diſpenſa-

tionem Suarez *De Cenſur. Diſp.* 29. *ſect.* 1. *n.* 15. *& ſeqq.* Quapropter ab hujuſmodi ſuſpenſionibus relaxandis, aut dimittendis abſtinere prorſus debet Confeſſarius licet præditus ſit facultatibus Bullæ noſtræ Cruciatæ, cum nulla diſpenſandi per illam ei facta ſit poteſtas. Idem quoque dicendum, de ea ſuſpenſione, quæ licet in Jure lata fuerit ſine additione, quod in perpetuum eſſet duratura, ex circumſtantiis tamen, atque ex contextu colligitur illam *in perpetuum* decerni, licet id aperte non exprimatur; uti eſt E. G. illa ſuſpenſio, quam incurrit Clericus, qui Sacros Ordines ſuſceperit ſcienter ab Epiſcopo, qui renunciaverit dignitati Epiſcopali juxta *Cap. I. De Ordinat. ab Epiſcop. qui renuntiavit Epiſcopatui*. Qua de re late agit Eximius Suareſius *De Cenſur. Diſp.* 31. *Sect.* 1. *n.* 1. *& ſeqq.* Quare cum iſthæc etiam ſuſpenſio non auferatur niſi per diſpenſationem, ut probat Suareſius ibid. & aperte deducitur ex laud. *Cap.* 1. nihil in hujuſmodi ſuſpenſione relaxanda ſibi juris attribuat Confeſſarius noſter eligendus ex virtute Cruciatæ S.

At quid dicendum ſi ſuſpenſio lata fuerit indefinite propter delictum commiſſum; utrum cenſenda ſit pro contumacia impoſita, ac proinde tamquam ceteræ cenſuræ, tolli poſſit per abſolutionem, an indigeat diſpenſatione?

R. Controverti hac de re inter Theolo-

logos, ac Canonum Interpretes. Mihi tamen probabilius videtur dicendum cum Cl. Suareſio laud. *Diſp. 29. De Cenſur. ſect. 1. n. 19.* Paullo Layman *De Suſpenſ. Cap. 4.* aliiſque, hujuſmodi ſuſpenſiones regulariter ferri propter contumaciam, ac proinde veluti reliquæ cenſuræ, ut relaxentur non indigent diſpenſatione, ſed ſola abſolutione, ſi perſona ſit ſufficienter diſpoſita; ideoque ſequuntur regulam *Cap.* Nuper. 29. *De Sentent. Excommunicat.*

At quid dicendum de ſuſpenſionibus a Jure impoſitis ſine temporis limitatione adverſus indigne ſuſcipientes Ordinum Sacramenta?

R. Hujuſmodi etiam ſuſpenſiones per abſolutionem poſſunt remitti, relaxari, atque auferri. Ratio eſt, quia iſtæ poenæ indefinite latæ intelligendæ ſunt a lege ſanciri cum ordine ad duraturam contumaciam, ſive inobedientiam, qua ceſſante, ſeu ſecuta emendatione, per abſolutionem inſtar aliarum cenſurarum, quæ poenæ abſolutæ non ſunt, ſed medicinales, tolli poſſunt. Quod probat etiam *Cap.* Ex litteris 11. *De Conſtitution.* ubi poena abſolute, ac indefinite lata, decernitur ita intelligenda, ut impoſita cenſeatur cum ordine ad tempus contumaciæ duraturæ. Ita Salmanticenſes, Bonacina *loc. cit.* quorum ſententiam ſecuti fuimus in reſponſionibus adhibitis ad propoſitos caſus de hujuſmodi ſuſpenſionibus. Hanc

etiam ſententiam non obſcure docet Paul-lus Layman *loc. cit.*, & quicumque uni-verſim docent ſuſpenſiones indefinite at-que abſolute latas relaxari, atque auferri per abſolutionem.

Haud mihi ſane latet Cl. Suareſium In *De Cenſur. Diſp. 31. Section.* 1. *n.* 8. de hujuſmodi ſuſpenſionibus, quæ impediunt, ſtatim poſt receptos Ordines, ne illorum miniſteria ac functiones poſſint exerceri, univerſim pronuntiat eſſe irregularitati ſimillimas, ac proinde diſpenſatione, non ſecus ac ceteræ irregularitates, non vero abſolutione eſſe relaxandas, atque auſe-ferendas.

Reſpondeo Cl. Suareſium aut eſſe in-telligendum de Caſu ſpeciali, de quo lo-quitur; nempe de ſuſpenſione illius, qui Ordines receperit ab Epiſcopo, qui re-nunciavit Epiſcopatui, quam ſuſpenſionem inter perpetuas recenſet, atque docet con-ſtitutam ut perpetuo duraturam, quod ex circumſtantiis, atque contextu conſtare probat. Quod autem adjungit de hujuſ-modi ſuſpenſionibus, quæ impediunt a prin-cipio uſum Ordinum ne recipiatur, aut exerceatur, de eodem peculiari caſu, de quo loquitur, ut antea diximus, erit ex-ponendum; cum ait, illam eſſe perpe-tuam ex natura ſua, ac Pontifici reſerva-tam, atque ſimillimam irregularitati, quæ ſcilicet, ut auferatur, indigeat diſpenſa-tione. Aut ſi de hujuſmodi ſuſpenſioni-bus Cl. Viri dicta univerſim accipienda

ſint,

ſint, dicimus illud quod ait eſſe ſimillimas irregularitati; hoc ſenſu erit intelligendum, quatenus nempe pariant eumdem effectum, ac ipſa irregularitas, quod eſt impedire exercitium Ordinum ſuſceptorum, atque aſcenſum ad Superiores; minime vero quod abſolutione tolli non poſſint; aut ſi aliud fortaſſe Cl. Viro fuerit propoſitum, atque intentum, ejus opinioni contrariam ſententiam præferendam arbitramur, quam jam indicavimus; utpote quæ veroſimilior nobis, ſalvo ſapientiorum judicio, videatur. Quare minime adſentiendum putamus Auctori Opuſculi (*Luce fra le tenebre*) Diſſertat. *II. Cap.* 3. *n.* 116. edicenti hujuſmodi ſuſpenſiones, propterea quod ad relaxationem indigeant diſpenſatione, non comprehendi in facultate conceſſa Confeſſariis abſolvendi a peccatis, cenſuris, ac poenis.

Imo non pauci ſunt, iique magni nominis Theologi, ut idem Suareſius *Diſp.* 29. *ſect.* 3. *De Cenſur.* Navarrus in ſuo *Manuali Cap.* 27. *n.* 161. Sylvius, aliique, qui de omnibus ſuſpenſionibus indiſcriminatim pronunciant, atque decernunt, quod auferantur abſolutione, ſive latæ fuerint ut puræ poenæ, ſive in perpetuum, ſive ad certum tempus. Quod probant ex formula ipſa abſolutionis a ſuſpenſione, quæ eſt hujuſmodi: *Ego te abſolvo a vinculo ſuſpenſionis, in quod incurriſti, & riſtituo te in executionem*

tui muneris, *Ordinis* &c. Vide Layman *loc. cit.*

Ut autem omnis difficultatis nodus diſſolvatur, qui neſcio quid obſcuritatis ac tenebrarum offundit in hanc Theologicæ facultatis partem, quique exoritur ex loquendi ratione, quam univerſim fere tenuere Theologi, dum tradidere ex ſuſpenſionibus quaſdam auferri, ac relaxari abſolutione, quaſdam verbo diſpenſatione, ita rem definiendam cenſeo, ſubjiciendo tamen mea dicta ſapientiorum cenſuræ. Dico igitur, quaſcunque ſuſpenſiones, ſive impoſitas in pœnam vindicativam, ſeu medicinalem, ſive in perpetuum, ſive ad certum tempus, auferri abſolutione, quod ſatis conſtat ex adducta formula abſolutionis adhibita in quacumque ſuſpenſione. Quia tamen ſuſpenſio ad certum tempus impoſita, ſi ante tempus definitum relaxanda ſit, ac ſuſpenſio in perpetuum lata quamdam contineat diſpenſationem, dum contra præſcripta Canonum ante tempus præfixum relaxetur; hinc eſt, quod Theologi dixere iſtiuſmodi ſuſpenſiones auferri diſpenſatione h. e. abſolutione, quæ ſcilicet contineat quamdam diſpenſationis ſpeciem. Atque hoc idem intelligi volumus, cum antea diceremus hujuſmodi ſuſpenſiones tolli, atque auferri diſpenſatione.

Hinc eſt etiam, quod hujuſmodi diſpenſationes, ſive ad tempus, ſive in perpetuum impoſitæ ſemper intelligendæ ſunt

ſunt reſervatæ ipſi legislatori ; uti ſcite probat Cl. Suareſius laud. *Diſp.* 29. quia cum adjunctam habeant quamdam diſpenſationis ſpeciem , atque hoc in genere illud tantum fieri , atque expediri poſſit per inferiores, quod diſerte , atque expreſſim conceditur, neque illud ſufficiat, quod non prohibeatur , juxta regulam communiter probatam ab optimæ notæ Theologis, inde ultro ſequitur, quod niſi diſerte , atque expreſſim conceſſa ſit poteſtas in iiſdem abſolvendi , ſemper intelligendæ ſunt reſervatæ hujuſmodi ſuſpenſiones . Lege Suareſium *loc. cit.*

Q. XXV. *Num hujuſmodi ſuſpenſiones, ſive ad tempus impoſitæ, ſive in perpetuum intelligantur conceſſæ, ut abſolvantur, facta poteſtate ſive per Bullam Cruciatæ, ſive Jubilæi, abſolvendi a peccatis, & cenſuris Summo Pontifici reſervatis.*

R. Probabilius mihi videtur non eſſe intelligendas conceſſas facta generali poteſtate abſolvendi a peccatis, & cenſuris reſervatis, nec proinde poſſe abſolvi per hujuſmodi facultates. Quod ſane hac ratione probatur : Diſpenſandi facultas adeo gravis momenti ſemper reputata fuit, ut niſi expreſſe tribuatur, minime intelligenda ſit conceſſa. Sed facultas abſolvendi ab hiſce ſuſpenſionibus ſive ad tempus impoſitis, ſive in perpetuum, ſi quando ante tempus præfixum ſolvendæ ſint, ac relaxandæ, adjunctam habet quamdam diſpenſationem. Ergo per facultatem ge-

neralem commiſſam abſolvendi a cenſuris, ac peccatis reſervatis, non poterunt prædictæ ſuſpenſiones abſolvi; ac proinde non poterunt abſolvi per facultates abſolvendi conceſſas in Bullis aut Jubilæi, aut Cruciatæ S.

Poterunt tamen, quod pro comperto habendum eſt, abſolvi a Confeſſario, cum ei præſto ſint facultates *Cap. Liceat.* Tridentini; in eo quippe conceditur facultas diſpenſandi in omnibus ſuſpenſionibus, modo provenerint ex delicto occulto. Vide Natal. Alexandr. In De Suſpenſ. Reg. 23.

Q. XXVI. *Num hujuſmodi cenſuræ, ſive excommunicationis, ſive ſuſpenſionis poterunt abſolvi per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ toties quoties opus fuerit ſi non fuerint reſervatæ.*

R. Affirmativ. Cum enim hujuſmodi cenſuræ ſive ſuſpenſionis, ſive excommunicationis non ſint reſervatæ, tunc poterit Confeſſarius electus virtute Bullæ Cruciatæ S. ab iiſdem ſuos abſolvere Poenitentes toties, quoties opportunum judicaverit; quia clauſula illa reſtrictiva, aut limitans *Bis in vitæ decurſu; atque etiam in mortis articulo* non reſpicit, neque afficit, niſi peccata, & cenſuras Pontifici reſervatas. Id quidem apertiſſime docuere Theologi Hiſpani loquentes de Bulla Cruciatae S. ipſis conceſſa, quantum ad formulam illam *ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo*, ac præſertim Cl. Sanchez *loc.*

cit.

cit. & alibi ſæpius, ac Salmanticenſes laud. Appendice *De Bulla Cruciatæ S. loc. cit.* quam ipſorum doctrinam in noſtram quoque Bullam adamaſſim quadrare nullus dubito.

Q. XXVII. *Num facultate noſtræ Bullæ poterit Confeſſarius electus abſolvere a ſuſpenſione contracta propter ſimoniacam Ordinum ſuſceptionem.*

R. Negat. Sane licet Salmanticenſes laud. Appendice *De Bull. S. Cruciat. Cap. 6. Punct. 3. n.* 181. indubitanter adſeveraverint hujuſmodi ſuſpenſionem per facultatem Bullæ Cruciatæ Hiſpanicæ poſſe remitti, ac relaxari propterea quod Bulla ſaepius memorata Xyſti V. *Sanctum, & Salutare* quantum ad derogationem privilegiorum Bullæ Cruciatæ S. non fuerit recepta, quod probant teſtimonio Leſſii, ac Palai; nobis tamen ſatius, ac melius viſum fuit contrariæ potius adhærere ſententiæ, ut alibi jam indicavimus. Et re quidemvera, licet ipſorum hac de re dicta a veritatis tramite minime aberrare credere velimus. potuit equidem apud ipſos evenire, ut cum Bulla Cruciatæ Hiſpaniis conceſſa eſſet antiquior Bulla *Sanctum, & Salutare*; quippe quæ primum conceſſa fuit a Julio II. anno 1509., cum Bulla *Sanctum & Salutare* edita fuerit a Xyſto V. anno 1588. potuit inquam evenire, ut Bulla memorata *Sanctum & Salutare* poſt tam longam annorum intercapedinem

nem poſtea adveniens non fuerit recepta cum tanto rigore, ut derogatum vellet privilegiis adeo ſolemnibus Cruciatæ S. ipſis conceſſæ; quod revera accidiſſe teſtati ſunt memorati Theologi, penes quos fides eſto. At cum Bulla Cruciatæ pro noſtris Neapolitanis Regnis conceſſa paucis abhinc annis apud nos fuerit recepta, Conſtitutioni *Sanctum & Salutare* jam receptæ, atque uſu firmatæ potuiſſe quantum ad derogationem privilegiorum dictæ Bullæ Cruciatæ S. præjudicium creare atque afferre; veroſimile haud videtur. Atque hac de cauſſa contrariam potius Salmanticenſium dictis prætulimus ſententiam, atque ſectati ſumus, quam & ſuo ſapientiſſimo oraculo confirmavit noſter Eminentiſſimus Commiſſarius, ut ipſemet teſtis fui, ac rogator. Quin imo Caſum hunc Simoniæ admiſſæ in Ordine una cum adjunctis cenſuris referri voluit in numerum illorum, ad quos abſolvendos utpote *ſpecialiter* Summo Pontifici reſervatos, manum admovere minime debet Confeſſarius electus virtute noſtræ Bullæ Cruciatæ, ut ipſemet ſapientiſſime declaravit, ac definivit. At Caſus hujuſmodi *ſpecialiter* Summo Pontifici reſervatos, qui abſolvi minime poſſint per facultatem Bullæ noſtræ juxta ſapientiſſimam noſtri Eminentiſſimi Commiſſarii definitionem pro majori Confeſſariorum commodo poſthac recenſebimus.

His addi etiam poteſt; quod cum ſuſpen-

ſpenſio lata adverſus recipientes Ordines per Simonicam pravitatem, ſit perpetua; uti patet ex verbis laud. Bullæ Xyſti V. atque ſuſpenſiones hujuſmodi non diſſolvantur, neque relaxentur, niſi per diſpenſationem, aut ſaltem per abſolutionem hujuſmodi, quæ in ſe contineat quamdam ſpeciem diſpenſationis; uti jam probavimus; rectiſſime inde deducendum tolli non poſſe per Confeſſarios electos virtute noſtræ Bullæ, per quam tantummodo nuda, ſimplex, ac ſola poteſtas abſolvendi a peccatis Summo Pontifici reſervatis nobis conferatur. Qua de re legi poterunt Bonacina De Suſpenſion. *Diſp.* 3. *Punct. ultim.* §. 4. Suarez De *Cenſur. Diſput.* 31. *Sect.* 1. Navarrus in ſuo *Manuali Cap.* 27. *n.* 162. Natal. Alexand. *De Suſpenſion. Cap.* 3. *art.* 2. *Reg.* 22.

Q. XXVIII. *Num poſſit Confeſſarius virtute noſtræ Bullæ abſolvere ab excommunicatione contracta propter Simoniam in Ordine commiſſam?*

R. Negat. Etenim licet in laud. Bulla *Sanctum*, & *Salutare* per quam derogatum fuiſſe diximus facultatibus conceſſis per Bullam etiam Cruciatæ S. ſermo fiat tantummodo de pœna ſuſpenſionis, atque irregularitatis ex violatione dictæ cenſuræ, in qua abſolvenda, aut diſpenſanda derogatur privilegiis etiam Bullæ Cruciatæ S. aliiſque conſimilibus, minime vero de excommunicatione inde contracta juxta ſanctionem *Extravagant.* Cum De-

Deteſtabile. *Inter Communes tit. De Simonia*; uti cuivis legenti abunde patere poteſt; nihilominus ad hujuſmodi excommunicationis vinculum per abſolutionem diſſolvendum nihil omnino juris, ſeu poteſtatis vi noſtræ Bullæ competere Confeſſariis electis dicendum eſt. Quod ita probamus: In noſtra Bulla Cruciatæ nobis non conceditur poteſtas ad cenſuras relaxandas, niſi per quamdam conſequentiam, ſive connexionem ad ipſa peccata reſervata, quæ & intra actum Sacramentalis Confeſſionis debeat exerceri; uti jam probavimus in ſæpius laud. noſtra Diſſertatione *Part. I. §. Ultim. qu.* 3. Itaque remitti non poterit iſthæc excommunicationis cenſura, quin ſimul & peccati reatus dimittatur; hoc autem nullatenus fieri poſſe inde facile patet, quod Xyſtus V. tam arctæ reſervationis legi ſubjecerit hujuſmodi peccatum Simoniæ admiſſæ in Ordine, una cum adjuncta ſuſpenſione, ut quorumcumque privilegiorum, aut facultatum ope a quibuſcumque perſonis illud abſolvi poſſe denegarit in Bulla laud. Cum ergo peccatum iſtud a Confeſſariis electis virtute Bullæ Cruciatæ S. non poſſit remitti in Sacramentali judicio, ſequitur, quod neque excommunicationis cenſura eidem inflicta poſſit remitti; quæ remiſſio in eodem Sacramentali Foro eſt adhibenda; alioquin laud. Xyſti V. Bulla magna ex parte inutilis evaderet, ac fruſtranea fieret.

Præ-

Præterea idem Xyſtus V. Bulla laud. omnem & abſolvendi, ac diſpenſandi poteſtatem denegat Confeſſariis quibuſcumque quibuslibet privilegiis præditis atque exornatis, & ſibi illam reſervat, illis verbis: *Tam abſolvendi, quam diſpenſandi facultatem in caſibus ſuperius expreſſis, etiam in foro conſcientiæ Nobis, & Succeſſoribus noſtris duntaxat reſervamus.* Et licet ibi ſermo eſſe videatur de impoſita ſuſpenſionis pœna atque de pœna irregularitatis ex violatione ejudem ſuſpenſionis; nihilominus allata verba etiam de memorata excommunicationis cenſura intelligenda eſſe putamus; etenim tam indefinita loquendi ratio comprehendere videtur omnem aliam pœnam, quæ abſolutione indiget, ut remittatur.

Demum ad id probandum quod diximus, non parum valet, quod adjungit Pontifex in derogatione privilegiorum, ac facultatum, inhibendo ſcilicet, ne perſonæ in eo peccati genere, h. e. ſimoniaca pravitate Ordinum ſanctitatem violantes, *tam ſcilicet Antiſtites, ſeu Abbates promoventes, quam Clerici male inſigniti, ſeu ordinati* (h. e. ſimoniace) *a reatibus, atque exceſſibus* (hujuſmodi) poſſent abſolvi, præterquam in mortis articulo. Quæ quidem verba, uti jam probavimus, non de ſolo Simoniæ crimine ſunt intelligenda, ſed etiam de impoſitis eidem cenſuris; ac proinde ut de ſu-

ſuſpenſionis cenſura, ita & de cenſura excommunicationis ſunt accipienda.

Q. XXIX. *A quanam interdicti ſpecie abſolvere poſſit Confeſſarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ.*

R. Certum exploratumque eſſe debet non poſſe Confeſſarium electum virtute prædictæ Bullæ abſolvere, ab interdicto locali, ſive ſpeciali, ſive generali, licet non ſint reſervata; quia hujuſmodi interdicta ab eo tantum poterunt relaxari, aut abſolvi, qui juriſdictionem obtinet in foro externo in locum interdictum. Idem quoque propter eamdem rationem dicendum de interdicto perſonali generali, quod fertur in aliquam Communitatem, ſive Collegium. Imo nec perſonæ particulares Communitatis interdictæ poterunt ab ullo Confeſſario abſolvi virtute cujuſcumque Bullæ, aut Jubilaei, aut Cruciatæ S. Quod quidem etiam ad ſuſpenſionem latam in aliquam Communitatem, aut Collegium eſt extendendum, ut cuivis attendenti facile patebit. Vide Bonacinam De interdicto *Diſput. VI. Punct. Ultim. prop.* 3. *n.* 6. Et Salmanticenſ. laud. Appendice *De Bulla S. Cruciat. Cap. 6. Punct.* 3. *n.* 183.

Facultas itaque nobis conceſſa per Bullam noſtræ Cruciatæ abſolvendi à peccatis Pontifici reſervatis, atque etiam à cenſuris per connexionem ad hujuſmodi peccata reſervata, extenditur tantummodo ad interdictum ſpeciale perſonale, quod

quod ſi non fuerit reſervatum poterit relaxari, atque abſolvi non ſolum a Confeſſario virtute noſtræ Bullæ, verum etiam a quolibet alio, nullo etiam privilegio prædito, atque exornato; & quidem toties quoties opus fuerit; ſi autem fuerit Pontifici reſervatum, etiamſi publicum ſit, poterit abſolvi a Confeſſariis virtute noſtræ Bullæ bis in toto vitæ decurſu, atque etiam in mortis articulo. Lege Bonacinam, atque Salmanticenſes *ll. cit.*

Sunt autem & quædam interdicti ſpecies, quæ ut relaxentur, nulla indigent abſolutione, nec proinde Bullæ noſtræ facultatibus, cum a ſe ipſis ceſſent. Hujuſmodi autem ſunt illa interdicta, quæ lata fuerint ad tempus, aut ſub conditione; quoniam elapſo tempore, aut impleta conditione, ſine ulla abſolutione ceſſant. Ita Bonacina *loc. cit.* cum communi. Hujuſmodi autem interdicti ſpecies occurrunt in *Cap.* Cum medicinalis. 1. *De Sentent. Excommunicat.* in 6. & *Cap.* Romana. 1. Et *Cap.* Exigit 2. *De Cenſibus in 6.*

Q. XXX. *Num facultate Bullæ noſtræ poſſint confeſſarii electi abſolvere ab ea interdicti ſpecie, quam incurrunt Prælati Pontificali dignitate præditi, qui extra caſus neceſſitatis, atque abutentes facultate ſibi ex officio attributa ingrediantur Monaſteria Monialium?*

R. Hujuſmodi interdictum, quod eſt *ab Ingreſſu Eccleſiæ* contra Prælatos hujuſmodi

di pro prima vice ingredientes prædicta Monaſteria Monialium decrevit Gregorius XIII. *Conſtitut.* Quæ incipit: *Dubiis, quæ emergunt*. Interdictum autem *ab ingreſſu Eccleſiæ* ſecum fert privationem ſepulturæ in Eccleſia, ejuſque Cœmeterio, & Divinorum Officiorum in Eccleſia quod quidem quantum ad Clericos appellatur ſuſpenſio. *Cap.* Is cui 20. *De ſentent. Excommunicat. in 6.*

Interdictum autem hujuſmodi, ut probat Cl. Sanchez *Lib. VI. In Decalog. cap.* 16. *n.* 98. non eſt reſervatum, quod etiam repetit *Cap.* 17. *n.* 41. quare non ſolum poterit relaxari, ac remitti a Confeſſario virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ, verum etiam toties quoties id opus fuerit. Ratio eſt, quia quando cenſuræ non ſunt reſervatæ, facultas ab illis abſolvendi non cenſetur reſtricta ac coarctata ad duas tantum vices *in decurſu* vitæ, *atque etiam in mortis articulo*. (Hæc enim reſtrictio ac limitatio in Bulla noſtræ Cruciatæ non reſpicit, niſi peccata Summo Pontifici reſervata, & cenſuras iiſdem adnexas) ſed conceditur facultas ab illis abſolvendis toties quoties opus fuerit, aut libuerit; & licet hoc ipſum in Bulla noſtræ Cruciatæ non exprimatur, quemadmodum diſerte exprimitur in Bulla Cruciatæ pro Regnis Hiſpaniarum conceſſa, attamen perquam evidenter ex ipſa natura rei colligitur. Imo ab eodem interdicto, quod antea diximus contrahi a Prælatis, poterit

ab-

abſolvere quilibet Confeſſarius adprobatus, quod antea ex Bonacina docuimus. Vide Cl. Sanchez laud. *Cap.* 17. *n.* 41.

Q. XXXI. *Num poterit Confeſſarius virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ in noſtra Neapolitana Diœceſi abſolvere ab ea interdicti ſpecie, quam incurrunt non ſatisfacientes præcepto annuæ Communionis?*

R. Hoc interdictum a Concilio Œcumenico Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. Anno 1215. (quod refertur in *Cap.* omnis utriuſque ſexus. 12. *De Pœnitent. & Remiſſionib.*) impoſitum iis omnibus, qui non paruiſſent Eccleſiaſticæ legi de Confeſſionis, ac Communionis præceptis ſemel quolibet anno implendis, eſt tantum *ferendæ ſententiæ*, neque ſubjectum legi reſervationis. At nihilominus in noſtra Diœceſi celebre hoc interdictum factum eſt *latæ ſententiæ*, ac ceteris noſtris reſervatis in Neapolitana Diœceſi auctoritate noſtri Ordinarii, ac per ſynodalem Conſtitutionem accenſitum fuit, relate tamen ad illos duntaxat, qui præcepto annuæ Communionis non ſatisfecerint ſive in propria Paræcia, ſive in Cathedrali. Vide Caſum Poſtremum inter noſtros Reſervatos, quæque pro illius elucidatione adnotavimus Appendice II. De *Caſibus Reſervat. Pag.* 306. *Tom. V. In Additionib. Ad Elementa &c.*

Dico itaque non poſſe Confeſſarium electum virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ abſolvere ab hujuſmodi interdicto, aut illud

re-

relaxare. Quod facili negotio ita breviter probari poteſt: Interdictum hujuſmodi computatur inter Caſus a noſtro Ordinario reſervatos, facultas autem noſtræ Bullæ, licet in multis amplior ſit, ac paulo extenſior, quam quæ paſſim pro aliis Regnis conceſſæ fuere, uſque eo tamen non pertingit, ut poſſint ope ipſius abſolvi peccata a noſtro Ordinario reſervata, niſi acceſſerit præterea ejuſdem licentia. Quod quidem liquido patet ex formula conceſſionis circa abſolutionem Reſervatorum, quam diligenter expendimus in noſtra Diſſertatione Part. 1. §. *ultim. qu.* 2. Quare cum ad hujuſmodi caſus abſolvendos nihil juris, aut poteſtatis Confeſſariis electis virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ conceſſum fuerit, ad iſtud abſolvendum interdictum omnino non ſe ingerant, neque manus admoveant, Confeſſarii electi in vim Bullæ noſtræ Cruciatæ niſi noſtri Ordinarii acceſſerit forte licentia; alioquin Confeſſarii tam Regulares, quam Seculares incurrent pœnam excommunicationis ipſo facto, ac ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus, a quibus abſolvi non poterunt præterquam a Romano Pontifice, excepto tamen mortis articulo; uti conſtat ex Decreto Clementis VIII. quod incipit *Sacra Congregatio*. Vide laud. *Additiones ad Elementa &c. Tom. V. pag.* 459. Imo ſi fuerit hujuſmodi interdictum denuntiatum neque etiam poterit a Confeſſario approbato abſolvi

per facultatem receptam ab ipſo Ordinario generalem abſolvendi a Reſervatis. Hæc conſtant ex verbis ejuſdem Caſus.

Q. XXXII. *Quinam juxta definitionem noſtri Eminentiſſimi Commiſſarii ſint Caſus ſpecialiter Summo Pontifici reſervati, qui non poſſint abſolvi per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ.*

R. Licet in noſtra hac I. Appendice Caſus hujuſmodi ſparſim occurrant a nobis data occaſione recenſiti; nihilominus ut unico veluti obtutu perſpiciantur in commodum Confeſſariorum, heic viſum fuit in unum colligere, atque illos enumerare, præſertim cum id etiam juſſerit noſter Eminentiſſimus Commiſſarius, cujus juſſis non obtemperare piaculi loco merito erit habendum. Sunt autem Caſus hujuſmodi.

I. Hæreſis formalis, atque externa ex declaratione Alexandro VII. & Benedicti XIV. Vide laud. *Diſſertat. Part. I.* §. *ultim. q.* 8.

II. Inhabilitas, quam incurrit Confeſſarius ad abſolvendum ſuum Complicem in peccato turpi contra ſextum Decalogi præceptum. Bulla Benedicti XIV. quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ*.

III. Excommunicatio contracta ab eodem Confeſſario abſolvente ſuum complicem in eodem peccato turpi. *Laud. Bulla Sacramentum*.

IV. Caſus ſimoniæ in Ordine admiſſæ tam ex parte promoventis, quam promo-

it

ti per ſimoniacam pravitatem. Bulla Xyſti V. *Sanctum & ſalutare*; qua de re fuſius in hac ipſa Appendice I. diſputatum fuit. Et ſi quinam ſint alii Caſus in quibus habeatur expreſſa derogatio Privilegiorum Cruciatæ &c.

Finis Primæ Appendicis.

AP-

APPENDIX II.

IN QUA

SYNOPSIS HISTORICA:

De expeditionibus a Cruce-Signatis factis variis diverſo tempore vicibus pro liberatione Terræ S. a Barbarorum tyrannide exhibetur; ubi & decretales Sum. Pontificum Epiſtolæ eo pertinentes expendiuntur, enucleantur, illuſtrantur.

§. I.

De variis hujuſmodi Expeditionibus, earumque diverſis fortunis.

I. Hieruſalem illa Civitas ſummi Dei, Hereditas Domini, Gloria Filiorum Iſrael, tum Chriſti ſanguine irrigata, illius ſanctificata veſtigiis, atque Divinis Myſteriis in ea editis condecorata, de qua ſcilicet lex immaculata, & Sanctum Domini verbum exivit, poſtquam adamuſſim completa fuere in ea Prophetica oracula contra ipſam propter ſuam pervicaciam pronuntiata, ac

præſertim illud Danielis, quo prædictum fuerat, quod Civitatem & Sanctuarium diſſipaſſet Populus cum Duce venturo, & fines ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio; ac etiam illud Chriſti ipſius ore prolatum, cum ſcilicet videns Civitatem flevit ſuper illam dicens: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te undique, & ad terram proſternent te . . . & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ*. Lucæ *Cap.* 19. Hieruſalem inquam ſemel, atque iterum ſolo æquata, ac funditus deleta fuit; primo ſub Imperatoribus *Veſpaſiano*, ac *Tito*, qui poſt diuturnam obſidionem, atque ingentes editas Judæorum clades victrices Romanas Aquilas illuc intuere, atque præfixere; anno poſt Chriſtum natum 70. *Veſpaſiani* anno 2. ſecundo vero ſub Hadriano Imperatore, cum Romanorum jugum duræ cervicis populo merito, juſtoque Dei judicio impoſitum iterum excutere pertentaſſet; ac vix quidem in antiquæ Urbis ruderibus, atque jacentibus ruinis parva, atque nova urbs extructa fuit, quam ſuo nomine *Æliam* appellandam juſſit Hadrianus.

II. Ex reliquis autem Judæorum, quæ juxta Apoſtolicum verbum *ſalvæ factæ ſunt*, ceteris in incredulitate obſtinatius permanentibus, conflata erat inſignis illa Hieroſolymitana Eccleſia, quæ magnæ ſem-

ſemper fuit venerationi ab exordio Chriſtiani nominis; & quam veriſſime Juſtinus Imperator ad Hormiſdam Pontificem appellat *Matrem Chriſtiani nominis*. Patriarchali etiam Sede illuſtris poſtea evagit; h. e. a tempore Concilii Chalcedonenſis an. 451. in quo compoſita fuit cauſſa Juvenalis Epiſcopi Hieroſolymitani & Maximi Antiocheni; uti probat Natalis Alexander *Hiſtor. Eccleſiaſt. Sæcul. V. Diſſert.* 16. & Patriarchalis dignitas eidem collata fuit. Unde in Conciliorum Œcumenicorum ſeſſionibus, & ſubſcriptionibus quintus inter Patriarchas locus Epiſcopo Hieroſolymitano tribuitur.

III. Inter Epiſcopos, qui hanc Hieroſolytanam Sedem occuparunt, & Eccleſiam rexerunt primus agmen ducit *Jacobus* Domini Jeſu Frater, cui ante ceteros omnes ſuum in terris *Thronum* h. e. Hieroſolymitanam Eccleſiam) ipſe Dominus tradidit. Ut ſcribit Epiphanius *Hereſi* 77. Jacobum Apoſtolatus gloria, atque illuſtris Martyrii laude cumulatum e vivis ſublatum an. poſt Chriſtum natum 60. excepit *Simeon*, ſeu *Simon*, dictus, quo ſedente in Cathedra Epiſcopali ferale illud, ac lacrymabile Urbis excidium quo nihil poſt hominum memoriam triſtius atque crudelius ſubſecutum legimus *Simeone* porro e vivis erepto, atque morte affecto ob inſigne Chriſti teſtimonium, quod tulit *Trajano* imperante, atque Chriſti Fides divexante. ſubſtitutus eſt *Ju-*

 ſtus

ſtus in illam Epiſcopalem Sedem. *Juſtum* ſubſecuti porro fuere plures alii deinceps Epiſcopi uſque ad quindecim, qui venerant ex Circumciſione, h. e. qui ex Judaica perfidia ad Fidem Catholicam converſi, ad gerendum Epiſcopale munus in illa Eccleſia Hieroſolymitana evecti fuere.

IV. Anno porro poſt Chriſtum natum 135. ceſſantibus in Hieroſolymitana Eccleſia Epiſcopis, qui fuerant ex Judæis, primus ex Gentibus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præficitur Præſes, atque Epiſcopus *Marcus*, & ſic deinceps, quorum ſeriem uſque ad exordium Sæcul. IV. ordine deſcripſit Euſebius in *Chronico*, Nicephorus vero uſque ad initia Sæcul. VII. h. e. uſque ad *S. Sophronium*, qui an. poſt Chriſtum natum 637. vita functus eſt.

V. Ante hæc tamen tempora h. e. Æræ Chriſtianæ 614. Imperii *Heraclii* anno V. præter permultas Orientis illuſtres civitates, Hieroſolyma a Perſis vi ſubacta fuit, atque capta, cæſis in ipſa multis Chriſtianorum millibus, Clericis, Monachis, ac Sacris Virginibus. Præterea ipſum Chriſti Domini Sepulchum; quod futurum *Glorioſum* Propheta vaticinatus prædixerat, incenſum fuit, nobiliſſima Dei Templa, everſa ac pretioſa quæque abſtracta fuere; veneranda etiam S. Crucis Ligna una cum ſacris vaſis, quorum innumerus prope erat numerus a Perſis ipſis aſportata fuere: ipſeque *Zacharias* Patriarcha in captivitatem adductus fuit. Ac anno

627.

627. cum *Heraclius* Imperator in Perſidem irrumpens in fugam vertiſſet ipſum *Choſroam* Perſarum Regem, *Siroes* ejuſdem Filius, qui Choſræ patri interfecto, reliſque ejuſdem *Sirois* juſſu confoſſo ſucceſſerat, pacem petiit, atque cum Romanis ſtatutis conditionibus iniit, quarum una fuit, ut Chriſtiani, qui cuſtodiis detinebantur una cum Patriarcha Hieroſolymitano *Zacharia*, atque inſuper vivificum Crucis Domini Lignum Romanis reſtituerentur; quod reapſe factum fuit. Sacrum itaque Crucis Domini Lignum ab *Heraclio* Imperatore primum Conſtantinopolim, deinde Hieroſolymam delatum fuit, & in eum montem, quo Chriſtus Salvator illud tulerat, ab ipſo *Heraclio* ſuis humeris aſportante reſtitutum fuit. Qua quidem in re, quæ miracula contigerint, cum notior ſit Hiſtoria, quam ut monitore indigeat (quotannis enim in Feſto Exaltationis S. Crucis Die XIV. Septembris recitatur in Breviario Romano) referre prætermittimus.

VI. Anno dehinc poſt Chriſtum natum *622.* nova ex Inferorum faucibus peſtis erupit *Mahummedana* ſcilicet Secta, qua nihil Chriſtiano nomini in Orientis vaſtiſſimis illis regionibus exitialius accidere potuit. Sectæ hujus auctor extitit *Mahummedes* inſignis veterator, atque impoſtor vaferrimus, crapulis, ac libidinibus deditiſſimus. Novam hic invexit in illas regiones Religionem, ſuamque deteſtabilem propalavit doctrinam, quam in peculiarem librum

congeſſit, quem arabice *Alceranum*, ſeu *Volumen Præceptorum* nuncupavit, in quo quidquid prophanum, quidquid ſuperſtitioſum, quidquid impium, quidquid impurum in variis Sectis diverſo tempore fuerat diligentiſſime collectum, exhibetur, ac peſſimo ejuſdem Sectatorum malo propinatur. Putidum iſtud Religionis commentum armis, bellorum ſtrepitu, ac terrore, adjunctis ſibi *Muſulmanis*, qui ei adheſerant, tuebatur *Mahummedes*, quique illum ſubſecuti fuere *Aboubecher Calif. I.* atque *Omar Calif. II.* eorumdem armorum præſidio ac terrore in dies magis magiſque propagarunt. Tam Arabiam, Siriam, Gazam anno poſt Chriſtum natum 635. Romani Imperii clavo adſidente adhuc *Heraclio*, imo & Damaſcum in ſuam redegerant ditionem. Saracenorum copiæ in Phænicia ſedes fixerant, atque Hieroſolymorum Urbem obſidione cinxerant, atque dure premebant; cujus quidem obſidionis laboribus, atque calamitatibus ſolido biennio toleratis, tandem anno 637. ad deditionem coacta, *Calif Omar*, qui præſens aderat pactionibus initis manus dedit. Urbe potitus *Omar* civibus vitæ ſecuritatem indulſit, ipſorum rebus, ac Templis pepercit, neque quidquam intulit injuriæ, ipſe tamen aliquot poſt annos Fanum eo ipſo in loco, ubi Salomonis Templum fuerat extructum, Mahummedano ritu dedicavit, quo ſuæ gentis homines oratum convenirent, aſportato e monte Oliveti Crucis-Signo.

VII.

VII. Non diu poſt captam Urbem Hieroſolymitanam *S. Sophronius* Patriarcha Hieroſolymitanus Fidei Catholicæ adverſus Monothelitas acerrimus propugnator vita ceſſit, atque in æternæ requietis atque beatitatis ſinum receptus eſt. Hic *Nicephorus* Hiſtoricus ſuum claudit cathalorum chronologicum de ſucceſſione Patriarcharum Hieroſolytanorum. A B. itaque Sophronio, ac deinceps ignota atque obſcura fuit ſeries illorum, qui Patriarchalibus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ inſignibus cohoneſtati fuerint. Ex eo enim tempore, quo Barbari, ſeu Saraceni Alexandriam ſubegerunt, Antiochiam, atque Hieroſolymas expugnarunt, *Jacobitæ*, ita appellati a *Jacobo* Monacho Syro, *Severi* diſcipulo, Eutychiani erroris acerrimo defenſore, qui & ipſi Eutychianæ hæreſeos labe inquinati fuere, Sedes Patriarchales Alexandrinam, atque Antiochenam invaſerunt, atque deinceps occuparunt; quorum omnium Patriarcharum ſucceſſionem, qui a Sæcul. VII. atque deinceps Alexandrinam Sedem tenuerunt, accurate exhibent Cl. Continuatores Bollandi in *Hiſtoria Chronologica*, quam præmiſerunt ad Tom. V. Menſis Junii, & Cl. Euſebius Renaudotius in Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, quam legere etiam poteris apud Cl. Graveſon *in Hiſtor. Eccleſiaſt. Sæcul. VII. & VIII. Colloq. II.* Quod autem pertinebat ad noſtros Hieroſolymitanos Patriarchas, ignota atque obſcura

 fuit,

fuit, uti diximus, illorum ſeries, uſque ad adventum Latinorum in illas regiones, de quo mox dicendum. Attamen Cl. Pappebrochius in *Tractatu* Præliminari, quem præmiſit ad Tom. III. Mens. Maii, Cathalogum pertexuit Patriarcharum Hieroſolymitanorum a S. *Jacobo* Chriſti Domini Fratre primo Hieroſolymorum Epiſcopo uſque ad *Doſitheum*, qui anno 1672. Synodum Hieroſolymis celebravit pro adſerenda reali preſentia Corporis Chriſti in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, cujus acta Pariſiis typis excuſa Græco-latine habentur.

VIII. Hieroſolymitana itaque Eccleſia, ac Civitas S. poſtquam in Barbarorum ditionem redacta fuit, diutiſſime ac per longa temporum intervalla ingemuit ſub duriſſimo illorum jugo; h. e. a Sæcul. VII. uſque ad dimidium fere XI. Sæculi. Attamen tolerabiliora hæc videbantur, quam quæ poſtea ſubſecuta fuere; neque enim per illud temporis SS. locorum cultus ac veneratio intermiſſa fuit, aut multum diminuta; uti teſtatur Ven. Beda. *De loc. Sanct.*, nec Chriſtifidelibus illic degentibus, aut illuc piæ peregrinationis cauſſa adventantibus multo difficiliorem acceſſum ea omnia præbebant.

IX. Anno autem milleſimo, & quinquageſimo circiter Turcarum copiæ (de quorum origine non conveniunt eruditi, dum alii a Parthis, alii a Schythis, alii a Turca Perſarum Urbe magna, & opulenta, alii

alii ex Cœleſyria, & Arabia oriundos tradunt) Turcarum inquam copiæ ea loca invadentes Syria, & Hieroſolymis potiti fuere. Ex eo autem tempore graviori, atque acerbiori ſervitutis jugo premi cœpere Chriſtifideles illic degentes, illi enim miſerandum in modum Chriſtianos inſectabantur, atque indignis calamitatibus divexabant. Hiſce itaque malis afflicti Chriſtifideles ea loca incolentes, veluti olim Judaicus Populus ſub Ægyptiacæ ſervitutis jugo gemens, altaria ambiebant, ſupplices manus protendebant ad cælum, ac Deum ſollicita prece exorabant, ut audiret eorum clamores, atque deſcenderet ad eos liberandos in manu forti, atque in brachio extento. At Deus miſericordiarum Pater, cujus eſt, ut non patiatur ſperantes in ſe nimium affligi, aut confundi, orationibus ſervorum ſuorum præbens oculos apertos, atque aures erectas, opportunam aliquando afflictis eorum rebus opem tulit; quod ſane unde, & quomodo factum ſit, paucis expediamus oportet.

X. Non paucis itaque evolutis annis poſt Turcarum invaſionem, ac Terræ noſtris Patribus promiſſæ occupationem, cum Sacra illa Loca inviſeret pius quidam Eremita *Petrus* nomine, Gallus, patria Ambianenſis vehementer indoluit Chriſtifidelium vicem gementium ſub Turcarum tyrannide, inſuper & contaminationem locorum illorum, ubi ſteterunt pedes Domini, quæ prope evaſerant præſepia equo-

rum. De hiſce itaque omnibus plene edoctus tum quia ſuiſmet ipſe oculis hauſerat, tum quia hæc eadem didicerat ex colloquio, quod ope interpretis habuit cum Patriarcha *Simeone* viro probatæ virtutis, tunc temporis Hieroſolymitanam Eccleſiam regente. Inſuper acceptis ab eodem litteris ad Romanum Pontificem, alioſque Chriſtianos Principes, in quibus poſt enarratam iliadem tantorum malorum enixius rogabantur, ut Fratribus tot tantiſque calamitatibus laborantibus ſuppetias ferrent; inde recedens, atque navim conſcendens Barium appulit, atque inde recta perrexit Romam Sum. Pontificem aditurus, ut promiſerat.

XI. Ea ætate Catholicæ Eccleſiæ clavo adſidebat *Urbanus II.* Hic cum allatas ad ſe Chriſtianorum litteras legiſſet, tum acri ipſius Petri ſermone permotus ad commiſerationem tantarum calamitatum, quibus tum Chriſtifideles illic commorantes, tum ipſa Chriſtiana Religio afflictabatur, indubitanter promiſit, atque recepit, ſe in id quam efficacius poſſet operam ſuam collaturum, cum primum incidiſſet occaſio id præſtandi.

XII. Itaque cum in Gallias paullo poſt veniſſet apud *Clarum Montem* ſubſiſtens Synodum in eadem Urbe convocavit, anno poſt Chriſtum natum 1095. quæ a loco, in quo habita eſt dicta eſt *Claramontana*, cui interfuere tredecim Archiepiſcopi, ac Prælati bis centum, & quinque; niſi

niſi fortaſſe iis adhærere malis, qui illorum numerum uſque ad quater centum extendunt. In hoc itaque Concilio poſt multa ſapientiſſime ſancita ſummo Eccleſiæ bono, pro Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtauratione, quæ triginta duobus continentur Canonibus juxta Baronium, ceteroſque Conciliorum Collectores, Sacrum indixit Bellum laudatiſſimus Pontifex, *Urbanus* inquam II. poſtquam acri, ac vehementi oratione fidelium animos accenderat ad commiſerationem fratrum ſuorum ingemiſcentium ſub duro Barbarorum dominatu, atque ad pietatem, quo injuriæ Religionis ſanctitati illatæ fortiter vindicarentur, atque opportune reſarcirentur. Quod profecto ante viginti annos jam animo conceperat *S. Gregorius VII.* & vehementer optaverat, licet ad deſtinatum finem perducere nequiverit. Ut autem libentius, alacriorique animo excitarentur fideles ad tam pium opus inter tot diſcrimina rerum ſuſcipiendum, atque ad imitationem eximiæ illius caritatis, quam Chriſtus nos edocuit, atque ſuo etiam exemplo commendavit, ut pro fratribus animas ſuas ponerent, adjecit, atque propoſuit ſpiritualia ampliſſima munera ex Eccleſiæ theſauro deprömta, conceſſa nimirum integræ Canonicæ pænitentiæ relaxatione, atque indulgentia iis omnibus, qui ad Sacrum iſtud Bellum proficiſcerentur, per hæc verba: *Quicumque pro ſola devotione, non pro honoris, ac pecuniæ adeptione ad li-*

liberandam Eccleſiam Dei Hieruſalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur. Subjunxit etiam, minime dubitandum iis, qui in hac expeditione deceſſerint, conſecuturos ipſos fore plenam, atque integram peccatorum remiſſionem, atque æterna gloriæ conſortium, veluti iſtorum laborum mercedem ac præmium. Ut autem ab omnibus dignoſceretur non terrenæ dominationis cupiditate, ſed Relegionis defendendæ ſtudio, ac vindicandæ injuriæ adorandæ Cruci illatæ, Bellum hujuſmodi ab eis ſuſcipi, præcepit, ut omnes, qui ad illud eſſent profecturi, pro teſſera militari geſtarent S. Crucis Signum rubri coloris ſuper dexteram ſcapulam veſtibus impreſſum. Quantum porro ardoris, ac pietatis pro Religionis defenſione, pro fratrum ſuorum liberatione inſtillavit in animos fidelium oratio iſthæc habita ab ipſo Chriſti Vicario, Romano inquam Pontifice *Urbano*, vel ex hoc tantum colligi poterit, quod hiſce admotis Religionis, ac pietatis aculeis, extemplo turbati animi, atque incenſi, omnes ſimul in haice voces prorumpere auditi fuere: *Deus vult*, *Deus vult*. Quin imo, ne cæleſte præſidium huic tanto operi, tam periculoſæ aleæ pleno deeſſet, fertur indixiſſe, atque injunxiſſe Clericis onus recitandi Officium B. V. a B. Petro Damiano concinatum, vel ſaltem in meliorem formam reſtitutum, uti probat Cardin. Bona, cujus recitandi pia conſuetudo jam

jam tum a tempore B. Petri Damiani invaluerat inter Religioſos.

XIII. Ipſe etiam Petrus Eremita, quem paulo ante commemoravimus pro ſuo Religionis ſtudio, ſuccenſus ardore promovendi tam pium opus, atque laudabile Italiam univerſam obivit, ac peragravit, Alpium etiam juga prætergreſſus ſingulos Chriſtianorum Principum Occidentalium regionum privatim adire non dubitavit, atque tum adhortationibus, tum effuſis precibus, atque quibuſcumque modis poſſet, unumquemque illorum exſtimulare conatus eſt, ut tam pio operi, Deo tam accepto pro Religionis honore adjutrices manus præberent; ac quantum in ipſis erat ſuppetias ferrent fratribus in tanto diſcrimine laborantibus. Tum etiam ad populum quam frequenter orationem habebat, ut quiſque etiam de populo in partem veniret aut laborum, aut ſaltem expenſarum; nec umquam tot, tamque pii labores ſuſcepti a pio Eremita fructibus caruere.

XIV. Hoc itaque veluti claſſico excitati Chriſtifideles univerſi certatim confluebant, ut huic ſacræ militiæ nomen darent, ipſi Principes Europæ Itali, Galli, Germani ceteris ſuo exemplo præibant. Secuta eſt ingens copia ex nobilibus, atque illuſtribus familiis, nec defuere Epiſcopi, Abbates, Sacerdotes, Monachi, qui & ipſi Crucis aſſumto vexillo alacres ſeſe itineri committerent. Omnes ardebant de-

fide-

ſiderio propagandæ Chriſtianæ Religionis, atque aſſerendi in libertatem Chriſtifideles Barbarorum tyrannide miſerandum in modum divexatos. Collectus itaque fuit immenſus exercitus equitum, peditumque. Cernere itaque erat ipſos Cruce-Signatos ad bellum procedentes inter fauſtas populi acclamationes, & quiſque pro ſuo erga Religionem ſtudio contendebat ſeſe illis adjungere, & comitem ſeſe præbere, in tanto, tamque illuſtri facinore, ne ipſis quidem parvulis, aut mulieribus exceptis. Complures etiam, divenditis ſuis amplis poſſeſſionibus modico, atque exiguo pretio, derelictis etiam, quæ cariora eſſe poterant hominibus, uti uxores, liberi, certatim geſtiebant arma capeſſere, & ceteros Cruce-ſignatos ad Sacrum Bellum jam procedentes pro ſuo marte adjuvare.

XV. Primus tamen, qui ceteros anteiverit, atque ſuo exemplo magis accenderit ad hujuſce Sacri Belli pericula adeunda, fuit *Gauterius* quidam, nobilis, ac bellicoſus vir, qui ſecum ducens ingentem peditum multitudinem circa Nonas Martias anno poſt Chriſtum natum 1096. ad Sacrum illud Bellum profectus eſt. Secutus eſt dein *Petrus Eremita* ſecum ferens quadraginta millia hominum, quos collerat ex variis Nationibus Galliæ, & Germaniæ. Tertius acceſſit ad Sacrum Bellum progrediens Sacerdos quidam nomine *Godeſcalcus* ex ipſa Germania ortum ducens, quem ſequebantur quindecim millia

Bel-

Bellatorum; at iſti, quia fortaſſe animo magis depopulandi alienas terras, quam pugnandi contra Saracenos ſuis ex domibus profecti videbantur, intra ipſa Europe confinia, nimirum in Ungaria trucidati fuere, nec uſque ad Hieroſolymas pervenere.

XVI. Paulo poſt ſecuta fuere peditum bis centum millia licet nullo duce, nullo militari ordine. Ac præterea aliæ innumeræ copiæ bellatorum a menſe Martii ad Octobrem uſque paſſim iter arripuere; adeo ut in obſidione Nicææ, quo convenientes Galliæ duces recenſuerunt ſuas copias, inventa fuerint centum millia equitum, peditum vero ſexcentamillia enumeratis etiam mulieribus, quæ & ipſæ Cruce-Signatos inſequebantur.

XVII. Nihil porro frequentius per ea tempora, aut magis commendatum eſſe poterat ea ætate, quam votum aſſumendi Crucis vexillum, ac mare trajiciendi in ſubſidium Cruce-Signatorum pro liberatione Hieroſolymorum; unde vocitari ſolebat Votum *Tranſmarinum*; Licet autem Sum. Pontifex *Urbanus II.* in memorato Claramontano Concilio proficiſcentes ad Sacrum Bellum exemerat ab obligatione jejuniorum, aliorumque pænalium operum, ad quæ forte tenerentur, ipſos tamen, qui Crucis vexillum aſſumſiſſent, ad complenda hujuſmodi vota nuncupata omnino adſtrictos eſſe voluit, pænam excommunicationis imponens tranſgreſſoribus, aut de-

ſer-

ſertoribus hujuſmodi votorum. Quia tamen hujuſmodi vota majori potius pietatis fervore, quam ſecundum Chriſtianæ prudentiæ regulas edi ſolebant, nec ſine ſummo rerum diſcrimine aliquando executioni demandari poterant, quæ facilitate nimia ſub Religionis vinculo fuerant promiſſa; ut cum E. G. Epiſcopi deſerentes Eccleſias ſibi commiſſas Crucis vexillum aſſumebant, quod non ſine maximo Eccleſiarum ſuarum detrimento fieri poterat, aliique hujuſmodi; uti præ ceteris contigit Toletano Archiepiſcopo Bernardo, de quo Vide quæ in hanc rem enarrat Hiſtoriagraphus Sacer *Fleuri* anno 1096. *n.* 43. ſæpe ſæpius recurrendum erat ad Romanum Pontificem pro liberatione, aut prorogatione hujuſmodi voti. Atque ea profecto de cauſſa factum fuit, ut tot Epiſtolæ Decretales a diverſis tunc temporis Pontificibus prodierint de hujuſmodi voto agentes, quarum multas legere eſt in decretalibus Gregorii IX. in titulo *de Voto, & Voti Redemtione*, de quibus poſtea peculiariter, ac ſingillatim agendum nobis erit, ut fidem noſtram liberemus. Atque hæc fuere, uti arbitror quædam initia reſervationis in hujuſmodi votis. At de hoc etiam fuſius ſuo loco.

XVIII. Itaque collectæ Cruce-Signatorum copiæ jam profectæ Conſtantinoplim advenere, ubi varia ſuperanda fuere difficultatum impedimenta ab *Alexio Comneno* Imperatore objecta, qui dum piis

Chri-

Chriſtianorum incœptis ſuffragari, atque favere videbatur, magis ſibi metuens, illos contra pacta inita variis calamitatibus affligtare conabatur; deinde trajecto Boſphoro in Aſiam tranſmiſere. Nicæam ergo primum Urbem ſatis ſuperque inſignem obſidione circumſepiunt, atque ad deditionem cogunt; deinde in Siriam progreſſi, in Antiochiæ proſpectum ſeſe dedere, quæ & ipſa obſidione coacta manus dedit, atque victricia Chriſtifidelium ſigna intra ſe admiſit; ac deinceps variis oppidis potiti, Hieroſolymas tandem pervenere, quo ſcilicet omnia ipſorum vota, omnia ſtudia, atque graviſſimi ſuſcepti, atque exantlati labores unice ſpectabant.

XIX. Jam vero Hieroſolymorum Civitas non multo ante, uti jam diximus, inciderat in Turcarum ditionem, h. e. jam inde ab anno milleſimo, & quinquageſimo circiter. Adventantibus autem illuc Francorum copiis Cruce-Signatis Turcæ illic commorantes, qui parebant *Calif Bagdad*, expulſi inde fuere a *Calif Fatamita* Ægyptio, qui imperabat Saracenis. Hic opportunam nactus occaſionem ex victricibus Latinorum ſignis Barbaros hac, atque illac debellantibus, Hieroſolymitanam Urbem a Turcis patri ſuo ereptam poſt trigeſimum octavum annum armis recepit. Cum igitur, ita res ſe haberent *Calif Fatimita* Ægyptius jam Urbe potitus illam ſibi retinere contendebat, atque in hanc ſuam ſententiam ipſos Francos

Cru-

Cruce-ſignatos pertrahere conabatur, facta illis poteſtate libere inviſendi, ac venerandi Sacra Loca quocumque vellent tempore; modo illuc inermes neque plus, quam bis, aut tercenteni ſingulis vicibus illuc ingrederentur.

XX. Hiſce nuntiis acceptis Cruce-ſignati, graviter indignati audaciam *Fatimitæ Ægyptii*, qui ipſis nitebatur leges imponere, agmine inſtructo iter arripiunt Hieroſolymam verſus. Illuc cum perveniſſent Urbem ipſam obſidione cingunt, atque incredibili virtute contra Saracenos decertant; ac tandem poſt aliquot dierum ſpatium armata vi in eam irrumpunt hora diei nona, qua ipſa hora Chriſtus Dominus humani generis Salvator mortem pro nobis obire dignatus eſt. Cum autem civitas illa infidelibus referta eſſet, Chriſti-fideles poſtquam in eam ingreſſi fuere in Saracenos inſilientes innumeros prope morti dedere. Hæc tam inſignis victoria poſt hominum memoriam celebratiſſima contigit circa Idus Julias decurrente anno Milleſimo, ac nonogeſimo nono poſt Salvatoris noſtri adventum.

XXI. Poſtquam ergo profligatis ac trucidatis ſuis, ac noſtræ Religionis hoſtibus ipſam Urbem omnium Religione ſanctiſſimam in ſuam poteſtatem penitus redegerunt Cruce-ſignati, nihil ipſis potius fuit, atque antiquius, quam Chriſtianæ pietatis, atque Religionis officia perſolvere; quapropter depoſitis armis, abjectiſque mi-

militaribus inſignibus, nudis pedibus, lacrymis ubertim perfuſi, gemebundi, ac venerabundi Sacra Loca Religionis noſtræ myſteriis inſignia, ac preſertim Eccleſiam S. Sepulchri inviſere cœpere. Illis autem pergentibus ad Sanctorum Locorum pro ſua pietate adorationem obviam proceſſit Clerus, ac Populus, reliquiæ ſcilicet Chriſtifidelium, quæ ibidem ſupererant, quæ Crucem geſtantes, ac Sacras Reliquias Cruce-ſignatos hilares triumphantium more excipiunt, atque ipſos ad Eccleſiam deducunt, undique perſonantibus gratiarum actionibus pro tam inſigni beneficio, hymnis, atque canticis ſpiritualibus. Aderat etiam illic Petrus ille Eremita, cujus antea meminimus, quem agnoſcentes Chriſtifideles illic reperti undique circumſiſtunt & genuflexi ante illum, innumeras ei referunt gratiarum actiones, & quibus poſſunt modis grati animi officium ei conteſtantur.

XXII. Oh quale ſpectaculum fuit, quam dignum Chriſtiana pietate, quam celebrandum memoria omnium ſæculorum! cernere, atque inſpectare ipſos Cruce-ſignatos Sacra Loca inviſentes, veſtigia, ac monumenta dolorum noſtri Servatoris Chriſti religioſiſſime colere, atque profuſis præ gaudio lacrymis exoſculari; atque quemquam illorum ſummo ſtudio contendentem ceteris præire amplioribus ac luculentioribus pietatis Chriſtianæ, ac Religionis argumentis. Omnia itaque redun-

da-

dabant lacrymis ſinceræ pietatis, lætitiæ clamoribus, atque gratiarum debitis actionibus, dum perſpicerent pium ſacræ perigrinationis laborem ab ipſis ſuſceptum tam feliciter ipſis ceſſiſſe, ac tantos, tamque præclaros pietatis fructus ſibi attuliſſe.

XXIII. Vix octo effluxerant dies a tam inſigni victoria, cum Francorum Duces convenere aliquem ex ipſis electuri, quem præficerent Civitati, ac Regno in Regem; ac tandem omnium ſuffragia amice conſpirarunt in *Godofridum* Bullionæum Ducem Lotharingiæ atque Chriſtiani exercitus Generalem Præfectum, præſertim propter ejus bellicam virtutem multoties perſpectam, ac propter ejuſdem inſignem pietatem; cujus illud ſingulare teſtimonium memoriæ commendatum fuit, teſte *Uuillemo* Tyriorum Archiepiſcopo auctore coævo, quod aurea corona, Regnum more, inſigniri, nec umquam uti voluit in S. Civitate, in qua humani generis Reparator uſque ad Crucis patibulum Spineam geſtavit. Huic autem, prout ſuus Religionis ardor expoſcebat, præcipua cura fuit Divinum cultum inſtaurandi, quod actutum ac protinus aggreſſus eſt, ac cumulatiſſime præſtitit, tum duorum inſignium Capitulorum erectione, tum Monaſterii exædificatione, congrua omnibus facta redituum aſſignatione, atque aliis inſuper editis illuſtribus ſuæ munificæ pietatis monumentis.

XXIV. Anno porro prædicto milleſimo no-

nonageſimo nono jam jam ad exitum vergente Hieroſolymas pervenit *Daimbertus* Archiepiſcopus Piſanus Pontificii legati munere decoratus ab eodem Urbano II. ingentem ſecum deferens Cruce-ſignatorum numerum collectum ex Italiæ regionibus, qui poſtquam Diem Natalitiam Chriſti Redemtoris in Antro Bethlemitico devote concelebraſſet, depulſo *Arnulpho*, viro inquietiſſimo, ac Officii ſanctimoniam non cuſtodiente in illam Sedem intruſo, unanimi omnium conſenſu ipſe evectus fuit in Patriarchalem Sedem Hieroſolymitanam: etenim *Simeon* Græcus Patriarcha, qui Hieroſolymitanæ Cathedræ præerat, adventantibus illuc Latinis Cruce-ſignatis profectus fuerat Cyprum collectas facturus, ut Turcarum impoſitis contributionibus ſatisfacere poſſet, non amplius redierat. Conſtituto itaque *Daimberto* in Sede Hieroſolymitana ipſe *Godofridus Rex*, & *Boëmundus* Princeps inveſtituras ab ipſo recepere, alter Regni Hieroſolymitani, alter vero Principatus Antiocheni, ut debitum honoris officium illi exhiberent in ejus perſona, cujus vices gerebat in terris. *Daimbertum* a *Balduino I.* qui Fratri *Godofrido* in Regno Hieroſolymitano ſucceſſerat, ab illa Sede dejectum anno 1103. ac poſtea vita functum excepit *Gibelinus* Archiepiſcopus Arelatenſis, qui a *Paſchali II.* Pontifice cum miſſus fuiſſet legatus Apoſtolicæ Sedis in Aſiam, ut ipſe controverſiam examinaret atque dirimeret inter

ter *Daimbertum*, & *Ebremarum* de Patriarchatu Hieroſolymitano contendentes, mortuo *Daimberto* unanimi ſuffragio delectus eſt, atque inſtitutus Patriarcha Hieroſolymitanus. Hunc deinceps conſecuti fuere ceteri Latini Patriarchæ Hieroſolymitani, ordine quiſque ſuo uſque ad *Heraclium* Prælatum contaminatiſſimæ vitæ, quo Hieroſolymitanam Sedem occupante Hieroſolymorum Civitas capta, iterum redacta eſt in Turcarum tyrannidem; uti ſuo loco dicemus. Seriem autem Patriarcharum Hieroſolymitanorum ex gente Latinorum, qui a memorato *Daimberto*, uſque ad *Heraclium* Hieroſolymitanam Eccleſiam gubernarunt exhibet Cl. Graveſon *Hiſtor. Eccleſiaſt. Sæcul. XII. Colloq. II. Et in Quarta Tabula Chronolog. Patriarch. Latinorum* quæ una cum ceteris proſtant poſt Tom. VIII. Editionis Venetæ. Anno 1738.

XXV. Anno dehinc milleſimo centeſimo *Godofridus* Rex, Princeps numeris omnibus abſolutiſſimus, & omnium bonorum memoria vere digniſſimus, poſtquam vix unius anni ſpatio novi Hieroſolymitani Regni gubernacula moderatus eſſet, mortem obiit, eique ſucceſſit *Balduinus* hujus nominis I. ipſi Godofridi frater germanus, qui loco fratris demortui in Regem Hieroſolymitanum inunctus eſt Die Natalitia Christi Domini anno 1100. qui [illegible]ibus annis Hieroſolymitano Regno potitus. Eo autem demortuo anno 1118. in

Re-

Regem Hieroſolymorum inauguratus eſt *Balduinus* hujus nominis II. atque ſic deinceps alii ſuo quiſque ordine uſque ad Guidonem, qui fuit nonus, & poſtremus, qui ex Latinis Hieroſolymis regnaverit: nam eo regnante *Saladinus* Rex Ægypti Hieroſolymas expugnavit, in ſuam redegit ditionem, ac Mahumeticis ſuperſtitionibus iterum contaminavit; uti fuſius ſuo loco dicemus. Horum autem Regum ſeriem, & tempora ſi cui noſcendi lubido inſit, adeat Cl. Graveſonium in *Hiſtor. Eccleſiaſt. Sæcul. XII. Colloq. I.* qui accurate deſcribit nomina, Regni dies, & obitus; nos vero, cum res poſtulabit indigitare etiam non prætermittemus. Interim Hiſtoriam Expeditionum Cruce-ſignatorum ſecundum temporum ordinem proſequamur oportet, quod nobis initio propoſitum fuerat.

XXVI. Cum autem geſtorum in Oriente per Latinorum Cruce ſignatos Exercitus fama longe lateque pervagata, ac fauſtiſſimus nuntius præſertim de liberatione Hieroſolymitanæ Civitatis ex Turcarum tyrannide compleſſet aures mortalium, illico novis ſtimulis excitati illorum animi, vota hujuſmodi libentiſſime nuncupabant, arma certatim capeſſebant pro Religionis honore; dulce enim, ac decorum pro Religione mori. Quare ipſo anno 1101. prope quadraginta millia bellatorum ex Gallia Ciſulpina ſub ductu præſertim *Anſelmi* Archiepiſcopi Mediolanen-

nenſis, aliorumque illuſtri:m, ac nobilium virorum, quos etiam ſecuta fuit ingens Germanorum copia. Ex Gallia etiam Tranſalpina anno 1102. triginta hominum millia, quibus non defuere nobiliſſimi Duces Regio etiam ſanguine prognati, Crucis Inſignia ſuſcepere, atque itineri protinus ſeſe commiſere. At iſthæc expeditio Cruce-ſignatorum felicibus auſpiciis ſuſcepta, felici caruit ſucceſſu. Etenim cum perveniſſent Cruce-ſignati Conſtantinopolin, atque inde profecti Nicæam appuliſſent, temere in duas partes diſſectus eſt exercitus. Altera quidem per devia-viarum itinera, atque inhoſpita montium perrexit, ibique miſerandum in modum major ipſorum pars vitæ uſuram amiſere. Altera vero Tarſum in Cicilia pervenit, indeque Antiochiam, unde properantibus ad Hieroſolymas ardore inviſendi ac venerandi adoranda noſtræ Religionis monumenta, obviam proceſſit *Balduinus*, eoſque honorifice exceptos deduxit Hieroſolymas, ubi ſimul Dominicæ Reſurrectionis Feſta concelebrarunt. Sed paulo poſt, cum *Balduinus*, licet viribus longe impar, imprudenter ſigna contuliſſet cum Infidelibus, Chriſtifidelium exercitus profligatus, ac devictus eſt, ibique Cruce-ſignati, qui recens ex Occidente devenerunt, majori ex parte interemti fuere. *Timeon* vero Archiepiſcopus *Salisburgenſis* captus a *Muſulmanis*, cum intentatis undique minis atque tormentorum terrore a

Bar-

Barbaris adigeretur ad Chriſtianam Fidem ejurandam, invicta conſtantia mortem ſubiit, illuſtre Fidei teſtimonium edidit, ideoque in albo Martyrum recenſitus.

XXVII. Sub idem fere tempus referenda occurrit inſtitutio *Equitum Hoſpitalariorum*, *ſive S. Joannis Hieroſolymitani*, qui nunc *Equites Melitenſes* dicuntur. Hujuſce autem tam præcellentis inſtituti initia debentur *Amalphitanis* hujuſce noſtri florentiſſimi Regni Neapolitani incolis, qui illuc, Hieroſolymas nempe, negotiationis cauſſa peregrinis mercibus onuſti ventitare ſolebant. Quo pacto vero hujuſmodi *Hoſpitalarii Equites* in Regularem ordinem tranſierint, qui noſſe cupit, legat laud. Graveſonium *loc. cit. Colloq. VI.* Item hoc etiam tempore prodit Ordo *Militum Templi*, ſeu *Equitum Templariorum*, qui inde vocati fuere *Milites Templi*, ſeu *Fratres Militiæ Templi*, quia *Balduinus II.* Hieroſolymorum Rex anno 1118. conceſſerat eis locum in Palatio, quod ſecus Templum Domini ad auſtralem plagam ſitum erat. Huic Ordini inſtituto propoſitum erat vias publicas cuſtodire, tutari fideles ab infidelium injuriis, perigrinantes ad Loca Sacra Chriſtianos, a Prædonum inſidiis, & Chriſtiani nominis hoſtium incurſibus defendere. Hic Ordo, qui poſtea in Concilio Trecenſi in Gallia anno 1128. celebrato Præſide *Matthæo* Cardinali Epiſcopo Albanenſi, Sedis Apoſtolicæ Legalo, confirmatus

fuit, tradita eidem Regula, præſcriptiſque veſtibus albi coloris, plures annos in Eccleſia fama celebris floruit; qui & pluribus Decretalibus Romanorum Pontificum Epiſtolis, quæ in Jus Canonicum relatæ viſuntur, occaſionem dedit; uti videre in Titulo *De Privilegiis Cap.* 7. *Cap.* 10. *Cap.* 11. Titul. *De Sentent. Excommunicat. Cap.* 50. Titul. *De Judiciis. Cap.* 16. Titul. *De Reſtitut. Spoliator. Cap.* 15. aliiſque in locis; Qui demum cum opibus, ac divitiis ſupra modum auctus in maximos degeneraſſet abuſus, atque in vitia prolapſus eſſet in Concilio Viennenſi in Galliis ſub *Clemente V.* anno 1311. inſtante præſertim *Philippo Pulero* Galliarum Rege extinctus, atque abolitus fuit. Qua de re lege *laud. Graveſon. Hiſtor. Eccleſiaſt. Sæcul. XIII. & XIV. Colloq. IV.*

XXVIII. Subſecutis vero deinceps temporibus; ſcilicet ab initiis fere hujus Sæculi XII. uſque ad dimidium prope ejuſdem Sæculi nullæ occurrunt in Eccleſiaſticis hiſtoricis monumentis Expeditiones factæ a Latinis Cruce-ſignatis. Poſt recuperatam tamen Hieroſolymorum urbem, atque ereptam Barbarorum jugo, recedentibus inde Latinorum copiis, Turcæ vatiniano odio ſemper proſecuti Chriſtifideles, loca, atque agros circum incolentes, eo vel magis Chriſtianos inſectabantur, variis calamitatibus illos divexabant, obvios quoſque trucidabant, aut ſecum abducebant, in ſervitutem redigebant;

ne-

neque ſolum in ipſas Chriſtianorum civitates, non adhuc bene munitas irrumpebant, verum & in ipſas domos, diripiendo, trucidando luctum, atque mærorem undique importabant. Hinc non defuere hiſce temporibus varia prælia a Chriſtianis cum ipſis commiſſa. *Balduinus* hujus nominis I. Ptolemaidem, ac Tripolim ſuæ ditioni ſubegit, variaſque ſubinde de Saracenis victorias reportavit. Infelicius tamen cum iiſdem pugnavit *Balduinus* hujus nominis II., qui in locum I. ſuffectus fuerat; quippe qui a Saracenis anno 1123. captus fuit, licet anno inſequenti in libertatem fuerit adſertus. Sacræ etiam peregrinationes ad S. Hieroſolymorum Civitatem, ac eorum vota facilius animo concipiebantur, atque felicius executioni demandari poterant. Sane Loca illa, in quibus noſtræ Religionis maximo noſtro bono completa fuere Myſteria, maximæ ſemper venerationi fuere Chriſtifidelibus cujuſcumque ætatis. Quare jam inde ab incunabulis ipſius Chriſtianæ Religionis Chriſtifideles certatim ſummo ſtudio, ac labore contendebant inſignia iſthæc Religionis monumenta devote inviſere, atque dignis pietatis ſenſibus venerari. Huc ſpectat, teſte D. Hieronymo *Epiſt.* 19. *Ad Paulam* ſtudium illud Pauli Apoſtoli aſcendendi in Hieruſalem; ut ipſe de ſe narrat *Epiſt. Ad Galat. Cap.* 1. & 2. tum ut videret Petrum, tum ut inviſeret etiam, atque adoraret Sepulchrum Do-

mini. Ipſe D. Hieronymus, qui floruit Sæculo IV. definente, atque V. inchoante teſtatur ſua ætate, undique gentium homines ad Sancta Loca veneranda Hieruſalem conveniſſe voti ſolvendi cauſſa. *Epiſt.27. Ad Euſtochium*. Illuſtre etiam hujuſce tam pii Inſtituti ad hæc Sacrata Loca peregrinandi ejuſdem fere ætatis Scriptor exhibet monumentum *S. Gregorius Nyſſenus* In Oratione *De iis, quæ adeunt Hieroſolymas*, qui dum abuſus in iiſdem frequentandis invectos carpit, atque inſectatur, præſertim quod mulieres etiam illas Peregrinationes ſuſciperent, atque complerent, abunde oſtendit quanto ſtudio, quanta frequentia a Chriſtianis cujuſcumque, ætatis ac ſexus celebrarentur. De ſua ætate idem teſtatur Beda Scriptor Sæculi VIII. in *Libello De Locis S.* Sæculo autem XII. in cujus hiſtoria illuſtranda verſamur, cum Chriſtifideles in hæc loca Orientalium Regionum dominarentur, facilius, & frequentius hujuſmodi piæ Peregrinationes ſuſcipiebantur, atque conficiebantur. Illuſtre eſt hac ætate exemplum *Fulconis*, qui Hieruſalem veniens voti ſolvendi cauſſa *Balduini II.* Hieroſolymorum Regis gratiam, atque amicitiam ſibi conciliavit, cujus poſtea, & gener, atque in Regnum Hieroſolymitanum ſucceſſor evaſit. Pervulgata eſt etiam in hanc rem Epiſtola D. Bernardi, quæ eſt 355. in ordine, ad *Meliſendem* filiam memorati *Balduini II.*, atque *Fulconis* uxorem, qua Præmonſtra-

tea-

tenſes Monachos illuc perigrinantes voti cauſſa eidem commendat. Subſecutis vero ætatibus hujuſmodi Peregrinationum Vota ad Loca S. inviſenda frequentiora etiam fuiſſe teſtantur variæ Decretales ſummorum Pontificum Epiſtolæ diverſis temporibus editæ, de quibus poſtea dicemus. Celeberrima quoque omni tempore fuit in Eccleſia Peregrinatio Compoſtellana ad corpus D. Jacobi; de qua illuſtre monumentum exſtat in *Cap.* Propoſuit 4. *De Conſecrat. Eccleſ.* Hiſce tamen temporibus poſt editam Bullam Cruciatæ S. ab *Urbano II.* in qua plenaria Indulgentia, ſeu integra peccatorum remiſſio collata fuit proficiſcentibus Hieroſolymam pro illius liberatione, & poſtquam iſtiuſmodi Indulgentia extenſa quoque fuiſſet ad illos, qui proficiſcerentur Hiſpanias pro illarum liberatione a tyrannide Maurorum; ut in Concil. Lateranenſi I. *Can. II.* hujuſmodi Vota Peregrinationum non ſolius devotionis cauſſa fiebant, ſed magis in ſubſidium illorum Locorum, ut propoſitæ Indulgentiæ ſuſcipientes hujuſmodi itinera compotes fierent.

XXIX. Anno poſtmodum 1144. Die Natalitia Chriſti Domini *Urbs Edeſſæ*, diuturna duorum annorum obſidione vexata, ac pene confecta, tandem a *Zengui* Barbarorum Duce capta fuit, ubi & plurima Chriſtianorum millia internecione deleta fuere; ipſe Hugo Archiepiſcopus fugiens hoſtiles furores præ turba oppreſ-

ſus miſerrime interiit; ipſa etiam adoranda Templa nefandis contaminationibus polluta, execrandæ prophanationi tradita fuere. Id autem cum nuntiatum eſſet Romano Pontifici *Eugenio III. Viterbi* tunc temporis commoranti per *Hugonem* Gabalitanum Epiſcopum in Syria, qui hac præſertim de cauſſa ad Romanam Sedem omnium Matrem, ac Magiſtram iter inſtituerat, quo tanto Chriſtifidelium, ac Religionis diſcrimini opportune occurreret. Ipſe *Eugenius III.* tam acerbo nuntio commotus, atque ad commiſerationem excitatus hujus tantæ calamitatis, jam in animum ſuum induxerat, ſe omnem operam, & ſtudium in id collaturum, ut huic tanto malo, Chriſtifidelibus, æque ac Religioni exitiali, quam maturius mederetur. Quare Kalendis Decembribus an. 1145. laudatiſſimus Pontifex ad *Ludovicum Juniorem* Galliarum Regem litteras dedit, quibus Gallos omnes, Optimates potiſſimum graviter, vehementerque adhortatus eſt ad prælianda prælia Domini; imo ipſis commiſit, ut in redemtionem ſuorum peccatorum arma reſumerent ad contutandas, ac liberandas a Barbarorum tyrannide illas Regiones, quas Patres ipſorum ſuo ſanguine ſibi, ac Religioni peperarant Chriſtianæ. Ne autem tot tantiſque laboribus, quos ipſi eſſent adituri in hoc Sacro Bello obeundo, debitum ſpirituale ſtipendium deeſſet, impertitus eſt omnibus, qui arma retractarent, atque in

iſtud ſacrum! Bellum pro Religionis honore nomen darent, omnes illas Indulgentias ac peccatorum relaxationes, quas olim ad hujuſmodi Sacrum Bellum proficiſcentibus *Urbanus II.* benigne donarat. Atque inſuper ipſos, ſuaque omnia, quo illi alacrius ſeſe tanto diſcrimini committerent, in fidem, ac tutelam ipſius Romanæ Eccleſiæ ſe recepturum pollicetur, atque profitetur. Incredibile porro dictu eſt, hujuſmodi Pontificiæ adhortationes, atque incitamenta, quibus etiam acceſſere Viri Sanctiſſimi, *Bernardi* inquam, conciones hac de re habitæ ad Optimates, ac populum, miraculorum frequentia, inſignis ejus ſanctimoniæ fama longe lateque pervulgata, quantum profuiſſent pro Sacro hujuſmodi Bello capeſſendo, quot, quantoſque viros excitarint, qui certatim contendebant Crucis inſignibus condecorari Bellum Religionis hoſtibus illaturi. Id quidem vel ex eo perſpici poteſt, quod ſermonem habente hac de re D. Bernardo ad Populum, adſtante ipſo Galliarum Rege *Ludovico Juniori*, tanta hominum frequentia confluxerit, nomina daturi in iſtud Sacrum Bellum; ut cum non ſufficerent in magna copia in hanc rem parata Crucis inſignia ut confluentium ſtudio ſatiſfieri poſſet, opus habuit ipſe Bernardus, ut ſuis ex veſtibus panni fruſtula non pauca reſecaret, quibus effingerentur Cruces, quæ darentur petentibus.

XXX. Poſtquam autem ipſum Galliarum Regem, jam per ſe ſatis ad id paratum, ingentem quoqne Magnatum, ac ceterorum e populo ad Crucis inſignia adſumenda jam induxerat eloquentiſſimus, ac Sanctiſſimus Vir Bernardus, perrexit in *Germaniam* Expeditionem ad hoc Sacrum Bellum prædicaturus, quo demandatam ſibi Apoſtolico juſſu provinciam pro ſuo munere expleret. Hic autem Sanctiſſimus Abbas ipſum Romanorum Regem *Conradum* antea ſuis monitis renitentem, miraculorum, quibus nulla tunc dies vacua fuit, ingenti omnium ſtupore, miraculorum inquam magnitudine devictum, inſignem Nobilium Virorum copiam, atque ingentem populorum catervam Sacræ Militiæ contra Barbarorum impetus adjunxit. Ipſi prædones, ac viarum graſſatores, arrepta tam opportuna occaſione ingenti omnium lætitia Crucis inſignia ſuſcepere, ac Sacræ Militiæ nomen certatim dedere, ipſo Deo dante vocem virtutis verbis illius. Adeo quidem ut, quemadmodum teſtatur Idem *Bernardus* in Epiſtola ad Eugenium hac de re transmiſſa, Urbes, & Oppida videbantur deſerta, habitatorum frequentia viduata, & ipſæ mulieres ubique viſebantur viduæ viventibus adhuc viris. Tanta erat hominum multitudo confluentium, ac properantium ad iſtiuſmodi Sacrum Bellum ſuſcipiendum.

XXXI. Collectis itaque numeroſiſſimis, atque potentiſſimis exercitibus, uterque Rex

Rex piiſſimus profectionem parat, & quanto ocius maturat. Primus itaque viam arripit Romanorum Rex *Conradus* circa diem Adſcenſionis Domini vertente anno 1147. Paulo poſt *Ludovicus* Galliarum Rex h. e. Sabbato poſt Pentecoſten ejuſdem anni, poſtquam peregrinantis inſignia ſuſcepiſſet, ac Deo, Beato Dionyſio, ac Sanctis Martyribus rem tam arduam precibus commendaſſet, & ipſe itineri cum ſuo exercitu ſeſe committit. Tam ingentes, atque inauditi apparatus multa, & magna minari videbantur, & quiſque hominum maximam ſpem animo conceperat, penitus inde perfringendam Barbarorum audaciam, ac fore, ut nunquam deinceps Chriſtianorum cervicibus in illis Regionibus minitarentur, atque inſultarent. At contra res evenit, juſto Dei, ac tremendo judicio; idque fraudibus præſertim *Emmanuelis Comneni* Imperatoris Græcorum, hominis perfidiæ nota maxime inſignis. Etenim Græcæ Fidei homo, cum ſibi, ſuoque imperio, adventantibus tantis exercitibus, immerito, ac ſine cauſſa timeret, incredibile dictu eſt, quantis calamitatibus vexaverit, in quot devia viarum illos attraxerit, in quot pericula conjecerit, quot aggreſſionibus exagitarit; adeo ut ſine ſumma indignitatione legi non poſſint. Ac tandem ipſo *Soldano Iconii*, *Turca Silinquida* hac de re ab ipſo Imperatore opportune admonito, atque ad id parato in ipſum Chriſtianorum exer-

citum cum ſuis non imparibus copiis irruente, tot Chriſtianorum millia, equitum peditumque cæſa fuere, ut vix decima pars tam ingentis exercitus ſuperſtes tantæ cladi evaſerit.

XXXII. Rex itaque *Conradus* inde aufugiens Nicæam ſeſe contulit, ubi *Ludovicum* Galliarum Regem offendit, cum quo non multo poſt Hieroſolymam perrexit, Loca ſacrata adorandis Religionis noſtræ Myſteriis inviſurus, ac veneraturus, voti complendi cauſſa. Inde autem completo voto digreſſi, convenere *Ptolemaidem*, ubi conſilio inter ſe habito ſtatutum deliberatumque fuit, ut *Damaſcum* invaderent, atque collatis auxiliis, ac copiis oppugnarent. Quod ubi factum eſſet, eo jam res proceſſerat, ut illius cives ad incitas redacti, acri Cruce ſignatorum impetu, atque obſidione undique oppugnati, nihil niſi deditionem, aut receſſum ab Urbe cogitarent; quod indubitanter eveniſſet, niſi auri illa ſacra fames contra obſtitiſſet, auri inquam, quod potentius ictu fulmineo perrumpit ſaxa; etenim illaqueatis, atque excœcatis muneribus Latinorum Ducibus, atque alio per fraudem rejecto Chriſtianorum robore, & copiis, annonæ penuria laborantes coacti ſunt Cruce ſignati Urbem ipſam obſidione liberare. Inde vero Romanorum Rex *Conradus* redux, ad proprios lares, ac ſedes remeavit, atque in Germaniam ſeſe recepit; quem paulo poſt *Ludovicus* ipſe Gallia-

rum

rum Rex poſt non levem cladem a Barbaris receptam inſecutus, veſtigia relegens ſuam Patriam repetiit.

XXXIII. Ne quis porro miretur hanc tantam Cruce-ſignatorum Expeditionem tanta pietate, ut videbatur, ſuſceptam, & fauſtis ominibus comitantibus, tam infeliciter ceſſiſſe; ſciat oportet, juſta Divini Numinis animadverſione commeritis pœnis hominum ſcelera proſequente id factum eſſe; non enim eo pietatis ſenſu, ac Religionis ſtudio, prout oportebat, proceſſerant ad prælianda prælia Domini; eapropter illorum conatibus, proſperi eventus, ut optabant, non reſponderunt. Id quidem diſcimus ex coævis Scriptoribus; ac præſertim ex D. Bernardo, in quem, cum nonnulli cauſſam immerito conferrent tam luctuoſi exitii; ipſe veram tantæ cladis ſcaturiginem nobis indigitavit, adducto exemplo Iſraelitarum, quibus, ſpiritu infidelitatis, ac rebellionis eos in contraria ſtudia agente, prohibitus eſt ingreſſus in Terram Promiſſionis, licet ſæpius Deus pollicitus eſſet, ſe ipſis Illam daturum in hereditatem. Jam vero Chriſtifideles, qui ad hoc Bellum proceſſerant, nec minus erant infideles Divino Numini; nec minus rebelles, ut idem teſtatur Bernardus. Lege D. Bernardum *Lib. II. De Conſideratione* Ad Eugenium Pontific.

XXXIV. Sub eadem tempora alias legimus Cruce ſignatorum Expeditiones inſtructas ſive ad retundendos Barbarorum

impetus, ſive ad eripiendas Chriſtianorum Regiones ex illorum tyrannide; cujuſmodi fuit illa, quæ in Hiſpanias ſeſe contulit, ut *Mauros* Hiſpaniarum Regiones infeſtantes, ac magna ex parte occupantes inde exturbarent. Hæc erat autem pars quædam exercitus Germanorum, qui Crucem ſuſceperant ſub ductu, & auſpiciis ipſius *Conradi* Romanorum Regis; atque ipſorum virtuti referenda eſt accepta liberatio *Uliſſyponenſis* Urbis e Maurorum tyrannide. Hujuſmodi etiam eſt altera Expeditio Cruce-ſignatorum *Saxonum* adverſus *Infideles Nord:* Hæc quoque illuſtris fuit Cruce-ſignatorum Expeditio, tum quia Pontificia auctoritate fuerat ſuſcepta, tum quia illuſtres habuit commilitones, complures ſcilicet Epiſcopos, & ipſum Regem *Danimarchenſem*. At iſtas parum, aut nihil ad noſtrum inſtitutum pertinentes indicaſſe ſit ſatis; quare plura de his dicere ſuperſedemus.

XXXV. Interim res Latinorum in Oriente deteriorem in ſtatum dilabi cœpere, atque in dies magis, ac magis ruebant. Poſtquam enim *Latinorum* Reges *Conradus*, ac *Ludovicus*, profligatis eorum exercitibus inde digreſſi fuere, Latini ab Infidelibus deſpicatui haberi cœperunt, & ludibrium ipſis quotidie debebant; præſertim, cum bellicis viribus quotidie diminui, atque attenuari viſerentur. Eodem tamen ſimul tempore *Saladini* Regis Ægypti potentia novis incrementis auge-

gebatur, ac novis acceſſionibus illius imperium latius diffundebatur, atque longius protendebatur. His etiam acceſſere cauſſæ non leves, quæ Latini Nominis in Oriente exitium adduxere; uti fuere corrupti Chriſtianorum mores, diſſidia inter Latinos Duces, ac etiam crebræ violationes induciarum, contra omne jus & fas commiſſæ, quas Latini cum *Saladino* pepigerant, plures Muſſulmanorum diripiendo, atque in captivitatem abducendo. Quapropter ira percitus *Saladinus*, præſertim, quia cum petiiſſet per Legatos, ut illatæ ſuis injuriæ reſarcirentur, illuſus a *Latinis* abivit, jurejurando ſeſe obſtrinxit, Bellum ipſis Latinis, quibuſcumque poſſet viribus illaturum, atque *Arnoldum* Latinorum Principem ſua ipſum manu obbuncaturum, atque morti daturum. Inde collecto exercitu, plus quam quinquaginta millia bellatorum, *Tiberiadem* prius invadit, quam poſt brevem obſidionem ſuæ ditioni ſubegit. Hujus autem rei fama perlata, protinus *Guido* Hieroſolymorum Rex, ceterique Duces, ac Latini Principes collectis agminibus illuc accurrerunt ſuppetias laturi. Pugnæ autem ſigno dato, undique ad arma concurritur, acriter utrinque decertatur, ac tandem Chriſtianorum exercitus devictus, profligatuſque eſt, ac penitus prope deletus. At illud in hoc prælio magis accidit Chriſtifidelibus luctuoſum, ac funeſtum, quod adorandæ Crucis Ligna, in quibus pretium

tium hujus Mundi pependit Chriſtus, ab Infidelibus capta fuere. Hæc quidem in caſtra allata, ut fidelibus in bello decertantibus tutamen eſſent, ac præſidium, atque Epiſcopo *Ptolemaidis* tradita fuere portanda, eo autem interfecto in prælio in Barbarum manus incidere. Quo illuſtri exemplo, ut olim Judæi, *Reg. I. Cap.* 4. qui Arcam Domini Sabaoth in caſtra detulerant, quo Divina ope, quam ſuis crimininibus non merebantur, protecti, ac muniti, illæſi abirent ab hoſtibus, iiſdemque profligatis victorum more ſpolia inter ſe partirentur; quo illuſtri inquam exemplo iterum edocti fuere Chriſtifideles, quam inaniter, ac temere in Sanctorum Reliquiis fiduciam, ac præſidium collocare præſumant, ubi illorum vita Chriſtianis officiis, ac Divinis præceptionibus non ſit conformis, nec reſpondeat, atque ipſorum agendi ratio Dei æquiſſimi Judicis mereatur, provocet, atque arceſſat ultionem. Deus enim, qui omnia propter ſemetipſum, ac ſuam gloriam neceſſario operatur, novit ſuæ gloriæ, ac potentiæ, inter ipſos infidelitatis errores manifeſtandæ abundatius etiam conſulere.

XXXVI. Poſt expugnatam itaque, atque captam Tiberiadem *Saladinus* ſuperbus victoria, ac præda proceſſit oppugnatum Ptolemaidam, quam etiam poſt brevem duorum dierum obſidionem in ſuam redegit poteſtatem; ac tandem poſt cetera oppida Chriſtianorum imperio ſubducta,

cta, ac ſibi ſubjugata, ipſam Sanctam *Hieroſolymorum* Urbem invadit, quod ſibi maxime omnium fuerat propoſitum, obſidione ſtrinxit, atque poſt aliquot dierum ſpatium ad deditionem ipſam Urbem adegit; conditionibus tamen utrinque propoſitis, atque admiſſis Urbe potitus eſt. Atque hac ratione, proh dolor! Hæreditas noſtra iterum verſa eſt ad alienos, Sancta Sanctorum receſſerunt a nobis, turpiſſimas impiorum manus ſubeundo, iterum abominationem ſtantem in loco S. noſtris criminibus offenſus Deus videre nos fecit. Luctuoſiſſima iſthec dies, quo hæc acciderunt in ſempiternum opprobrium noſtrum fuit poſtridie Kalendas Octobres Anno 1187. poſt Chriſtum natum, elapſo vix brevi ſpatio octoginta octo annorum, ex quo Chriſtifideles illuc victores introgreſſi Crucis inſignia extulere. Poſt quam igitur prophanus homo, atque Chriſtianæ Religioni maxime infenſus, victor ovantium more illuc ingreſſus, præter plurima nefanda admiſſa & Chriſtianæ Religioni maxime injurioſa quæ ſiccis oculis, nec legi, nec audiri poſſunt, nihil habuit antiquius, quam ut Templa omnia religione auguſta Mahummedico ritu, atque ſacrilegis ſuperſtionibus dedicarentur, ſive ut rectius dicam, conſpurcarentur, ſolo excepto Templo Sepulchri Chriſti noſtri Servatoris, qui eſt *Deus benedictus in ſæcula*, quod ſane nullo non tempore futurum glorioſum, atque Genti-

bus

bus omnibus adorandum, Propheta prædixerat; ac proinde immune ab hac ruina ſervatum fuit, ut ex fidelium oblationibus, atque ex frequentia Populorum illuc accedentium, lucri aliquid in ſua commoda poſſent Infideles derivare.

XXXVII. Hujus rei nuntius perlatus in Europam tanto confecit mœrore *Urbanum III.* tunc temporis Pontificem, ut vitam cum morte commutarit; tum vero adeo commovit Chriſtianos Principes, ut protinus apud ipſos deliberatum, decretumque fuerit, quanta maxima poſſent copiarum robora illuc tranſmiſſuros quamprimum, ut feroeientium Barbarorum retunderent audaciam, ac ſimul tantæ calamitati mederentur. Ipſi etiam Romani Pontifices, qui poſt defunctum *Urbanum III.* Catholicæ Eccleſiæ gubernacula moderanda ſuſcepere, ut *Gregorius VIII.* qui duobus tantum menſibus in Petri Cathedra ſedit, & *Clemens III.* nullum non moverunt lapidem, ut illos magis ac magis accenderent, ut quantocius in Palæſtinam properarent Chriſti Cruci illatas ab Infidelibus injurias vindicaturi. Nondum Piſis abſceſſerat *Clemens III.* ubi Pontifex fuerat electus; ibi itaque adhuc conſiſtens populum Piſanum in Cathedrali Majori Eccleſia collectum gravibus verbis cohortatus fuit optimus Pontifex, ut pro ſua parte quiſque collaboraret pro recuperatione Terræ Hiæroſolymorum; quos etiam ut efficacius ad id induceret S. Petri

tri vexillum *Ubaldo* Archiepiſcopo Legati Pontif. munere decorato tradidit, qui medio fere Menſ. Septembr. an. 1188. cùm claſſe quinquaginta navigiorum ſolvit e Portu, & poſtquam Meſſanæ hyemaſſet, inde profectus eſt in Paleſtinam. Piſis etiam fertur Pontificem publicas orationes indixiſſe, ac præcepiſſe in univerſa Eccleſia, ut feliciter cederent incæpta. Secundum ipſum Ubaldum primus qui iter ſuſceperit Palæſtinam verſus, fuit *Fridericus Ænobardus* Occidentis Imperator anno 1189., qui accepto ab *Heinrico* Epiſcopo Albanenſi S. R. Eccl. Cardinali Crucis inſigni illuc tranſmeavit cum ingenti exercitu, ac tandem poſt multos exantlatos labores atque ex hauſta pericula atque incommoda pervenit in Regiones *Soldani Iconii*; Turcarum copias in anguſtiis viarum ipſum inopinato, ac præter pacta conventa invadentes, ſemel atque iterum debellavit, atque ipſum *Soldanum* in ſua Regni ſede obſedit, quam impetu facto in ſuam redegit poteſtatem. Omnia fauſta, præclara, atque egregia ab illo ſperanda videbantur, niſi ei infauſta mors majores ſuæ virtutis fructus invidiſſet, ac nobis denegaſſet. Etenim dum per æſtivos calores in Amne Serræ corpus lavat, vortice, ſeu undæ torrente abreptus, miſerrime periit, anno 1190. Poſt ejus mortem ſumma rerum, ac belli concredita fuit *Friderico Suevorum Duci* ipſius Filio ſecundo-genito, qui

& ipſe

& ipſe paulo poſt e vita exceſſit.

XXXVIII. Anno dehinc 1191. Philippus *Auguſtus* Galliarum Rex ſolvit e portu Meſſanæ cum ingenti claſſe, atque appulit Acconem ſeu *Rolemaidem*, quem paulo poſt inſecutus eſt *Riccardus*, cognomento *Cor Leonis* Angliæ Rex, qui & ipſe Meſſana profectus eſt cum ſua claſſe, inter quos fœdus initum fuerat ad hanc Sacram Expeditionem, ac Bellum. Eo autem cum perveniſſent uterque nacti ſunt Chriſtifideles ipſam Ptolemaidem obſidentes jam a duobus annis Duce *Guido Luſiniani* olim Rege Hieroſolymorum e ſuo Regno ejecto; quapropter collatis auxiliis illam ad deditionem adegere, atque compoſitis pactis in ſuam poteſtatem recepere Menſe Julio ejuſdem Anni 1191. Neque alium fructum attulit hæc duorum Regum fœderatorum Expeditio; ſiquidem *Philippus* Galliarum Rex aliquantulum offenſus adverſus Angliæ Regem, cauſſatus aëris intemperiem in Gallias regreſſus eſt. Et non multo poſt ipſe *Riccardus* Rex Angliæ deſperans feliciores armorum ſucceſſus, præſertim propter diſſenſionum ſemina inter Chriſtianos Duces ſuborta, pactis cum Saladino ad triennium induciis, e Palæſtina recedens in patrias ſedes, ac Regna remeavit.

XXXIX. Jam vero defuncto *Clemente III.* Pontifice Max; qui e vivis exceſſerat Anno 1191., poſtquam clavo Eccleſiæ Catholicæ adſediſſet tribus annis, ac

ac duobus menſibus; in ejus locum ſuffectus fuit *Cæleſtinus III.* Hic cum reſciviſſet *Saladini* mortem, quæ evenerat *Damaſci* anno 1193., ac filiorum, ac fratris diſſenſiones de Regni ſucceſſione, opportuniſſimam nactus occaſionem promovendi Sacrum Bellum, ſuo muneri nulla ex parte defuit. Quare ſtatim in Gallias ad hanc rem Legatos mittit quibus etiam poſtmodum mandatum fuit, ut cenſurarum terrore incuſſo, illos qui voti religione ſeſe obſtrinxerant, adigere conarentur ad hoc Sacrum Bellum capeſſendum; niſi legitima obſiſteret cauſſa aut paupertatis, aut valetudinis infirmæ; qui autem non poſſent ipſi, ſicut voverant proficiſci, alios ſua vice illuc præliaturos ſuis expenſis mitterent, ac ſubſtentarent. Ipſe etiam laudatiſſimus Pontifex jam antea pro eodem negotio in Germaniam miſerat *Gregorium* Cardinalem Legatum; atque ipſo rem acrius urgente in Vormatienſi conſeſſu, eloquentiſſimi quique Oratores de Cruce ſuſcipienda adeo præclare, ac copioſe dixerunt, ut complures ex Prælatis, atque ex illuſtrioribus familiis homines, aliique virtute inſignes ad Crucem ſuſcipiendam convolarint. Ipſe etiam Imperator *Henricus VI.* id maximopere optabat, atque indubie perfeciſſet, niſi prohibitus eſſet, quippe cui perſuaſum fuit, ſatius ſe facturum, atque utilius futurum, ipſis etiam Cruce ſignatis, ſi ipſe in Regno conſiſtens ipſis neceſſaria curaret.

XL.

XL. Jam vero Cruce ſignati in *Germania* in tantam excreverant multitudinem, ut ex ipſis tres numeroſi exercitus jam conflati eſſent. Qui profecti alii alio tempore, cum *Palæſtinæ* loca attigiſſent, eaque perluſtrando quibuſdam in præliis victores evaſere; ſed ne abundatioribus emolumentis, atque illuſtrioribus victoriis Chriſtianum Orbem exhilplarent in cauſſa fuere proditiones Temarariorum, aliorumque Chriſtianorum Ducum; tum etiam conjurationes Francorum illic degentium, qui ſimul cum Saracenis conſpiraverant in illorum exitium; quare coacti ſunt a Franchis ſecedere. At poſtea audito nuntio de obitu *Henrici VI.* Imperatoris, atque de diſſenſionibus enatis inter ſuos, conſilium cepere remeandi ad ſuos, ac profectionem maturandi; quod & reapſe factum eſt. Quare nec feliciorem eventum habuit iſthæc Cruce-ſignatorum Expeditio.

XLI. Circa eadem tempora in Regionibus Nord parata erat quædam alia Cruce-ſignatorum Expeditio in ſubſidium Terræ S. ſed quia nullæ erant Chriſtianorum copiæ profecturæ, quibus ſociarentur, *Cæleſtinus III.* eis indulſit iiſdem propoſitis Indulgentiarum elargitionibus, ut ſe adjungerent illis, qui procedebant in Livoniam contra Infideles. At neque iſthæc Expeditio felicior ceſſit, quoniam *Bertoldus* Epiſcopus, qui illis præerat, ab Infidebus captus morte affectus eſt!

XL.

XLII. Jam itaque devenimus ad ætatem *Innocentii III.* diſertiſſimi, atque doctiſſimi Pontificis, qui in demortui *Cæleſtini III.* locum ſuffectus ad Pontificale ſolium evectus eſt anno 1198. eodem ipſo anno, ac die, quo mortem obierat *Cæleſtinus*. Optimus autem iſte Pontifex inter graviſſimas Pontificii muneris curas, ac negotiorum molem, quibus gravatus uſque diſtinebatur jam inde ab initio ſuæ Paſtoralis curæ eo animum maxime intendit, ac nervos cogitationum, ut Hieroſolymorum Civitas a Barbarorum tyrannide erepta, in Chriſtianorum ditionem, ac poteſtatem rediret, atque ut ipſorum Barbarorum plus æquo Chriſtianis cervicibus inſultantium audacia opportunis remediis perfringeretur. Quapropter eodem ipſo Anno 1198. Epiſtolas Encyclicas quaqueverſus per univerſum Chriſtianum Orbem miſit, quibus commemorando potiſſimum atrociſſimas injurias Cruci, ac Chriſto a Barbaris illatas Chriſtifidelium pietatem, ac caritatem ad illarum reparationem excitaret, atque vehementer accenderet; tum miſſis Apoſtolicis Legatis in diverſas Orbis partes juſſit Sacram Expeditionem pro Hieroſolymorum liberatione ubivis prædicari, ac propoſitis tum ſpiritualibus, tum temporalibus emolumentis Chriſtifideles ubique invitari, atque allici ad eam ſuſcipiendam. Miſſus itaque Venetias *Soffridus* Cardinalis pro hoc negotio promovendo, tam præclare ſeſe geſſerat in hoc mu-

munere, ut ejus hortatu ipſe dux Venetiarum, Marchio Montis Serrati, Epiſcopus Cremonenſis, ac plures Nobilium ex Gallia Ciſalpina Crucem ſuſceperint, quorum exempla ceteri de populo catervatim, ac prope innumeri ſectati fuere. Directus eſt in Gallias *Tranſalpinas Petrus* Cardinalis *de Capua*, ut potiſſimum Expeditioni ad Sacrum Bellum promovendæ ſedulo atque acriter incumberet. Hic autem uſus opera cujuſdam *Fulci* Parochi, qui tunc ſactimoniæ fama percelebris erat, qui & ipſe, ut ſuo exemplo efficacius alios induceret, Crucem ſibi aſſumſerat, mirum quantum in hoc negotio profecit, innumeroſque pertraxit ad Sacrum Bellum ſibi ſuſcipiendum.

XLIII. Inchoante autem Sæculo XIII. h. e. anno 1201. ut Cruce-ſignati ad profectionem ſeſe pararent VI. Viri delecti, qui præeſſent itineri capeſſendo, aliiſque neceſſariis rebus Venetias ſeſe contulerunt, ubi ſtatio ampliſſima, atque navigia opportuna tot millibus bellatorum convehendis præſto eſſe poterant. Inter hos itaque VI. Viros electos, ac Venetos pacto pretio conventum fuit, ut ipſi Veneti Cruce ſignatis præberent navigia, quæ forent neceſſaria, commeatus, atque annonam integro ſpatio octo menſium, & Cruceſignati ipſis viciſſim perſolverent in pretium hujus tantæ rei 85000. marchas argenteas. Hujuſmodi autem conventionem, cum per Pontificem confirmatam vellent ipſe

ipſe Pontifex hac tantum conditione ſe illam ratam habiturum reſpondit, ut nihil detrimenti per ipſos Cruce ſignatos inferretur Chriſtianis, niſi juſta neceſſitate ad id coacti eſſent, & poſtquam etiam conſulta eſſet Sedes Apoſtolica. At conditio iſthæc a Pontifice appoſita, Venetis non arriſit, qui noluerunt conſenſum præbere conventioni hac conditione oneratæ. At cum poſtea non poſſent Cruce-ſignati ſolidam hanc ſummam juxta pacta conventa perſolvere, ipſis Venetis id exigentibus ſeſe obſtrinxerunt hoc pacto, ut Cruce-ſignati adjutrices præberent manus ad capiendam ac ſubjugandam *Jaderam*, vulgo *Zara*, quæ nuper erepta fuerat Venetis per Regem *Ungariæ*.

XLIV. Non prius tamen Cruce-ſignati Francorum ſolvere cœperunt e portu Venetiarum, quam circa Pentecoſten inſequentis anni 1202. Ipſe etiam *Dandalus* Venetiarum Dux annis onuſtus, adverſa valetudine gravatus, luminibus captus, Crucis inſignibus condecoratus ductorem ſeſe præbuit Cruce-ſignatorum exercitus, cujus etiam exempla ſectati fuere ingens Venetorum numerus. Venetias etiam convenere aliæ Cruce ſignatorum copiæ ex Germania, aliiſque ex Orbis Regionibus collectæ. Cruce-ſignati tamen ex Belgio, Flandria, quemadmodum & plures alii ex Galliis diverſis itineribus Orientis Regiones petiere. Reliqua autem Cruce-ſignatorum claſſis Francorum, ac Venetorum ſol-

vit

vit e portu Venetiarum circa initia Menſis Octobris ejuſdem anni 1202.

XLV. Inde itaque profectæ Cruce-ſignatorum copiæ pervenerunt *Jaderam*, vulgo *Zaram* in pervigilio S. Martini Turonenſis Epiſcopi, quam invadentes in ſuam poteſtatem redegerunt, nullius penſi ducentes, neque curantes Pontificium interdictum, atque propoſitas excommunicationis minas, ſi id attentare auderent; ibique etiam Venetis ſuadentibus, hyemandum conſtituerunt. Sed hac de re uberior ſermo inferius recurret, cum Decretalis Epiſtola ab eodem Pontifice hac occaſione edita, quæ refertur in *Cap.* Si vere. *De Sentent. Excommunicat.* nobis illuſtranda occurret.

XLVI. Poſt captam *Jaderam* Cruce-ſignatorum manus tum Francorum, tum Venetorum, eorumque Duces, partim illecti promiſſionibus *Iſaac Alexii* junioris, qui ut e ſolio Conſtantinopolitani Imperii exturbaret illius invaſorem *Iſaacum Alexium* ſeniorem, qui contra omne jus, & fas ſuum patrem *Iſaacum Angelum* inde dejecerat, atque oculis orbatum in carceres detruſerat, pollicebatur inter cetera, ſe Cruce-ſignatis ipſis adfuturum in Ægypto pro recuperatione Terræ noſtris Patribus promiſſæ; aut ſi ipſis aliter videretur, ſe illuc tranſmiſſurum decem millia hominum, qui ſuis ſtipendiis militarent, ut conſociatis armis, atque inde profligatis hoſtibus facilius pii voti compo-

potes fierent; partim etiam, ut faciliorem ſibi ſternerent viam ad recuperandam Hieroſolymam; quoniam, ut ipſi putabant, nulla alia ratione, niſi aut per Ægyptum, aut per Græciam recuperari poterat, progreſſi ſunt Conſtantinopolim uſque, quam adorientes impetu facto in ſuam poteſtatem redegerunt, atque *Alexium* juniorem in templo S. Sophiæ Kalendis Auguſti anno 1203. imperatoria corona donarunt, atque in ſolio Conſtantinopolitani Imperii collocarunt, qui patrem ſuum e carceribus liberatum, ſibi in Imperii collegam adſcivit. Hoc autem factum Cruce-ſignati, quandoquidem reclamante Pontifice, illud attentare auſi fuerant, probare adnituntur, aut potius excuſare apud Innocentium III. in quadam epiſtola ad eumdem tranſmiſſa, adferentes ſeſe neceſſitate adactos ad id deveniſſe, cum ſibi annonae inopia laborantibus, eo res fuerant redactæ, ut aut decertandum, aut certo moriendum ipſis eſſet; nec alia ratione patere potuiſſe ſibi aditum ad Hieroſolymorum Urbem recuperandam. Poſtea vero oborta ſeditione in Populo, atque interfecto *Alexio Juniore* per *Alexium Ducam* dictum *Murizulphum*, qui ſibi Imperatoris nomen, & inſignia adrogaverat, graviter hanc rem indignati Cruce-ſignati Civitatem rebellem, atque imperii invaſorem novo impetu adorientes in ſuam poteſtatem illam redegerunt an. 1204. Conſtantinopoli autem potiti Cru-

ce-ſignati *Balduinum Comitem Flandriæ* in
Imperatorem elegerunt, Principem Im-
peratoria dignitate apprime dignum, at-
que Orientale Imperium hac ratione ad-
quiſitum tenuerunt Latini ſpatio annorum
quinquaginta ſeptem, h. e. ab anno 1204.
uſque ad annum 1261.

XLVII. Opulentiſſima autem fuere ſpo-
lia, quæ ex hac victoria ad ipſos perve-
nere, inter quæ illa pretioſiſſima cenſen-
da ſunt, inſignia quædam Sacra Lipſo-
nena (h. e. *Sanctorum Reliquiæ*) & il-
luſtria Sacræ Religionis monumenta ipſis
Chriſti myſteriis ſanctificata, quæ inde
abducta in varias Occidentis Regiones a-
ſportata fuere. Cujuſmodi fuere Spinea
Corona ſanctiſſimo Chriſti Capiti impoſi-
ta, Ampulla Sanguinis miraculoſi ejus dem
Chriſti Domini Fruſtula quædam adoran-
dæ Crucis, Caput S. Joannis Baptiſtæ,
Corpus S. Luciæ, Corpus S. Agathæ, a-
liaque hujus generis permulta. Hac etiam
occaſione noſtræ Neapolitani Regni Re-
giones ditatæ fuere inſigni quodam mune-
re Sacrarum Reliquiarum, Corpore ſcili-
cet S. Andreæ Apoſtoli, quod Conſtan-
tinopolim delatum juſſu *Conſtantii* Impe-
ratoris anno 357., Petrus de Capua Le-
gatus Apoſtolicus ſibi ſumſit in hac Con-
ſtantinopolitanæ Urbis direptione, quod
& Amalphim ſuam Patriam portandum
curavit, atque in ipſa Cathedrali Eccle-
ſia reponendum, quod & reapſe factum
eſt. Hæc ſane ſummo Dei conſilio Græ-
cis

eis contigiſſe nemo inficiabitur, ut hæc nimirum omnia appropinquantem Divini judicii ſententiam, atque cœleſtem vindictam prope imminentem præſagirent, atque minitarentur Græcis perfidiæ nota inſignibus, Catholicæ Eccleſiæ deſertoribus, unitatis Eccleſiaſticæ violatoribus, ac Spiritui gratiæ contumelioſis. Quemadmodum enim Judæi in ſuorum ſcelerum pœnam in captivitatem abducendi, ac Templo ipſo conflagraturo Babylonicis facibus juſſu Nabuchodonoſoris, cœleſtibus præſidiis, ac Divinæ Tutelæ teſtimoniis viduati fuere; Tabernaculo nimirum Teſtimonii, Arca Fœderis Domini, Igne Sacro, ac Divinis Oraculis; uti enarrat Machabeorum Hiſtoria *Lib. II. Cap.* 1. & 2. ita Conſtantinopolitanum Imperium jam vergens ad interitum, ac ſui ipſius luctuoſum exitium jam prope denuntians per alios feirociores hoſtes importandum, tot illuſtribus Sanctorum Reliquiis, ac celeſtis Tutelæ præſidiis occulto, ac juſto Dei judicio expoliatum fuit.

XLVIII. Jam vero capta Conſtantinopoli, quod apud omnes credebatur maximo adjumento futurum pro liberatione Terræ Hieroſolymorum, id poſtea plurima attuliſſe impedimenta, ac longiores moras adduxiſſe deprehenſum fuit (Vide Cl. Fleuri *Diſcor. VI. ſop. la Stor.*) Etenim Cruce-ſignati tum Franci, tum Veneti antequam Urbem aggrederentur, ſacramento ſeſe obſtrinxerant, inde non

 re-

recedendi per annum integrum, ut Latinorum in ea jam recens conditum Imperium penitus firmaretur, atque hoſtiles repellere poſſent invaſiones. Imo hujuſce rei inopinatus nuntius pervolitans, cum Paleſtinæ loca pervaſiſſet, ipſi peregrini, qui eo ſeſe contulerant Voti ſolvendi cauſſa, quin & ipſi incolæ Hieroſolymitanæ Urbis inde recedentes Conſtantinopolin ſeſe apud Latinos receperunt; quo factum fuerat, ut ea Provincia tum habitatoribus, tum pecuniis vacua remanſerit; uti ſcribit ipſe Pontifex *Innocentius* ad Epiſcopos Galliæ. *Epiſt.* 124. Ipſe etiam Pontifex ſummo ſtudio ſatagebat firmare Imperium Latinorum in Græcia, cum ſibi perſuaſum eſſet pro liberatione Terræ Promiſſæ plurimum profuturum. Quapropter ad eoſdem Epiſcopos Galliarum anno 1205. litteras dedit, quibus mandat, ut quoſcumque poſſint undique excitare ſtudeant, ut Conſtantinopolin quantocius ſeſe conferant ad firmandum inibi Latinorum Imperium, propoſita omnibus eadem Indulgentia Cruce-ſignatorum, qui illuc ſeſe conferrent animo firmandi Latinorum Imperium pro Liberatione Terræ Hieroſolymorum. *Epiſt.* 60. & 70.

XLIX. Præterea cum in aliis quoque Orbis Regionibus plurimi Infideles ſive Ethnici, ſive Hæretici Catholicam Eccleſiam inſectarentur, atque Catholicos divexarent, opus fuit novis Cruce-ſignatorum Expeditionibus colligendis, ut illorum

au-

audacia, ac tyrannica dominatio perfringeretur. In *Livonia* cum Infideles inſectarentur Catholicos eoſque graviter divexarent & Catholicam Religionem recens in illis partibus diſſeminatam prope in ipſis incunabulis jam præfocare contenderent, juſſu ejuſdem Pontificis Innocentii anno 1204. Sacra Expeditio indicta, atque collecta fuit, cumque in Saxonia inferiori plurimi ſive ex Clericorum, ſive ex Laicorum ordine Votum nuncupaſſent in ſubſidium Terræ Sanctæ, ac paupertate præpediti illuc proficiſci non poſſent, ut Voti vinculo ſeſe exſolverent illis indulſit Pontifex, ut contra hujuſmodi Infideles Livoniæ procederent Laici arma ſtringendo, Clerici illis Fidem prædicando; atque hoc illis valeret pro liberatione Voti nuncupati. In Provincia *Narbonenſi* in Occitania, ac præſertim per *Toloſatium* Regiones cum dira Albigenſium Hæreſis (quæ erat quædam colluvies diverſarum Hereſecων ex Manicheiſmo prodeuntium) impie, ac late graſſaretur, nec Pontificii Legati ad hujuſmodi Hæreticos ſubinde miſſi illos reducere potuiſſent ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem; quin imo unus ex illis *Petrus* nomine jam morte fuerat affectus; Pontifex ipſe ſtudio tuendæ Catholicæ Fidei maximopere incenſus epiſtolas Encyclicas dedit ad Epiſcopos Galliarum, Prælatos, atque Optimates, quibus hortabatur, ut Crucem ſuſciperent adverſus hujumodi Hæreticos,

plenarias Indulgentias iiſdem pollicitus, qui Pontificiis monitis hac in re obtemperarent. Ingens itaque Cruce-ſignatorum in hanc rem numerus ex Galliis præſertim collectus fuit, qui Crucem pectori adſutam geſtabant, ut hac ratione diſtingui poſſent a Cruce-ſignatis addictis pro liberatione Terræ Sanctæ. Expeditio iſthæc jam incœperat anno 1208. ac novis incrementis aucta eſt uſque ad annum 1214. Præterea Hiſpanias Mauri jamdudum infeſtabant, ac devaſtabant, cum *Alphonſus* Caſtiliæ Rex pactas cum illis inducias violaſſet, illi indignati Hiſpanicas Regiones armis adorti multis progreſſibus aucti hac illac effundebantur. Horum inſolentiam, ut poſſet retundere, ac juſto prælio illos invadere, opus habuit idem *Alphonſus* a ceteris Chriſtianis Principibus opportuna quæritare auxilia, ac præſertim ab Innocentio Pontifice, qui, ut tam præſenti diſcrimini occurreret novam indixit, atque promovit Cruce-Signatorum Expeditionem iiſdem propoſitis plenariis Indulgentiis; ad quod Sacrum Bellum obeundum pluſquam ſexaginta millia Gallorum convenere pugnaturi; ac publicis Romæ indictis precibus, ac jejuniis, Clementiſſimus Deus Chriſtianorum copiis inſignem poſt hominum memoriam victoriam tribuit anno 1212.

L. Circa hæc eadem tempora nova quædam, & inſolita Expeditio Cruce Signatorum antehac inaudita ſponte ſua collecta

lecta fuit, puerorum ſcilicet ex univerſa *Gallia*, ac *Germania*; qui interrogati quo ſeſe tanto ſtudio conferrent, reſpondebant ſe juſſu Dei proficiſci Hieroſolymas. Nec ipſa parentum ſumma cura, qua eos occultabant, prohibere illos poterat, quominus paternas domus, atque amplexus deſerentes, aliis ſeſe comites adjungerent, ac tanto itineri alacriter ſeſe committerent. Hæc tamen Expeditio multis de cauſſis infeliciter ceſſit. Etenim plerique ipſorum in ſylvis palantes, atque in deſertis viarum fame, ſiti, atque aeſtu confecti miſerandum in modum interiere. Ceteri vero tranſvecti Alpium juga in Gallia *Ciſalpina* expoliati, atque ejecti fuere. Cum vero nuntiatum eſſet Pontifici de hac imbelli puerorum Expeditione in hæc verba fertur prorupiſſe: Pueri iſti ſuo ſtudio, ac contentione pro *Solymorum* liberatione noſtram ſocordiam ac pigritiam damnant.

LI. Quapropter novis, ac vehementioribus incenſus ſtimulis majori animi contentione in hoc incumbere cœpit Laudatiſſimus Pontifex, ut liberationem Terræ Hieroſolymorum a Turcarum tyrannide modis omnibus curaret. Hinc anno 1213. indixit Concilium Oecumenicum, quod fuit *Lateranenſe* IV. ut cum primis facilius poſſet Catholicorum Principum arma Sacro Foedere conſociare, & Chriſtianorum reliquos colligere ſub adorandæ Crucis inſignibus ad expellen-

dos inimicos Crucis Chriſti ab injuſta poſſeſſione Terræ Hieroſolymorum, ſeu Hæreditatis Domini. Atque eodem anno novam edidit Bullam Cruciatæ S. ad promovendum hoc Sacrum Bellum adverſus Infideles, in qua renovatis prius plenariis Indulgentiis, quibus uſque a prima Expeditione ſub *Urbano II.* Crucem ſuſcipientes cumulati fuere, iiſque revocatis, quas antea fuerat elargitus reſpectu Exterorum belligerantium aut contra Albigenſes, aut contra Mauros, Chriſtifideles omnes excitat, ac paſtorali ſollicitudine vehementius hortatur, ut quiſque ſepoſitis quibuſcumque privatis ſimultatibus zelo armetur pro reparanda gloria Domus Domini, atque vindicandis injuriis Chriſto, ejuſque SS. Cruci irrogatis; pluraque præterea ſanxit in hanc rem opportuniſſima.

LII. Anno autem 1215, elapſo termino conſtituto celebrari coeptum eſt Magnum Lateranenſe Concilium, ubi præter multa ſapientiſſime conſtituta pro fidei Catholicæ confirmatione, Hæreſum extirpatione, morumque reformatione, quæ ſeptuaginta Canonibus continentur, quorum plurimi in collectione Decretalium Gregorii IX. interſperſi occurrunt, de Cruce-Signatorum Expeditione pro liberatione Urbis Hieroſolymorum hæc adjecit; deſignavit nimirum diem, & locum, qui eſſet Kalendis Junii poſt proximum inſequentis; ac proinde adventuri anni nimirum

rum 1217. ut temporum ordo poſtulat. Brundufii, aut Meſſanæ, quo omnibus conveniendum erat, ut ad profectionem paratos ſeſe præberent. Præterea, ut navigia tranſvehendis bellatoribus præſto eſſe poſſent, interdictum fuit per Concilium ne quis Occidentalium ſolido quadriennio retineret ſua navigia in Regionibus Orientalibus, quas incolebant Saraceni; ac propoſitis pœnis cenſurarum præſcriptum, ut eodem ſolido quadriennio inter omnes Chriſtianos Principes, qua late patet Catholiga Religio, pacis ac amicitiæ foedera ſancte, ac religioſe cuſtodirentur.

LIII. Paulo ante hujuſce Concilii celebrationem *Joannes* Angliæ Rex anno 1214. Crucem ſibi aſſumſerat; ſpecie quidem veluti ſuppetias laturus Terræ Hieroſolymitanæ, reapſe tamen, ut ipſius Crucis obtentu, ac Romanæ Eccleſiæ auctoritate ac patrocinio, quo Cruce-Signati peculiari ratione fruebantur, tueri ſeſe poſſet adverſus conjuratorum impetus, qui armata manu poſtulabant reſtitui ſibi Regni libertates, quas *Eduardus* Rex Angliæ, aliique Reges conceſſerant, & ipſe Rex Joannes ſe ſervaturum juraverat, cum ab excommunicatione fuerat abſolutus. Quod ſane ipſi Joanni non leviter profecit apud Pontificem. Quin ipſe *Fridericus* noſter Siciliarum Rex, poſtquam anno 1215. Aquiſgrani imperiali corona donatus fuerat per Archiepiſcopum Moguntinum Pontificium Legatum rejecto *Othone*

IV. Imperatore, qui velut perjurus atque invaſor excommunicationis vinculo fuerat irretitus, *Fridericus* inquam noſter Crucem etiam ſuſceperat mare trajecturus in ſubſidium Terræ Sanctæ, atque una cum ipſo Epiſcopi complures, ac permulti ex genere nobilium Virorum, atque ex Equeſtri Ordine. Huc uſque ſeſe protendunt geſta Innocentii III. curæ, ac labores ſuſcepti pro recuperatione Terræ Hieroſolymorum, quæ nos delibando leviter attigimus, quæ cum percurrerit amicus Lector in hanc nobiſcum ſententiam, ut credimus, libentiſſime deſcendet: hunc nimirum Pontificem multa, ac magna molitum fuiſſe pro recuperatione Terræ Hieroſolymorum, ſed in hujuſmodi auſis alii Pontifices illo feliciores multo fuerunt.

LIV. Anno porro 1216. immortalis memoriæ Pontifex Innocentius febri primum, dein paraliſi correptus e vivis exceſſit, cujus corpus illatum eſt in ſepulchrum Eccleſiæ Cathedralis Peruſinæ, ubi diem obierat. Poſt ipſum autem *Honorius* III. Pontifex Maximus inauguratus eſt, qui non ſolum in locum ipſius Innocentii ſucceſſerat, verum etiam in ipſa ardentia ſtudia, atque indefeſſam ſollicitudinem pro liberatione Terræ Hieroſolymorum; ut ipſe de ſe veriſſime teſtatur in quadam Epiſtola ad Regem Hieroſolymitanum.

LV. Anno 1217. *Henricus* III. Angliæ Rex, qui patri ſuo *Joanni* ſucceſſerat

Cru-

Crucem ſibi aſſumſit, ut paternum Votum ſolveret, & Pontifex nullum non movit lapidem, ut illum in ſuo Regno firmaret, ejuſque compeſceret invaſores. Interim Pontifex *Honorius* ſummo ſtudio in id maxime incumbebat, ut Decretum Lateranenſis Concilii de Cruce-ſignatorum Expeditionibus debitæ executioni demandaretur; quapropter illorum profectionem impenſe curabat, ac maxima ſollicitudine maturabat, impedimenta quæ huic obſiſtere poſſent ſumma cura removendo, animoſque Chriſtianorum Principum ad concordiam revocando. Quo eodem anno *Andreas* Rex Ungariæ, *Leopoldus* Dux Auſtriæ, Epiſcopi complures, ac Comites cum ingenti Cruce-Signatorum copia navem conſcenderunt Palæſtinam petituri. Quoniam autem conſtitutum fuerat, ut in Inſulam Cypri adpellerent, quo convenientes Hieroſolymitanus Patriarcha, Fratres Templi ſeu Templarii, atque Hoſpitalarii, invicem deliberaturi erant, qua parte hoſtem adoriri poſſent, Pontifex id reſciens ſcripſit ad Epiſcopum *Genuenſem*, ut moneret Cruce-ſignatos, qui illuc pervenerant, ut in eamdem Inſulam Cypri iter ſuum dirigerent; quod ipſum præſtitit cum aliis Epiſcopis, qui præerant Eccleſiis ſitis in maritimis Civitatibus. Dehinc Archiepiſcopum Coſentinum miſit Meſſanam, quo appulerant plures Cruce ſignati, ut arma Chriſtianæ militiæ ſpiritualia, poenitentiam nimirum, atque orationum præſidia

potentia Deo multo magis, quam carnalia ad debellandos inimicos Crucis Chriſti adſumerent, ſeque illis induerent. Eodem quoque tempore plures alii Cruce ſignatorum una cum variis Comitibus in Germania conſcenſis navibus apud Moſam Palæſtinam petebant. Cum autem *Uliſſiponem* perveniſſent rogati ſunt ab Epiſcopo, aliiſque inſignibus illarum regionum Viris, ut ſuppetias ipſis ferrent adverſus Saracenos, qui potiti Arce *Alcazar* variis calamitatibus illos affligebant. Illos itaque Cruce-ſignati juſto bello, licet viribus impares, adorti inſignem de ipſis victoriam reportarunt, cœleſti ope divinis prodigiis Chriſtianos comitante; ut ipſi referunt in Epiſtola ad eumdem *Honorium*; ac paulo poſt ipſa Arce potiti Saracenos inde expulerunt. Petierant á Pontifice Epiſcopus Uliſſiponenſis, aliique, ut ipſo Pontifice permittente Cruce-ſignati apud ipſos per annum commorari poſſent, ut adjunctis ſibi hiſce Cruce-ſignatis Barbarorum copias ex univerſa Hiſpania penitus eliminarent; ipſorum tamen votis minime ſatisfaciendum putavit Optimus Pontifex, qui nolebat ſubſidium Terræ S. ulla ratione retardari. Paulo poſt tamen; h. e. anno 1218. *Rodrigo* Archiepiſcopo Toletano indulſit, ut partem decimarum, quæ impoſitæ fuerant in ſubſidium Terræ S. ab ipſo conferri poſſet in Bellum adverſus Mauros Hiſpanias devaſtantes; præterea, ut Votum illorum,
qui

qui in Palæſtinam erant profecturi pro ſubſidio Terræ S. commutari poſſet, illos adigendo ad pugnandum contra Mauros, ac demum omnibus Hiſpanicæ ditionis hominibus conceſſit Indulgentias Cruciatæ S., qui adverſus eoſdem Mauros arma retractarent.

LVI. Jam vero adventus Cruce-ſignatorum in Paleſtinam, ac præſertim Regis *Hungariæ*, atque Ducum *Auſtriæ*, ac *Moraviæ* magnum timorem injecerat *Seſedino Soldano Babylonico*, uti teſtatur Magiſter Templariorum in Epiſtola ad *Honorium*. Cruce-ſignati itaque, cum paululum progreſſi fuiſſent, *Raulus* Hieroſolymitanus Patriarcha *Ptolemaida* egreſſus perrexit ad Exercitum Cruce-ſignatorum ſecum deferens partem adorandæ Crucis, quam longe proſpicientes Rex *Hungariæ* atque Auſtriæ Dux *Leopoldus* e caſtris egreſſi nudis pedibus obviam eidem proceſſerunt, eamdemque dignis Chriſtianæ pietatis argumentis exoſculati, iter arripuerunt adverſus Soldanum Ægipti, cujus filius *Conradinus*, cum antea jactaſſet ſeſe invaſurum Chriſtianorum copias, poſtea caute ſeſe recepit Chriſtifidelibus liberum relinquens commeatum. Quare poſtquam Chriſtifideles nullo oppugnante die ſacra D. *Martino* Turonenſi Epiſcopo ſeſe laviſſent in undis Jordanis, opima ſpolia adepti, plurimoſque Saracenorum captivos ſecum abducentes regreſſi ſunt *Ptolemaidam*. Poſt diem autem Nata-

talitiam Chriſti Domini Cruce-ſignatorum Exercitus quatuor in partes diſſectus fuit. *Andreas* Rex Hungariæ, & Rex Cypri profecti ſunt Tripolin, Hieroſolymitanus autem Patriarcha cum ceteris Cruce-ſignatis poſtquam ſummopere obteſtatus fuerat Regem Hungariæ, ne ab eis recederet, cum nihil hujuſmodi ab eo obtinere potuiſſet, excommunicationis ſententiam in ipſum, ſuumque comitatum intorſit. At Rex Hungariæ poſtquam tres menſes commoratus eſſet in Palæſtina, ac Votum ſolviſſet, quo ſe obſtrinxerat, ad ſuos remeare ſe libere poſſe exiſtimavit.

LVII. Non multo autem poſt ad Genovenſem Urbem pervenit etiam ingens Cruce-ſignatorum copia ex Gallis profecta, quibus praeibant quatuor Epiſcopi, ac duo Comites. Petierunt itaque ipſi a Pontifice, ut deſtinaretur aliquis Cardinalitiis infulis refulgens, qui illos comitaretur Pontificii Legati munere perfuncturus; ſed cum Pontifex jam deſtinaſſet, ac miſiſſet *Pelagium* Epiſcopum Albanenſem in Palæſtinam, dedit illis *Robertum* Cardinalem *De Courſon*, ut apud illos Verbi Divini annuntiandi munus obiret; erat enim eloquentiſſimus Orator. Prima autem navigia onuſta Cruce ſignatorum copiis Damiatim appulerunt feria II. poſt Pentecoſten anno 1218. ac cetera deinceps. In his etiam anno 1219. advectus fuit B. *Franciſcus* Aſſiſinates deſiderio exæſtuans ſanguinem profundendi pro Chriſti nomine.

ne. Cruce-ſignati tunc temporis ipſam Urbem Damiatim obſidione premebant, ac tandem poſt novem menſium exantlatos labores ipſam Urbem in ſuam poteſtatem redigerunt arte præſertim ac virtute *Pelagii* Pontificii Legati anno ſcilicet 1219.

LVIII. Dum Cruce-ſignati perſiſtebant in obſidione Damiatæ, contigit ut quadam die ad arma ventum eſſet, quo in prælio Chriſtifideles profligati, ac devicti fuere, cæſis, atque in captivitatem abductis ſex millibus Chriſtianorum; quod cum illis prædixiſſet futurum B. *Franciſcus*, velut delirus ac vecors rejectus fuit. Poſt hujuſmodi Chriſtianorum cladem, jam duobus Exercitibus e regione conſiſtentibus, nemo audebat, nec poterat ſine præſenti vitæ periculo ad aliena caſtra accedere; ſolus autem B. *Franciſcus* orationis præſidio munitus, adſumtoque ſocio ad Saracenorum caſtra perrexit, atque a Saracenis captus ductus eſt ad *Meledinum* Soldanum Ægypti, quo interrogante a quonam miſſi eſſent, reſpondit *Franciſcus*, ſe miſſos fuiſſe ab Altiſſimo, ut ipſis viam ſalutis indicarent. Demiratus *Meledinus* excelſi animi magnitudinem libenter illum audiebat per aliquot dies, imo apud ſe retinere cupiebat; at recuſante B. Viro, niſi ipſe cum ſuo populo Chriſtianam fidem amplecteretur, multaque promittente, quo Catholicæ Fidei veritas illis patere potuiſſet, *Meledinus* ſeditionem a po-

a populo metuens ſi quid hujuſmodi permitteret, honeſte illum dimiſit.

LIX. Non diu tamen Chriſtiani *Damiatæ* poſſeſſionem, quam paulo ante adepti fuerant, retinuerunt. Etenim anno 1221. Pontificius Legatus una cum Rege Hieroſolymitano, qui ipſius Legati litteris arceſſitus illuc advenerat, ac magna pars exercitus Cruce-ſignatorum egreſſi Damiata profecti ſunt verſus Cairum. At *Meledinus*, qui magnas collegerat copias, ut Cruce ſignatis inde expulſis *Damiatæ* poſſeſſionem recuperare poſſet, demiratus illorum audaciam, & immenſam illorum multitudinem, non conſerendas cum illis manus, neque congrediendum cenſuit; at interceptis itineribus, ne quid præſidii ipſis ex *Damiata* adveniret, fame potius, quam gladio cum ipſis decertatum voluit. Exundante itaque Nilo, atque late inundante, ut mos eſt, terras, quas ipſi Cruce-ſignati occupabant, inter paludoſas aquas diu volutari coacti annonæ inopia laborare coepere; fame itaque acrius exſtimulante ad deditionem adacti pacis conditiones a Saracenis recipere compulſi fuere, quarum potiſſima fuit *Damiate* reſtitutio, quæ in poteſtatem Saracenorum rediit Die ſacra B. V. Nativitati, nondum expletis duobus annis, cum illuc victores introgreſſi fuere Cruce-Signati.

LX. Hujus rei nuntio in Italiam perlato *Honorius* Pontifex acriori ſtudio in id

id incumbere coepit, ut Cruce-ſignatorum auxilia undique colligeret, atque illuc quantocius tranſmitteret; ſed diutius tempus omne inſumtum fuit in puris, ac putis apparatibus ad id Bellum. Ab hoc autem tempore rariores eſſe coeperunt Cruce-ſignatorum Expeditiones in ſubſidium Terræ S. Interim in Galliis nova Expeditio Cruce-ſignatorum parata, atque collecta fuit contra Albigenſes, cui ipſe Rex Galliæ *Ludovicus* VIII. ſuo exemplo præiverat, atque incitamenta attulerat, quæque anno 1226. Toloſatium regiones verſus, ubi maxime illa peſtis graſſabatur, iter ſuſcepit.

LXI. Anno autem 1228. Pontificalis muneris curam gerente *Gregorio* IX., qui ſucceſſerat Honorio III. demortuo, *Fridericus* Imperator, qui ſemel atque iterum Pontificiæ excommunicationis cenſura fuerat perculſus, tum propter votum, quo ſeſe obſtrinxerat proficiſcendi in Palæſtinam (huic enim legi ipſe Imperator ſeſe ſubdiderat, ni votum ſolveret), quod in dies explere differebat, tum propter alias graviores cauſſas, ex Bruduſino portu ſolvit cum ſua claſſe, atque Palæſtinam verſus ſuos curſus direxit. Illuc itaque feliciter advectus conciliare ſibi animum *Meledini* Soldani Ægyptii miſſis muneribus ſtuduit, quicum tandem fœdus iniit, atque inducias pactus eſt decem annorum, ea præſertim conditione, ut ſibi, ſuiſque vicem gerentibus traderetur Urbs Hieroſo-

ſolymitana, ut de ea decerneret pro ſuo arbitratu quodcumque vellet, quibuſcumque liberet præſidiis munienda, permiſſo tamen *Muſulmanis* libero ſuæ Religionis exercitio ſuo in Templo, quod ibidem ſartum tectum ſervandum erat. Quæ quidem omnia, aliaque hujuſmodi cum icto foedere ſancita, atque jurejurando utrinque interpoſito confirmata fuiſſent, ipſe Imperator *Fridericus* regio indutus amictu, decentique comitatu ſtipatus Urbem introgreſſus eſt, S. Sepulchri Eccleſiam inviſit, inde inſequenti die *Ptolemaidam* regreſſus eſt, ac præpopere demum anno 1229. in *Italiam* ſe contulit, quo illum res ſuæ maxime vocabant. De hujuſmodi rebus geſtis magnopere ſibi blandiebatur Imperator, ac plenis buccis crepabat maximum a ſe commodum Chriſtifidelibus omnibus importatum iterum ingrediendi in Sanctorum Locorum poſſeſſionem; at de illis graviter apud Pontificem datis litteris conqueſtus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus, & ipſum *Fridericum* apud omnes incuſat, quaſi violaſſet jura Religionis, & Eccleſiæ, & Cruce ſignatorum res evertiſſet.

LXII. Anno 1234. Sum. Pontifex *Gregorius* Spoleti ſolemnem habuit concionem, cui aderat etiam ipſe *Fridericus* Imperator, qui jam multo ante in gratiam redierat cum ipſo Pontifice. Aderant etiam præ ceteris Patriarcha Conſtantinopolitanus, Patriarcha Hieroſolymitanus, atque Antiochenus. In ea itaque communi conliſio

ſilio deliberatum fuit, ut nuntius, ſive novus Legatus Palæſtinam mitteretur, quo diſcordantium animorum inter Latinos ibi commorantes diſſidia componerentur, atque ad concordiam omnes adducerentur; ne ſperatis Cruce-ſignatorum progreſſibus obſiſteretur. Eodem etiam tempore orationem habuit ipſe Pontifex, in qua Cruce-ſignatorum Expeditionem indixit, atque ſuaſit, eo ſucceſſu ut plurimi ſermonis vehementia excitati eodem temporis momento ex ipſius Pontificis manibus, lacrymis ubertim perfuſi Crucem acceperint.

LXIII. Verum enim vero dum optimus Pontifex totus intentus erat Cruce-ſignatorum Expeditionibus parandis, nuntiatum illi fuit, Latinorum res Coſtantinopoli in præceps ſublapſas referri, atque in dies ruere in pejus. Quapropter ſtatutum illi deliberatumque fuerat; Latinorum Cruce-ſignatorum copias tranſmittendas in ſubdium Terræ Hieroſolymorum Conſtantinopolin dirigere, ut labentis in ea Latinorum Imperii ruinæ occurrere poſſet; ne everſo illic Latinorum Imperio ſpes omnis adimeretur ac evaneſceret recuperandi Terram Hieroſolymorum. Deſignata tamen die anno 1239. Cruce-Signati Lugduni convenientes, dum inter ſe deliberare cœperunt de itinere capeſſendo, citiſſimus nuntius a Pontifice miſſus illuc advenit, qui illis Pontificio nomine interdixit, ne ſe itineri committerent mare trajecturi;

ſed

ſed ut ad ſuos quiſque lares remearet ac patrias ſedes. Hujuſmodi inopinatus nuntiorum adventus, atque inopinata juſſio tantos excitavit tumultus, tantamque bilem, atque indignationem in naſum concivere ipſis Cruce-ſignatis, ut protinus in ipſos nuntios manus injeciſſent, ni Prælatorum auctoritas opportunius obſtitiſſet. Multi tamen ipſorum Maſſiliam ſeſe contulere, ubi conceſſis navibus una cum Rege Navarræ in Palæſtinam profecti ſunt.

LXIV. Volvente jam anno 1244. Hieroſolymitana Civitas in quoſdam dominos duriores, ac ferociores incidit. Hi autem fuere *Coraſmieni*. Saracenis Saraceniores; qui devaſtatis *Perſiæ* Provinciis per *Guinz-Can* Tartarorum Regem, jam inde ab anno 1221. dejecti e ſuis ſedibus patriis hac illac vagabantur incerti, quærentes una cum uxoribus, ac liberis, quo recipere ſeſe poſſent, aut conſiſtere, illic poſthac permanſuri. Cum autem a Saracenorum Principibus id fruſtra obtinere millies pertentaſſent, tandem *Soldanus Babyloniæ* iiſdem indulſit, ut Hieroſolymis recipere ſeſe poſſent, ſedes ibi patrias fixuri, nec præſidio ad id ipſis defuturum, ſi res poſtularet, etiam pollicetur. Hac itaque conceſſione freti in Hieroſolymitanæ Regionis tractus protinus ſeſe effundunt, ferro flammaque omnia devaſtant. Multa autem Chriſtianorum millia in Urbe Hieroſolymitana ratione foederis initi a *Friderico* Romanorum Rege cum

Sol-

Soldano Ægypti reperiebantur, atque Civitas ipſa cum deſtituta eſſet præſidiis, ac munitionibus, nec poſſent Chriſtiani numero perquam longiſſime impares adverſus Barbarorum impetus ſtare, magna pars illorum numero plusquam ſex millia, communi conſilio ex Urbe egreſſi ſunt, ut ſeſe conjungerent aliis Chriſtifidelibus alibi commorantibus; quos omnes, pauciſſimis exceptis partim Saraceni, partim *Coraſmieni* trucidarunt, aut captivos abduxere. Tandem *Coraſmieni* Urbem pene derelictam introgreſſi Eccleſiam S. Sepulchri Chriſti Domini invadunt, Chriſtianos omnes, qui illuc ſeſe receperant, quotquot offendunt, extenterant ante ipſum Sacroſanctum Sepulchrum, Sacerdotes celebrantes capite abtruncant, Altaria conſpurcant, ornamenta exportant, atque tot nefanda, tamque excerabilia in hac Eccleſia, aliiſque Templis Chriſti Myſteriis toto Orbe terrarum celebratiſſimis admittunt, ut vel ſola cogitatio pudorem ſuffundat, nedum ipſorum enarratio. Horret etiam animus meminiſſe horrendas baſphemias, quas ſpurciſſimo ore evomere ſatagebant in Chriſtum Jeſum auctorem, & conſummatorem Fidei noſtræ, cui honor, & imperium in ſæcula ſæculorum. Hiſce itaque malis graviter funeſtati Chriſtifideles, ne ſibi deterius aliquid contingeret, accitis auxiliis foederatorum Principum Saracenorum ad certamen cum ipſis *Coraſmienis* deſcendunt, ac juſto præ-

prælio fugati, ac debellati abiere, majori parte Religioſorum Ordinum aut interemta, aut in captivitatem abducta. Hæc omnia conſtant ex Epiſtola *Roberti* Patriarchæ Hieroſolymitani, aliorumque Prælatorum illuc degentium directa ad Prælatos Galliarum, atque Angliæ. Quia tamen ſummopere verendum erat, ne quod reliquum eſſet licet exiguum ſoli Chriſtianorum in Palæſtina ipſis eriperetur, atque ſpes omnes exſcinderentur recuperandi poſthac Hieroſolymorum S. Civitatem; idcirco enixius rogabantur Prælati Catholicorum ne fratribus, atque adeo ipſi Religioni in tanto diſcrimine verſantibus deeſſent, S. Locorum poſſeſſionem penitus amittendam, atque Hieroſolymitanum Regnum funditus peſſumdatum iri, niſi protinus Cruce-ſignatorum auxilia illuc tranſmitterentur.

LXV. Hujus autem tam lacrymandæ cladis nuntio perlato ad aures *Friderici* Imperatoris, vehementer doluit atque ingemuit Chriſtianorum vicem, fœderis per ſemetipſum initi violationem, tum maxime Sanctiſſimorum Locorum prophanationem, ut ejuſdem litteræ teſtantur. Dolebat etiam Imperator ſeſe non potuiſſe propter diſſenſiones cum Pontifice opem conferre pro liberatione Hieroſolymorum, ut optabat. Paulo poſt *Innocentius* IV. qui poſt breviſſimum tempus Pontificatus *Cæleſtini* IV. ſucceſſerat *Gregorio* IX. in Sede Pontificia, novis incenſus ſtudiis ad

pa-

parandas Cruce-ſignatorum Expeditiones Legatum deſtinat in Gallias, cujus hortatu, ac ſuaſu Nobiles Gallorum accenderentur ad Crucem adſumendam. Indicta autem ampliſſima concione, cui ipſe Rex ſanctiſſimus *Ludovicus* intererat, multi Prælatorum, ac nobiliſſimi quique Gallorum Crucem ſuſcepere hortante præſertim ipſo Rege. Ipſe autem Rex *Ludovicus* jam inde ab eodem anno 1244. Crucis vexillum ſuſceperat e manu Pariſienſis Archiepiſcopi. Cum enim in graviſſimam ægritudinem incidiſſet; adeo ut de vita ipſius jam plane dubitaretur, quadam die vi morbi tanta oppreſſus, ut jam animam expiraſſe crederentur, & facies ejus, ut moris erat, jam jam obnubebatur amictu. Ut autem aliquantulum ſeſe recepit, aut loqui potuit, Pariſienſem Archiepiſcopum arceſſiri jubet, ab eoque enixe poſtulat, ut Cruce-ſignaretur; detrectante Archiepiſcopo, aliiſque adſtantibus edicentibus opportuniori tempore id præſtandum; reſpondit Rex: numquam fore ut ad cibum guſtandum adduceretur, niſi prius ſibi, quod poſtulaverat, concederetur. Quapropter voti compos effectus eſt Archiepiſcopo Crucem ipſi imponente, ac lacrymante cum omnibus adſtantibus. Neque unquam adduci potuit, ut hujuſce voti diſpenſationem a Romano Pontifice peteret; & cum cauſſarentur id Voti nuncupatum fuiſſe ſine ſufficienti deliberatione, Rex recuperata jamdudum valetudine,

ne, paulo ante, quam proficiſceretur in *Palæſtinam*, illud renovavit.

LXVI. Sub eadem tempora *Ferdinandus* III. *Caſtellæ*, & *Legionis* Rex cognomento Sanctus, cui præliari prælia Domini, ac Fidei inimicos ſuperare datum eſt, inſignem de Mauris victoriam reportavit; nam præterquamquod illos infenſiſſimos Religionis hoſtes ex univerſa ferme Hiſpania ejecit, Hiſpalim etiam primariam totius Boeticæ Provinciæ Urbem; quæ ſub duriſſimo Maurorum jugo diutiſſime ingemuerat, illorum ex manibus incredibili virtute eripuit. Quæ quidem victoria etiam Cruce-ſignatis erit adſcribenda. Etenim licet *Innocentius* III., uti jam diximus, Indulgentias Cruciatæ S. conceſſas diverſis locis contra Religionis hoſtes revocaverit, ut Chriſtiani Principes totis viribus incumberent ad recuperandam Terram Hieroſolymorum, eaſdem tamen conſervavit pro Hiſpanicæ gentis populo adverſus Mauros, atque pro Galliarum indigenis adverſus Albigenſes.

LXVII. Rex itaque ſanctiſſimus *Ludovicus* profecturus ad Sacrum Hieroſolymitanum Bellum, poſtquam omnia ſapienter ordinaſſet pro Regni ſecuritate, ac pro animæ ſuæ ſalute, (Etenim profecturi ad Sacrum Bellum prius diſponebant domui ſuæ, ac rebus, etiam quantum ad animæ ſalutem; imo & quandoque ſua ultima elogia condebant, quibus ſuos deſignabant hæredes, ſi forte contigiſ-

giſſet eo in Bello occumbere (Lugduni facta exomologeſi ſuorum peccatorum ipſi Pontifici , ab eoque recepto munere abſolutionis , atque Apoſtolicæ benedictionis, conſcenſa navi iter inſtituit in *Palæſtinam* anno 1248. , atque in inſulam Cypri tandem pervenit , ubi exceptus ab *Herrico* Rege Comite Luſiniani , ea in inſula hyemandum decrevit , ut & reliquæ claſſi illuc perveniendi opportuna darentur tempora . Quoniam vero *Aquinus* Rex Norvegiæ & ipſe Crucem ſuſceperat , & jam ſua cum claſſe profecturus erat in *Palæſtinam*, optaverat *Ludovicus* Galliarum Rex, ut ſecum una proficiſceretur, quorum utrique idem erat propoſitum eadem mens ; ut & ipſe Rex Norvegiæ univerſæ Cruce ſignatorum claſſi præeſſet , cum mari multum valeret . At ſapientiſſime id recuſaverat Rex Norvegiæ ; quoniam merito timendum erat , ne inter diverſæ gentis populos , quorum pro diverſo coelo diverſa erant ingenia , diſſidia ſuborirentur , quæ ipſis forent detrimento , atque Hieroſolymorum liberationi obeſſent .

LXVIII. Galliarum autem Rex *Ludovicus* Die Aſcenſionis Domini inſequentis anni 1249. ex inſula Cypri in Ægyptum profectus eſt cum ſua claſſe Damiatam oppugnaturus , quæ quidem primo impetu incredibili virtute , ipſo Rege ſanctiſſimo in confertiſſima Barbarorum tela ſeſe conjiciente , in Chriſtianorum poteſtatem iterum redacta eſt, Chriſtiani nominis hoſti-

bus noctu inde aufugientibus. Inde cum deliberatum eſſet Regi Cairum oppugnare, Damiata egreſſus ſuo cum exercitu Meſſuram pervenit. In eam itaque frater ipſius Regis cum audacius, ac temere ſeſe intromiſiſſet ab aliquibus Religioſorum Ordinum Equitibus ſtipatus, a Saracenis mox circumſeptus ipſe cum ſuis morte afficitur. Rex vero *Ludovicus* ægritudine affectus, cum vidiſſet ſuas copias fame laborantes, Quadrageſimali etiam jejunio extenuatas, ac morbo inſuper divexatas, in Damiatam iterum iter parat, atque aggreditur. At ipſo in itinere magno impetu in Chriſtifideles inſiliunt Saraceni, acris pugna hinc inde excitata fuit; etenim Cruce ſignati licet viribus debilitati magna ſeſe contentione tuebantur. Tandem poſt coeſa multa Chriſtianorum millia, ipſe Rex cum duobus ſuis fratribus, quique in exercitu cladi ſuperſtites fuere, in captivitatem abducti ſunt; ac Rex ipſe in vincula conjectus eſt. Interim de ipſorum liberatione agi coeptum eſt, ac tandem reſtituta Damiata Saracenis ipſe Rex cum ſuis liber dimittitur. Poſtquam autem Rex in libertatem adſertus fuit, quinquennio in Syria commoratus eſt, atque omnes Regiæ pariter, ac Chriſtianæ virtutis numeros implevit, captivos redemit innumeros, plures Saracenorum ad Chriſtianam Fidem convertit. Tandem accepto nuncio de morte Reginæ Matris, cui

cui Regni procurationem commiſerat, anno 1254. in Gallias eſt reverſus.

LXIX. Eodem anno 1254. *Innocentius* IV. hic apud nos vita functo, & in noſtra Cathedrali Neapolitana Eccleſia tumulato, cujus ſepulchrum omnium oculis proſtat, ſucceſſit *Alexander* IV. qui non minori cura, quam ceteri ſui deceſſores intendit Expeditionibus promovendis pro liberatione Terræ Hieroſolymorum. Quare anno 1255. epiſtolam dedit ad *Alphonſum* Caſtellæ Regem, ubi poſtquam graphice deſcripſiſſet miſeram conditionem Chriſtianorum in Palæſtina degentium, mala, quibus afflictarentur, quæque impenderent, enixius illum rogat, ut opportuno tempore auxiliares copias illuc tranſmittat, alioquin de recuperatione Terræ Hieroſolymorum penitus deſperandum, ac perpetuo conclamatum eſſet. Annis inſequentibus idem Pontifex aggreſſus eſt ad mutuam concordiam conciliare Animos Venetorum cum Genuenſibus, qui acriter inter ſe propter Inſulam Sardiniæ, quam quiſque ſibi vindicare contendebat, decertabant, nec ſolum intra Italiæ confinia, ſed etiam in ipſo Oriente; quare oppido verendum erat, ne horum Populorum inter ſe excitata diſſidia res Latinorum in Palæſtina magis peſſumdarent, que everterent; quod & reapſe contigit. At *Venetos* intumeſcentes triumphorum gloria, quos anno 1257. & anno 1258. contra Genuenſes in ipſo Portu

Ptolemaidis reportaverant, ad mutuæ pacis, atque amicitiæ foedera adducere haud potuit laudatiſſimus Pontifex. Quæ ſane res integrum abſolutumque rei Latinorum in Palæſtina exitium citius attuliſſe compertum eſt.

LXX. Sub finem anni 1254. in Livonia *Octomarus* Bohemorum Rex, *Otho* Marchio Brandeburgenſis, Dux Auſtriæ, Marchio Moraviæ, adjunctis quibuſdam Epiſcopis illarum Regionum, cum ingenti Cruce-ſignatorum exercitu ex univerſa Germania collecto ſexaginta millium armatorum proceſſere adverſus Infideles Pruſſiæ ſive Beruſſia. Hanc autem Expeditionem ille fructus conſecutus eſt, ut devictis prælio *Beruſſis*, atque ad deditionem adactis plures illorum Chriſtianam Fidem amplexati Baptiſmate initiati fuere.

LXXI. Anno autem 1263. *Bondocharus* Soldanus Ægypti Ptolemaidam venit cum tribus millibus equitum, hortos ac viridaria circum igne combuſſit, ad portas uſque proceſſit ſuo cum equitatu; adeo ut Civitas illa in ſummo diſcrimine fuerit verſata. Per idem temporis *Muſſulmani* Monaſterium Bethlemiticum diruerunt, Eccleſiam Nazarethi a fundamentis everſam ſolo æquarunt, aliamque præterea in monte Tabor demoliti fuere. Triennio etiam poſt idem *Bondocharus* regreſſus eſt eamdem Urbem *Ptolemaidis* oppugnaturus, cumque per aliquot dies fruſtra illam expugnare tentaſſet; armis adortus

eſt

eſt Oppidum *Safet*, atque ad deditionem adegit; omnibus autem ejuſdem habitatoribus proponitur Fides Catholica ejuranda, aut certa mors ſubeunda. At illi, hortantibus præſertim duobus Fratribus ex Minorum familia, atque excitantibus ad Martyrii laudem promerendam, abjecto diræ mortis metu, abdicato vitæ amore libentiſſime ſeſe pro Chriſto trucidandos dedere. Erant omnes pluſquam ſexcenti numero, qui omnes pecudum more crudeliſſime jugulati fuere; adeo ut illorum cruor veluti aquarum rivus de monte decurreret. Octo tantum inter ipſos fuere, qui commutabilis vitæ amore abrepti Chriſtianæ Religioni nuntium remiſere. Fratribus autem Minoribus, qui ceteris hortatores ſeſe præbuerant ad Martyrium, una cum Priore Templariorum pellis crudeliter detracta, ac veluti humana ſpecie exutis, ac tandem capite obtruncato, illuſtris Martyrii corona cœleſti munere fuit impertita.

LXXII. Hiſce de calamitatibus Chriſtianorum in Palæſtina certior factus *Clemens* IV. qui poſt brevem Pontificatum Urbani IV. Pontificia dignitate condecoratus Oecumenicæ Eccleſiæ clavo adſidebat, certior inquam factus litteras amoris plenas ad illos dedit, quibus eoſdem in tantis rerum anguſtiis ſolari conatus eſt, atque illorum animos erigere injecta ſpe, ac data ſponſione præſentium auxiliorum. Hinc nullum non movit lapidem, quo

Chriſtianorum Principum animos zelo accenderet ad vindicandas injurias Chriſti; ac ſuppetias ferendas fratribus in tanto diſcrimine verſantibus. Hiſce itaque ſtimulis excitata pietas SS. Galliarum Regis *Ludovici*, quæ non patiebatur contineri ſe Europæ anguſtiis, SS. Regem impulit, ut iterum in Africam tranſmitteret anno 1269. Tuniſium expugnaturus, ut inde in Terram Sanctam, ſive in Ægyptum tranſiret, utrobique Chriſtianos a Saracenorum tyeannide vindicaturus. Votis tamen non reſpondit exitus ille, cujus explorata ſpes injecta fuerat. Etenim Chriſtianorum caſtra lues teterrima invaſit, quæ juncta diſynteriæ Regem vere piiſſimum adflavit ac corripuit, qui dum reparare contendit injurias Cruci illatas, illius Redemtionis præmia in Cœlo promeritus, in æternae beatitudinis ſinum morte obita anno 1270. recipitur.

LXXIII. *Clementi* autem IV. vita functo in Romanam Cathedram, poſtquam illa vacaſſet annos duos, menſes novem, ſubſtitutus fuit *Gregorius* X. Kalend. Septemb, 1271. Hic autem cum electus fuit Summus Pontifex Legati Apoſtolici munere fungebatur apud Chriſtianorum exercitum in Palæſtina; quare cum propriis oculis vidiſſet, atque hauſiſſet ipſemet miſerrimam Chriſtianorum illic degentium conditionem; ac frequentiſſima pericula, quibus in dies magis magiſque obnoxii fiebant, inde diſcedens in Pontificem inau-

naugurandus, in has voces fertur ora ſolviſſe: *Si oblitus fuero tui Hieruſalem, oblivioni detur dextera mea*. Datæ itaque fidei memor laudatiſſimus Pontifex in res Latinorum in Palæſtina maximopere fuit intentus. Quapropter cum anno 1272. indictum eſſet Concilium Oecumenicum Lugdunenſe II., quod tamen biennio poſt celebrari cœptum eſt, in eo inter cetera actum eſt de Hieroſolymitano Bello obeundo, ſive inſtaurando, decreta fuere auxilia in id neceſſaria, & ipſe Pontifex, Cardinales, Epiſcopi polliciti ſunt ſe daturos decimas omnium proventuum Eccleſiaſticorum in ſubſidium ejuſdem Belli. Hæc autem, & pleraque alia, quæ præſtitit Pontifex ad promovenda, atque acceleranda auxilia pro defenſione, aut liberatione Terræ Hieroſolymorum, effectu vacua fuere propter varias, quæ emerſerunt, cauſſas. Imo ab hoc tempore, ac deinceps nulla amplius generalis Expeditio legitur facta in ſubſidium Terræ Hieroſolymorum. Legitur quidem per illud temporis *Philippum*, qui dicebatur *Audax*, Galliarum Regem Crucem aſſumſiſſe Terræ Hieroſolymorum ſubſidium allaturum; ſed illuc poſtea profectum traditum non invenio: Neque profecto ex hujuſmodi Expeditionibus armatorum in Urbem Hieroſolymorum aliquid tunc temporis ſperandum erat fauſti, aut felicioris eventus; ſiquidem Europæi Principes abalienatis invicem animis mutuas

alebant ſimultates, ac diſcordiarum ſemina fovebant; uti conſtat ex Hiſtoriographis illarum ætatum. Neque res Latinorum in Oriente pacatiores erant, aut feliciori fruebantur conditione; quandoquidem mutuæ inter ipſos Latinos diſſenſiones uſque ad apertam vim proceſſerant. Princeps Antiochiæ e ſua Epiſcopali ſede ejecerat Epiſcopum Tripoli, bona illius invaſerat, ſubditos variis modis affligebat, Templariorum domum, quo ſeſe receperat profugus Epiſcopus, more belligerantium, depopulatus eſt. Epiſcopus autem ex ſua parte ipſum Principem excommunicatione perculerat, atque illius terras ſubjecerat interdicto. Hujuſmodi autem diſſenſiones effecerant, ut Tripolum, ceteræque Civitates; quas Chriſtiani tunc poſſidebant in Oriente, ipſis ereptæ in Saracenorum poteſtatem iterum redactæ fuiſſent. Quapropter Chriſtiani in univerſo Oriente, nihil reliqui habebant, præter Urbem Ptolemaidis, quo ſeſe receperant Chriſtiani undique ejecti, quæque idcirco populatiſſima evaſerat, ac refertiſſima hominibus diverſarum nationum; quæ ſane res morum luctuoſæ corruptelæ, quæ illuc ſeſe immiſerat, majus fomenti, atque incitamenti præſtabat. Erat autem tunc Ptolemaides Urbs Pheniciæ nobiliſſima, totius Orientis opulentiſſima, omnium Orbis regionum commercio maxime opportuna, ac portu capaciſſimo, tutiſſimoque munita.

LXXIV.

LXXIV. Accidit autem, ut per illud temporis illuc appulerit Cruce ſignatorum manus, numero fere mille & ſexcenti, qui jactabant ſe a Pontifice miſſos, nec adſtringi ad inducias ſervandas, quas *Henricus* Rex Cypri paulo ante pepigerat cum Soldano Ægypti; quia nullo ipſorum conſilio interveniente, aut auctoritate fuerant conſtitutæ. Quare rejectis ceterorum Chriſtianorum ſuaſionibus ad deprædandos, atque trucidandos *Muſſulmannos* totos ſeſe tradunt, qui innixi ſecuritate induciarum illuc annonam venum deferebant, atque venalem proponebant. Quin egreſſi Ptolemaide acie ordinata excurrere coeperunt hoſtium more in loca viciniora, & qua depopulando, qua trucidando habitatores, finitimis omnibus ſummum ubique terrorem injecerunt.

LXXV. Cum autem hiſce de rebus certior factus eſſet Soldanus Ægypti, miſit Ptolemaidem, qui ſuo nomine peterent hujuſmodi illata contra jus ac fas damna reſarciri, atque hujuſmodi foedifragos ſuis in manus tradi, quo debitis poenis afficerentur. Diu multumque inter Cruce ſignatorum Duces deliberatum fuit, quid eſſet reſpondendum hiſce Saracenorum petitionibus. Tandem cum non poſſent factum negare, quod & ipſis licuiſſe multis de cauſſis arbitrabantur, variis excuſationibus uſi fuere, quæ perlatæ ad Soldanum Ægypti, cum ipſi ſatisfacere non potuiſſent, illico cum potentiſſimo

roſolymitana uſque ad *Petrum de Palude*, qui anno 1329. Hieroſolymitanus Patriarcha inauguratus eſt, atque Pariſiis obiit anno 1342. Ex *Paleeprochio*, atque ex *Odorico Raynaudo* ordine exſcripſit Cl. *Graveſonius. Hiſtor. Eccleſiaſt. Sæcul. XIII*, ac *XIV. Colloq. I.* Atque in *Tabulis Chronogicis* adtextis ad calcem ſuæ *Hiſtor. Tabul.* V.

LXXVI. Capta itaque Urbe Ptolemaidis, atque una cum ipſa immenſis potiti divitiis Saraceni (Erat enim Urbs illa celebratiſſima, atque totius ferme Orientis nobiliſſimum emporium) ad illam penitus ferro flammaque delendam totos ſeſe dedere. Qua quidem in re inſigne extitit Barbarorum odium adverſus Chriſtianum nomen. Sexaginta Chriſtianorum millia numerantur, qui partim coeſi, partim captivi abducti fuere, muri, ac tecta omnia, templa, atque arces ſolo æquata fuere, ipſa moenium fundamenta eruta, ut ne veſtigium quidem Chriſtianæ rei ſupereſſet in univerſa Syria. Atque ita demum capta Ptolemaide ceteriſque Chriſtianorum oppidis in Palæſtina, pulſi perpetuo, ut videtur, Latini Palæſtinæ poſſeſſione fuere.

LXXVII. In hac vero tam luctuoſa hujus tam celebratiſſimæ Urbis direptione, illud præ ceteris memorandum contigiſſe memoriæ proditum eſt. Extabat ea in Urbe inſigne Monaſterium Monialium titulo *S. Claræ*. Cum autem ipſarum Aba-

tiſſa perſentiſceret furentes hoſtes hac illac per Urbem volitantes, ferro flammaque omnia devaſtare, prudenter verita, ne ſuæ, ceterarumque Sororum pudicitiæ vis a Barbaris inferretur, aut inſultaretur; convocato Capitulo ceteras Sororum efficaci ſermone cohortata eſt ad deſpiciendam hujuſce mortalis vitæ caducitatem; eiſque ſuaſit, ut quod eſſet ipſa factura, ceteræ quoque ejus exempla imitatæ facerent. Hiſce dictis protinus naſum ſibi obtruncat; quod conſpicientes ceteræ Moniales variis modis ſibi facies inciderunt, ac deformarunt. Illuc autem introgreſſi Saraceni horrificis enſibus armati, primum horrore obſtupere aſpectu tam inauditæ rei, mox acti in rabiem illas ad unam omnes trucidarunt. Fortunatæ Virgines, quibus datum fuit cum lampadibus oleo caritatis ornatis Sponſo ſuo Chriſto occurrere, atque pro virginitatis amore vitam ſuam profundere!

LXXVIII. Tantam autem Chriſtianorum cladem, ac tam nobiliſſimæ Urbis excidium juſto tremendoque Dei judicio contigiſſe Hiſtoriographi teſtantur; Supremo ſcilicet Numine poenas exigente debitas ob ſcelerum enormitatem, quæ in dies paſſim in ea admittebantur. Siquidem, uti teſtatur *Spondanus* ad hunc annum, ſcelera, ac facinora, coedes ac furta, rapinæ, atque expilationes, ſacrilegia aliaque hujuſmodi, ac præſertim libidinum fœditates paſſim, ac impune graſ-

graſſabantur. Ea porro ætate, cum res Latinorum in Palæſtina ab imis radicibus convulſa, tam gravi caſu conciderat, Eccleſiæ Catholicæ atque Apoſtolicæ clavum moderabatur *Nicolaus* IV. Pontifex, qui anno 1288. poſt *Honorii* IV. ſuprema fata in Pontificia Sede collocatus fuerat. Hic autem laudatiſſimus Pontifex ex Minorum familia, tam acerbo tantarum calamitatum nuncio perculſus, atque ad commiſerationem filiorum in Chriſto, uti par erat, commotus, nihil intentatum reliquit, quo Chriſtianorum Principum pietas accenderetur ad Sacrum Bellum capeſſendum pro recuperatione Terræ S.; uti conſtat ex duabus Conſtitutionibus ejuſdem Pontificis, altera directa ad omnes fideles, altera vero ad Metropolitas omnes, ex Epiſtolis ad Genuenſes, ac Venetos, ad *Philippum* Galliarum Regem ad Epiſcopos Galliarum, ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, ad Regem Armeniæ, imo ad ipſum Regem Tartarorum. Verum hæc omnia adeo ferventia ſtudia pro Sacro Bello præmovendo, & ipſa effectu vacua remanſere propter obitum ipſius *Nicolai* qui anno 1292. vitam cum morte commutavit, atque vacationem Sedis Pontificiæ per duos annos & amplius protractam.

LXXIX Anno poſtmodum 1310. fratres Hoſpitalarii, ſive, uti vulgo appellantur Equites S. Joannis poſt multa rerum diſcrimina, ac Chriſtianorum interne-

necione Inſulam Rhodi a Turcis occupatam, ac detentam expugnarunt, atque in ſuam poteſtatem feliciter redegerunt, in quo facinore conficiendo quatuor ſolidi anni inſumti fuere. Quapropter cum anno 1312. Viennenſe Concilium ſub Clemente V. ad optatum finem perduceretur, cum ſpes injecta eſſet poſt captum a Chriſtianis Inſulam Rhodi, facilius inde procedi poſſe ad recuperandam Urbem Hieroſolymorum, eamque liberandam a Barbarorum tyrannide, nova decreta fuit, atque præſcripta Sacra Expeditio pro Hieroſolymorum liberatione, ad quam ſuſcipiendam Rex Galliarum *Philippus*, Rex Angliæ *Eduardus*, Rex Navarræ *Ludovicus* aliique Chriſtiani Principes voto ſeſe obſtrinxerunt. Pro hac etiam Expeditione ad exitum perducenda decimæ etiam præſcriptæ fuere ſex annorum ſolido ſpatio perſolvendæ; quod, ut creditur, cauſſam præſtitit Conſtitutioni Apoſtolicæ relata in *Clement.* Si beneficiorum 2. *De Decimis* uti poſtea dicemus. Cum autem anno 1319. Rex Galliarum, atque Rex Angliæ magnopere geſtirent, atque contenderent iter arripere Hieroſolymam verſus votum uterque completuri, *Joannes* XXII. qui in Pontificia dignitate ſucceſſerat Clementi V. defuncto, eos ab hoc propoſito revocavit multis adductis rationibus, quibus fauſti, ac proſperi eventus ex illorum Expeditionibus ſperandi non eſſent. Imo inter fere Sæculo XIV. Sa-

cræ Expeditiones pro Hieroſolymorum liberatione ſæpius promulgatæ fuere, ac decimæ colligebantur in hujuſmodi opus impendendæ, licet poſtea jubentibus Pontificibus in aliorum Bellorum ſubſidium poſtea conferentur; prout rei gravitas poſtulare videbatur. Vide Cl. Flæuri laud. Diſcorſo VI. Delle Crociate. At de his parum ſolliciti fuimus; nobis enim ſatis fuit harum Sacrarum Expeditionum hiſtoriam proſecutos fuiſſe uſque ad integram Latinorum expulſionem e Palæſtinæ finibus. Quod propoſito nobis argumento illuſtrando conducebat.

LXXX. At quis non miretur, digniſque, uti par eſt efferat laudibus Omnipotentis Dei, qui Miſericordiarum Pater rectiſſime dicitur, atque colitur, ſummam clementiam, qui tantam Latinorum cladem in Oriente, tantaſque calamitates ingenti cœleſti bono, eximioque munere compenſavit. Siquidem eodem ipſo anno, quo Latini e Palæſtina pulſi fuere capta, atque everſa Ptolemaide, imo poſt paucos dies, ab accepta clade nimirum VII. Idus Majas (cum Ptolemaidis excidium contigerit medio fere menſe Aprilis ejuſdem anni 1291.) ipſo Nicolao IV. Pontifice, Deiparæ Domus, (quam *Lauretanam* appellare ſolemus a ſylva cujuſdam matronæ *Lauretæ* nomine, ubi Sacra Domus tantiſper conſederat;) Deiparæ inquam Domus e Galilaea, unde fides, & Religio una cum Latinis abſceſſerat, ab imis
ſuis

fundamentis avulſa, Angelorum miniſterio per ingentes terrarum, mariſque tractus adſportatur in Europam. Ac primum in Dalmatia Terſactum inter, & Flumen in monte leniter acclivi Adriatico mari imminente, a cœleſtibus miniſtris, Deiparæ juſſu Nazarena Domus, in qua Filius Dei De Spiritu Sancto, Angelo nuntiante conceptus fuit, primum ſita fuit, ſecunda ſcilicet noctis vigilia. Deinde e Dalmatia in Picenum e regione ipſius Dalmatiæ interjecto mari Adriatico ſitum, anno 1294. IV. Idus Decembris Pontificatus Bonifacii VIII. anno primo tranſvecta eſt. Ac in ipſo Piceno ter intra ejuſdem anni breve ſpatium ſedem mutavit. Nam primo ex Dalmatia advecta in Picenum in Recinetenſis agri ſylva conſedit, deinde ex hac ſylva octavo circiter menſe, quam inibi inſederat, abſcedens in collem duorum fratrum commigrat. Demum ex hoc colle, exoſa fratrum avaritiam diſcordiarum inter ipſos ſcaturiginem, in proximum collem ad jactum ferme ſagittæ, poſt paucos ſcilicet menſes adducta fuit Nazarena adoranda Domus. Atque hic demum ſtabilem, ac permanſuram ſedem ſacra illa Domus nacta eſt, ubi nunc viſitur, & colitur. Quod ſane non ſine ſapientiſſimo Dei conſilio factum conſpicimus; etenim opus fuit ad fidem tam inſolito, inauditoque antea miraculo affirmandam, ejuſdem miraculi frequentatione; ut rem per ſe incredibilem, qua-

iis

ſis erat tranſvectio ejuſdem Sacræ Domus e Palæſtina in noſtras Occidentales plagas, crebra intra paucos annos loci mutatio credibilem faceret. Equidem Clementiſſimus Deus haud paſſus eſt natalem ſuæ SS. Genitricis Domum, in qua & ipſum *Verbum Caro factum* fuerat, cultu deſertam jacere in Galilæa; intervalla enim locorum, devia itinera, telis Barbarorum infeſta nequaquam advenarum religioni opportunam illam faciebant. Qua de re legendus erit *Horatius Turſellinus* Lauretanæ Hiſtoriæ Scriptor elegantiſſimus.

LXXXI. Poſtremo heic ſubnectendum duxi, quod nefas eſſe arbitrarer illud ſilentio prætereire, quoſdam fuiſſe ex illorum genere, qui de rebus geſtis judicium ferre ſolent ab ipſis eventibus, qui cum viderint tot tantaſque Cruce-ſignatorum Expeditiones infeliciter ceſſiſſe, atque ingentibus cladibus univerſam Europam funeſtaſſe, dubitare auſi ſunt, an hujuſmodi Expeditiones ex juſtitiæ, æquitatiſque regula factæ fuerint, an ab illa deflexerint. Sane haud mihi perſuadebam homines fuiſſe, qui in hanc tam abſurdam opinionem, ſuſpicionemque adduci paterentur; ſed quoniam nunquam defuere, qui in ipſa meridiana luce coecutire in deliciis habent, quid facias iſtiushujuſmodi hominibus, jubeas eos miſeros eſſe libenter, & iſtorum referre inſanias, ſeu deliramenta hic e re duximus; atque inſtituti noſtri ratio ex-

expoſcere videbatur ; ut ab hujuſmodi caventes Pii Lectores in tam explorata rei veritate de juſtitia , ac pietate Sacrarum iſtarum Expeditionum magis confirmarentur. Et revera quis prudens, & ſane mentis homo de juſtitia hujuſce ſacri Belli audebit dubitare, ad quam comprobandam concurrit ſimul Conciliorum etiam Oecumenicorum auctoritas ; uti Laterans. I. Lateran. IV. Lugdunen. II. ac Viennenſe , atque Eccleſiæ univerſim conſentientis ; inſuper & prodigiorum copia , quæ ſubſecuta fuere D. Bernardum , cum juſſu Eugenii III. Sacras Expeditiones prædicabat , Domino cooperante , & ſermonem ipſius confirmante innumeris ſignis . Equidem de hujus rei veritate dubitare , idem eſſet, ac miraculis vim omnem detrahere , quæ ſemper fuere Divina , atque exploratiſſima teſtimonia ad comprobandas veritates. Sed hiſce dimiſſis ad ſalubriora mentis aciem convertamus . Sane tot luctuoſæ clades , quæ Sacras haſce Expeditiones fere ſemper conſecutæ fuere, quaſi manu nos ducunt ad ſuſpiciendam , adorandamque impenetrabilem Divinorum Judiciorum abyſſum, atque ad exclamandum cum Apoſt. *Quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, atque inveſtigabiles viæ ejus . Quis cognovit ſenſum Domini . Ad Romanos Cap.* Quis enim ſuſpicari potuiſſet haſce Sacras Expeditiones tanto pietatis ardore ſuſceptas tam fuiſſe infeliciter ceſſuras . Attamen aliter ſeſe rem habuiſſe Eccleſiaſticæ Hiſto-

riæ

riæ exploratiſſima monumenta nos condocefaciunt. Nec id tantopere mirum videri debet ſtudioſo Lectori, ſi omnia circumſpiciat, atque recte expendat, præſertim Cruce-ſignatorum crimina, quæ Divinam ultionem, debitaſque animadverſiones provocabant in ſe, atque arceſſebant. Quod clariſſime patet ex Epiſtola Epiſcopi Ptolemaidis ad *Honorium* III. (Adeatur Cl. Fleuri *Diſcorſ. VI. ſop. la Stor.*) Sanctæ itaque, juſtæ, ac legitimæ erant Cruce-ſignatorum Expeditiones, ſed illorum vita, atque agendi ratio non erat hujuſmodi, ut tantum honoris, atque decoris ſibi, ac Religioni comparare mererentur, ut Sacratiſſimas illas Regiones a Saracenorum tyrannide, ac profanationibus ſubducendo; atque in priſtinam libertatem adſerendo, non ſolum Euxopaeas Gentes, ſed etiam univerſum Chriſtianum Orbem, exhilararent. Atque occulto juſtoque Dei judicio factum eſt, ut potius Deus paſſus ſit Sacratiſſima illa Loca pollui profanationibus Infidelium, quam contaminatiſſima Chriſtianorum vita.

LXXXII. Sed quoniam rei dignitate, atque argumenti amplitudine abducti longius prætervecti ſumus, quam crederemus, ac propoſitum nobis fuerit (Nec enim hæc tanta res, ac tam inſigne Chriſtianæ pietatis monumentum arctioribus confiniis concludi fas erat) vela jam contrahamus oportet, atque huic Primæ Parti manum extremam imponamus. Interim

n. I-

nullus dubito, aut vereor, ne apud ſapientes Lectores reprehendar, atque ſugiller, quaſi inutiliter tempus inſumſerim, atque hiſtorica monumenta ad propoſitum finem facientia recenſendo, plus æquo illorum patientia fuerim abuſus. Etenim quiquis, qui oculo irretorto, atque æquo animo iſta percurrerit, pro ſua ſapientia perſentiſcet, quantæ utilitatis futura ſit iſthæc Hiſtorica Synopſis, & quam conſentanea noſtro propoſito argumento. Primo enim hiſtorica iſthæc monumenta curſim delibata, maximam profecto lucem afferent Decretalibus Romanorum Pontificum Epiſtolis, in quibus variæ de Voto propoſitæ quæſtiones elucidantur, atque dirimuntur; quorum Votorum relaxatio una eſt ex præcipuis conceſſionibus, quibus per noſtram Bullam Cruciatæ S. cumulati Apoſtolica benignitate fuimus. Deinde quis inficiari poterit, hiſtorica iſthæc monumenta, quæ hic collegimus de Cruce ſignatorum Expeditionibus, maximum Chriſtianæ pietati incitamentum, acrioreſque aculeos eſſe allatura, dum propriis veluti oculis inſpectemus Chriſtianorum illorum temporum maximam fidem, ac pietatem, quibus erga illa Sacrata Paleſtinæ Loca, ſantificata Myſteriis Chriſti adeo afficiebantur, tantoque honoris, ac religionis cultu eadem proſequebantur, ut nullis neque pepercerint laboribus, neque periculis conterriti fuerint, quibus ab illis pie religioſeque inviſendis poſſent abduci;

ma-

maximumque videbantur ſibi felicitatis culmen attigiſſe, ſi illis inter ipſos furentium hoſtium gladios datum fuerit genibus provolvi coram illis Sacratis noſtræ Religionis Monumentis, ibique lacrymis ubertim profuſis adorare veſtigia Pedum Chriſti, fidei noſtræ Beatiſſimi Auctoris, atque Conſummatoris? Præterea hæc relegentes, quæ hic exhibemus, ſi qui ſunt inter Chriſtifideles negligentiores, atque a ſtudio pietatis aliquantulum aberrantes, pudore ſuffundantur oportet, dum propriis veluti auribus excipiant notari, ac reprehendi ſuam negligentiam, atque indevotionem, qua Indulgentiarum propoſita beneficia veluti pro nihilo ducant, ceu vetularum ſtudia, atque occupationes faſtidiant, neque digna arbitrentur, ut quidquam pro illis conſequendis aut levioris incommodi ferant, aut expenſarum erogent, cum eleemoſynis opus ſit ad illa conſequenda. Poſtremo quiſnam erit inter fideles, modo in eo ſuperſint aliqua pietatis veſtigia, qui non ſentiat ſeſe excitari, atque maxime accendi ad ſtudium Indulgentias lucrandi? cum videat homines cujuſcumque ætatis, ſexus, atque conditionis, dimiſſis omnibus, quæ cariſſima eſſe ſolent, catervatim properare, ut Sacræ Militiæ adſcripti Indulgentiis propoſitis frui poſſent, nihil reformidantes aut itinerum incommoda, aut pecuniarum erogationes, aut graviſſima Bellorum pericula? Cum cernat ipſos Reges, ac ſummos Impera-

tores haud dubitaſſe maxima exercitus robora ad hoc idem conſerre, Regni divitias prodigere, ac vitam ipſam, qua nihil carius eſſe poteſt, profundere? Etenim exempla aliorum, præſertim ſummorum Virorum, efficacius movent ad ſtudium pietatis, quam quævis alia. Hactenus itaque de Cruce-ſignatorum Expeditionibus; nunc ad illuſtrandas Decretales Summorum Pontificum Epiſtolas huc eodem pertinentes, diverſis editas temporibus, gradum faciamus oportet. Quod alterum ſupereſt nobis expediendum.

§. II.

Ubi Decretales Summorum Pontificum Epiſtolæ De Voto præſertim Hieroſolymitano, aut De Expeditionibus Cruce-Signatorum agentes, referuntur, expenduntur, illuſtrantur.

Decretal. I.

PRima Decretalis, quæ occurrit in Tit. De *Voto*, *ac Voti Redemtione* eſt reſponſum Alexandri III. Ad Epiſcopum Civitatis Exonienſis in Anglia (vulgo *Exford.*) Alexander autem III. Pontifex electus fuit anno 1159. seditque in Petri Cathedra uſque ad annum 1181. Hic, teſte Fleuri in *Hiſtoria Eccleſiaſtic.* connumerabatur inter eruditiſſimos Pontifices; quippe qui Sacrarum Litterarum ſcientia excultiſſimus erat, & Romani, æque ac Canonici Juris conſultiſſimus; quare multarum, earumque difficillimarum quæſtionum nodos pro ſua ſapientia ſummo poſteritatis bono nobis extricavit.

Q. *Quodnam Dubium hic proponitur Pontifici reſolvendum?*

R. Illud eſſe: num ſcilicet Vota peregrinationis poſſent eleemoſynis redimi, aut aliud pro neceſſitate impleri, h. e. in aliud commutari? Reſpondet Pontifex: id quidem dependere ex arbitrio il-

illius qui præſidet; diligenter tamen conſidratis qualitate perſonæ, cauſſa commutationis, & quid melius futurum ſit, ac Deo magis acceptum, peregrinatio ſcilicet, an recompenſatio. Juxta has itaque regulas ob oculos hac in re habendas, concedendam eſſe diſpenſationem, vel commutationem ſapientiſſime decernit Pontifex.

Q. I. *Quid intelligatur per Vota peregrinationum.*

R. Licet verba adducti *Cap.* 1. *De peregrinationis Votis* generaliter, uti patet, poſſent accipi de Votis quarumcumque peregrinationum, quæ quovis tempore inter fideles pio religionis affectu ſuſcipiebantur, atque conficiebantur (Vide §. *I. n. XXVII. hujuſce Appendicis*) ratio tamen temporum expoſcit, ut de illis peregrinationibus verba textus intelligamus, quæ tunc temporis erant uſitatiores; quale eſſet Votum peregrinationis præſertim in ſubſidium Terræ S. Etenim 1. *Alexander* III. qui auctor eſt memorati *Cap.* I. In tit. *De Voto* ea ætate vitam degebat, uti patet ex ſupputatione temporum, cum maxime fervebant ſtudia fidelium pro liberatione Terræ S. a jugo Infidelium. 2. Hujuſmodi Vota licet eſſent facta inſubſidium Terræ Hieroſolymorum, ſimpliciter tamen dici ſolebant *Vota peregrinationis Hieroſolymitanæ*; *Iter Hieroſolymitanum*, aut aliquid hujuſmodi; uti patet ex *Cap.* Venientis. 2. *Hoc tit. De Voto*, atque ex *Canone* 11.

Con-

Concilii Lateranenſis I. quod celebratum fuit eodem Sæculo XII. anno ſcilicet 1123. in quo plenariæ Indulgentiæ conceſſæ fuere ſuſcipientibus *iter Hieroſolytanum*, *vel Hiſpanicum*; ſcilicet ad liberandum dicta Loca ab Infidelium tyrannide. (Vide Cl. Graveſonium *Hiſtori. Eccleſiaſt. Secul. XII. Colloq. IV.* qui ſcite id advertit, & multis probat.) 3. Quiſque peregrinantium frui peroptabat Indulgentiis ampliſſimis propoſitis per Urbanum II. ac per alios ſubinde Pontifices, quæ conceſſæ erant proficiſcentibus pro liberatione Terræ Hieroſolymorum; atque ideo non Vota ſimplicis peregrinationis, devotionis, ac pietatis ergo, ſed potius ſubſidii afferendi cauſſa nuncupabant; quæ tamen ſimpliciter dicebantur *Vota peregrinationis Hieroſolimitanæ*, aut *Hiſpanicæ*; quia in hujuſmodi Votis utrumque contineretur, ſubſidium nempe afferendum, ac Sancti Loci viſitatio; ideo ſat erat unum per alterum indicare.

Quare ſpeciatim hic agi crediderim de Voto peregrinationis in ſubſidium Terræ S., atque inde eſt, quod quaſi antonomaſtice dicitur Votum *Peregrinationis*, quod longe erat communius, ac frequentius, quam Votum ipſum Hiſpanicum; quod ex dictis in *Prima Part.* hujuſce *Synopſis* ſat luculenter patet. Quapropter minime adſentiendum puto Cl. *Gonzalez* qui *In Comment. laud. Cap.* allata verba de aliis peregrinationibus intelligere vi-

detur potius, quam de peregrinatione Hieroſolymitana, aut etiam Hiſpanica.

Quomodo ergo Epiſcopus ex ordinaria facultate poterat in hujuſce Votis diſpenſare; aut eadem commutare, cum dicitur id pendere ex ejus, qui præſidet h. e. Epiſcopi, arbitrio cum eſſent hujuſmodi Vota reſervata?

R. Tempore Alexandri III. nulla jam conſtituta fuerat reſervatio Voti Hieroſolymitani, quam poſtea edita Conſtitutione ſancivit Innocentius III. *Cap.* Ex multa 9. *De Voto &c.* Atque hoc ſolum peregrinationis Hieroſolymitanæ Votum Juris Scripti auctoritate manſit reſervatum, ceterorum vero Votorum reſervatio ipſa traditione, & conſuetudine facta fuit. Vide quæ in hanc rem dicta fuere in *Diſſertat. Part. I. §. 2. Qu. VIII.* Quare nihil mirum ſi in hac Decretali Alexandri III. dicatur, ad officium Epiſcopi pertinere, atque ex ejus pendere arbitrio in hujuſmodi Votis peregrinationum diſpenſare.

Q. II. *Num unum idemque ſit Votum* redimere, ac commutare?

R. Cum duo ſint, de quibus mentio injiciatur in memorata Decretali; nimirum an vota *eleemoſynis redimi poſſint*; vel *aliud pro neceſſitate impleri*; quæ eſt Commutatio; non unum tamen idemque utrumque ſonare, ſed latum inter eadem intercedere diſcrimen nemo profecto ex Politioribus Theologis poterit ignorare. Etenim *Redimere Votum* dicimur cum certa pe-

pecuniæ quantitate promiſſum opus luimus; h. e. cum pro pio opere promiſſo certa pecuniæ quantitas in aliquod pium opus perſolvebatur. *Commutari* vero dicitur Votum, cum opus ipſum promiſſum in aliud quodcumque Prælati intercedente auctoritate commutatur.

Redemtio porro, atque Commutatio proprie non extinguunt priorem obligationem Voti, ſed in aliam mutatur manente priori vinculo Voti; adeo ut virtute prioris promiſſionis, teneatur ipſe, qui vovit, Commutationem, aut Redemtionem adimplere. Etenim ſubrogatum induit naturam illius, in cujus locum ſubrogatur. *Cap.* Eccleſiæ 3. *Ut Lite pendente.*

Q. III. *Num in Votis reſervatis prohibita ſit Epiſcopis non ſolum diſpenſatio, verum etiam commutatio, aut redemtio?*

R. Affirmative. Quia commutatio, æque ac redemtio Voti ſunt quædam diſpenſationis ſpecies, cum per eas quis diſpenſatur ab obligatione præſtandi rem promiſſam, atque in individuo debitam. Lege Decretales relatas in *Cap.* Super his. 8. & *Cap.* Ex multa 9. inferius adducendas, in quibus peculiariter de redemtione hujuſce Voti Hieroſolymitani agitur. Quod etiam probatur ex Extravaganti Xyſti IV. quæ incipit *Etſi Dominici Cap.* 5. *De Pœnitent.* ac *Remiſſion.* ubi ex jam præſcripta quinque notiſſimorum Votorum reſervatione, ſpeciatim prohibetur eorumdem Votorum commutatio ſub poe-

na excommunicationis Sum. Pontifici reſervatæ; quam tamen excommunicationem non incurrerent, niſi qui attentarent hujuſmodi commutationem prætextu facultatum ab ipſo Sixto IV. conceſſarum; uti patet ex verbis *Extravagantis laud.* ac plures docent Theologi. Vide Sanchez *In Decalog. Lib. IV. Cap.* 40. *n.* 23. & Suarez. *Tom.* 2. *De Religione Lib. VI. Cap.* 21. *n.* 16. & 17.

Decretalis II.

Secunda iſthæc Decretalis quæ etiam eſt Alexandri III. ad Epiſcopum Noruvicenſem, ſive Norvicenſem, aut Nordovicenſem (Vulgo *Norvvich*) in Anglia, quæque incipit *Venientis*. Iſte Epiſcopus, non ſecus ac Exonienſis, erat Suffraganeus Archiepiſcopi Cantuarienſis totius Angliæ Primatis.

Q. I. *Quinam caſus reſolvendus in hac Decretali Pontifici proponitur?*

R. Caſus qui occurrebat in hunc modum ſeſe habebat. Quidam Clericus in puerili ætate conſtitutus Votum emiſerat Hieroſolymam proficiſcendi, & alteri etiam, qui illuc iter jam animo deſtinarat, ſe ſocium futurum fide data promiſerat; poſtea tamen rei difficultatem animadvertens, Romam acceſſit, Romanum Pontificem petiturus, ut opportune dignaretur providere. At Romanus Pontifex ſerio, pro ſua inſigni ſapientia, perpenſis, quæ ad rem maxime faciebant; tempus nimirum emiſſi Voti, quod in tenera ætate facili-

tate

tate magis, quam arbitrio diſcretionis conceptum fuerat, affectam male valetudinem, qua detinebatur; quam parum utilitatis afferret acceſſus voventis ad Orientales plagas; inſuper quam eſſet inconveniens, ac Sacris Canonibus vetitum, Clericum infra Sacros Ordines conſtitutum arma tractare belligerantium more, ipſum ab obligatione Voti abſolvit, adjungendo quamdam commutationis ſpeciem, ut nempe Votum eleemoſynis redimeretur.

Q. II. *Quale fuerit hoc votum editum ab hoc Clerico in puerili ætate?*

R. Fuiſſe votum illuc accedendi non ſolo devotionis intuitu; ſed etiam ſubſidium conferendi, quod in ipſo erat, Terræ Hieroſolymorum adverſus Infideles. Etenim utrumque in hujuſmodi Votis promitti ſolebat ea ætate, cum fervérent ſtudia Chriſtifidelium pro Expeditionibus Cruce-ſignatorum colligendis. (Vide Hujuſce *Append.* §. I. n. XXVII.). Quod quidem luculentiſſime patet ex iis, quæ nuper attulimus, dum exponeremus facti ſpeciem in memorata Decretali contentam.

Q. III. *Quo ex anno incipiat, & quouſque excurrat puerilis ætas, in qua Votum editum dicitur?*

R. Juxta ſaniorem, ac probiliorem Juris Conſultorum ſententiam, puerilem ætatem incipere a ſeptimo anno, ac perdurare ad pubertatem uſque, h. e. uſque ad decimumquartum in maribus, & uſque ad

duodecimum in femellis. Quod præ ceteris probatur ex *Leg.* Carbonianum 3. §. Si duo *ff. De Carbonian. Edict.* ubi pueritiam, atque impubertatem pro uno eodemque ſumuntur; atque ex variis Juris Canonici ſanctionibus *Lege* Cap. Vel non eſt compos 15. *De Temporib. Ordinat.* Et *Cap.* Ex litteris 11. *De Deſponſat. Impub.*

Q. IV. *Quænam ætas requiritur ad votum validum emittendum.*

R. Hac in re veriſſimam eſſe ſententiam illorum, qui docent completo ſeptennio pueros, dum ſint doli capaces, atque uſum rationis jam attigerint, poſſe adſtringi quocumque voto ſimplici, etiam Religionis, quæ omnia vota valide emittere poſſunt ea in ætate. Ratio autem eſt; quia completo ſeptennio, dum ſunt doli capaces, poſſunt ſeſe obligare Diabolo per peccatum, & hominibus per ſponſalia. Ergo & Deo per votum. Cujus quidem rei illa eſt fundamentalis ratio; quia ad voti validitatem non requiritur diuturna, plena, ac penitus matura conſideratio, ſive deliberatio intellectus expendentis omnia adjuncta, quæ inde evenire poſſunt. Hinc in *Cap.* Dudum *De Converſ. Conjug.* validum decernitur votum ex calore iracundiæ conceptum, niſi rationis uſus impeditus inde plane fuerit: Ita D. Thomas 2. 2. *Q.* 88. *art.* 9. Sanchez *in Decalog. L. IV. Cap.* 18. *n.* 5. Suarez *Tom. I. De Religion. Lib. III.*

Cap. 2. *n.* 3. Nec contrarium innuit Canonica auctoritas; ſiquidem *Cap.* 1. *Cauſs.* 20. *qu.* 1. ubi contrarium videtur ſuaderi, loquitur de Voto ſolemni; ut ex verbis luculenter colligitur.

Quia tamen in hiſce votis ab hujuſmodi ea in ætate æditis deeſſet perfecta deliberatio ad tantum oneris ſibi adſumendum per votum; ideo Eccleſia, cum illis facilius diſpenſat; quod & in *laud.* Decretal. jam ſupra advertimus; atque etiam huic defectui ſuppleri poteſt, natura ipſa dictante, per irritationem ab illis faciendum, quorum curæ pueri ſunt concrediti.

Decretal. III.

Tertia iſthæc Decretalis, quæ incipit *Litteraturam*, ab eodem Alexandro edita tranſmiſſa fuit ad quemdam *Magiſtrum* h. e. Doctorem inſignem vel in Theologica facultate, vel qualibet alia. (Id enim deſignabat nomen Magiſtri, ut ſæpius advertit Cl. *Fleuri* in Sacra illarum ætatum Hiſtoria, atque docet *Du-Gange* in ſuo Gloſſario Verb. *Magiſter* Summo etiam in honore hoc nomen habebatur; adeo ut illud tribueretur non ſolum Epiſcopis; ſed etiam Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus. Ubi vero reſideret hic inſignis Doctor definiri non poteſt; etenim in lectione tituli variant Interpretes; dum alii *Vadfordenſi*; alii vero *Magdefordenſi* legant; neque ex ipſa Decretali quidquam certi hac in re elici poteſt.

Q. I. *Quænam facti ſpecies hac in Decretali proponitur Pontifici?*

R. Facti ſpecies in hunc modum ſeſe habet. Memoratus Magiſter, cum ex quadam imminutione brachii ſui fuiſſet pavore mortis perterritus in hæc proruperat verba: *Non diu hic morabor*; proponens in animo, quod Religionis habitum eſſet aliquando ſuſcepturus. At poſtea corporali infirmitate detentus, atque Caritatis officiis, quæ in proximum impendebat, diſtulerat opere complere, quod ſibi in animo propoſuerat; multum tamen verebatur, ne tamquam violatæ fidei reus ni ſupremo Dei judicio debitæ fieret ultioni obnoxius. Ad ipſum itaque, ubi ad Pontificem recurſum habuiſſet, ſic dubitantem reſcribit Pontifex: quod ſi plus in voto non eſſet progreſſus, tranſgreſſorem voti ipſum non eſſe habendum. Monet tamen Pontifex, ne nimio valetudinis metu a ſtudio perfectionis ſibi propoſitæ avertatur; ne dum diffiſus ope divina montis aſcenſum reformidaret; h. e. ad ſtudium perfectionis contendere, in parvo Oppido ſubſiſtere cogeretur a perfectioris vitæ culmine longe remotus; quemadmodum in figura contigiſſe B. Loth. Sacra narrat Hiſtoria. *Geneſ. Cap.* 19.

Quare ergo iſte Pontificia auctoritate ab obligatione voti fuerit ſolutus declaratus?

R. Id eo factum fuiſſe, quia tum ex verbis, tum ex animi ſui ſententia nudum emi-

emiſerat propoſitum voluntatis, longe diſpar, atque alienum a ratione voti.

In quo ergo Propoſitum diſcrepat a voto?

R. In eo proprie differre, quod votum eſſentialiter eſt promiſſio Deo facta; promiſſio autem neceſſario includit obligationem, ſeu voluntatem ſeſe obligandi; etenim homo ſeſe obligat homini, atque etiam Deo ad aliquid faciendum per modum promiſſionis: Propoſitum autem nullam includit promiſſionem, nec proinde obligationem; ſed ſolum voluntatem, atque deliberationem aliquid faciendi. Quare recte D. Thomas docet ad votum conſtituendum tria requiri. Primo deliberatio. Secundo Propoſitum voluntatis. Tertio promiſſio, in qua perficitur ratio voti. At vero Propoſitum ſolum præexigit atque exquirit aliquam deliberationem; cum ſit actus voluntatis deliberatæ. 2. 2. *Qu.* 88. *art.* 1.

Q. II. *Utrum peccati reus habendus ſit, qui a Propoſito voluntatis deſiſtens illud non implet.*

R. Negat. Etenim Propoſitum cum non ſit promiſſio, nullam adducit obligationem. Ergo neque ejuſdem violatio reatum affert peccati, nec etiam venialis. Etenim ubi nulla obligatio, nullum etiam peccatum, nec etiam veniale locum habet; cum peccatum ex violatione obligationis tantummodo oriatur. Hæc eſt in propoſita quæſtione verior ſententia, quam

ipſe D. Thomas non obſcure tradit, *loc. cit.*

Decretalis IV.

Celebratiſſima iſthæc Decretalis, quæ incipit *Scripturæ* eſt ejuſdem Alexandri III. reſponſum ad univerſos Abbates Circeſtienſis Ordinis per Angliam conſtitutis; ita enim reſtituenda eſt integra epigraphe hujuſce Decretalis, quam epigraphen B. Raymundus in ſua Collectione Canonum non ſine cauſſa omiſit; ut poſtea dicemus.

Q. I. *Quænam facti ſpecies occaſionem dedit edendi hanc Decretalem?*

R. Illa fuit hujuſmodi: Cum plures tunc temporis votum edidiſſent aut peregrinandi Hieroſolymam, aut ad Limina Sanctorum fidelium religione inſignia, deinde nondum perſoluto hujuſmodi voto, quod nuncuparant, Religionem, ſeu Ordinem Circeſtienſium fuerant ingreſſi, ac etiam profeſſi, quod aperte colligitur ex hac Decretali. Quare inde dubitari coeptum eſt; num hujuſmodi habendi eſſent, veluti violatores voti antea nuncupati; atque etiam an liceret Prælatis Ordinis memorati, hujuſmodi homines hujuſce voti vinculo gravatos, necdum perſoluto, habitum adſumentes in ſuos recipere Religioſos.

Utrique dubitationi ſapientiſſime occurrit Pontifex. Primo decernendo; hujuſmodi homines, qui nondum perſoluto voto, quod ediderant, Religioni ſeſe addixerant,

rant, atque devoverant, non eſſe reprehendos, atque incuſandos; ſiquidem neque propoſitum mutare dicendi ſunt, qui pro ſalute ſua aliquid melius meditantur; neque rei, aut violatores fracti voti, habendos eſſe illos, qui temporale obſequium in perpetuam Religionis obſervantiam noſcuntur commutaſſe.

Quare inde recte conſequabatur; uti declarat idem Pontifex, libere poſſe Abbates, atque Ordinum Prælatos recipere iſtiuſmodi homines, qui nondum perſolutis votis, Religioſorum Inſtituta vellent amplecti.

Q. I. *Quiſnam fuerit Ordo iſte Ciſtercienſium, unde incoeperit, & quando potiſſimum propagatus fuerit?*

R. Ciſtercienſis Ordinis fundamenta jacta ſunt in Gallia an. 1098. a B. *Roberto* Abbate Moliſmenſi Ordinis S. Benedicti, in Dioeceſi Cabilonenſi conſtructo primo Monaſterio, quod totius Ordinis Caput, dictum fuit *Ciſtercienſe* a Ciſternis; uti quidam opinentur. A Paſchali II. Pontifice hujus novi Ordinis confirmatio petita, atque impetrata fuit. Sub B. Stephano tertio dicti Ordinis Abbate multæ erectæ Abbatiæ, inter quas eminebant. *Firmitas*, *Pontiniacum*, *Clara Vallis*, *Moribundus*; quæ fuere quaſi totidam Ciſtercii filiæ primogenitæ, ex quibus inde, veluti rivuli ex fontibus, ceterae omnes exortæ. Regulæ S Benedicti, ac propriis ſtatutis devincti erant Ciſtercienſes. Hic

Ordo fama evaſit celebratiſſimus, ac permultum adauctus, ac propagatus fuit ab anno 1113. poſtquam D. Bernardus una cum ſuis fratribus patruo, aliiſque inſignibus Viris comitibus, omnes numero triginta, uno die ingreſſi Ciſtercienſis Ordinis Inſtituta amplexati fuere in Abbatia ClaraVallenſi.

Q. II. *Num Votum Religionis reſolvat omnia vota præcedentia?*

R. Cum duplex poſſet hic intelligi Religionis Votum: *Promiſſivum* nempe quod eſt ſimplex Religionis votum; id eſt ingrediendi vel adſumendi Statum Religionis. Alterum autem *Conſtitutivum* Religionis, quod emittitur in Profeſſione Religionis, quodque ordinarie eſt Solemne. Haud dubium itaque quod laud. Decretalis ſit intelligenda de Voto *Conſtitutivo* Religionis, & Solemni, quod apertiſſime conſtat ex verbis *laud.* Decretalis; ubi dicitur: *Nec rei fracti voti habeantur aliquatenus, qui temporale obſequium in perpetuam noſcuntur Religionis obſervantiam commutare*. Vide Suarez *tom.* 2. *De Relig. Cap.* 21. *Lib. VI. n.* 18.

Quare ergo Solemne Religionis Votum omnia vota præcedentia reſolvat?

R. Hujus quidem rei ratio multiplex in promtu eſt. 1. Quia Religio eſt quoddam univerſale bonum, qua homo ſeſe totum Divino cultui ac ſervitio mancipat, atque addicit; quare in eo omnia particularia bona, atque vota etiam de peculiaribus qui-

quibuſdam obſequiis edendis virtute includuntur. 2. Quia Votum Solemne Religionis longe eſt perfectius, ac Deo magis acceptum, quam cetera omnia vota; Status enim Religionis perfectior eſt ceteris aliis (D. Thom. 2. 2. Qu. 184. art. 8.) ſicuti holocauſtum ceteris ſacrificiis. 3. Quia homo per Profeſſionem Religioſam moritur vitæ priori, ac veteri. Neque intereſt, utrum illa vota in ſæcula edita componi poſſint, aut ſint compatibilia cum Religioſæ Profeſſionis obſervantia, necne; Sive enim cum Religione impleri ſimul poſſint, ſive non poſſint, de omnibus æque intelligenda eſt allata Decretalis. D. Thom. 2. 2. *Qu.* 88. *art.* 12. *ad* 1.

Q. III. *Utrum vota etiam reſervata ceſſent per Profeſſionem Religionis.*

R. Quæſtio propoſita intelligi non poteſt de voto Caſtitatis perpetuæ; etenim hoc per Profeſſionem Religioſam magis ſolidatur, ac confirmatur. Neque etiam intelligi, poteſt de voto *promiſſivo* Religionis, quod impletur, ac perficitur Religionem profitendo. Quare eſt intelligenda de votis peregrinationum, quæ reſervatione ſunt affecta.

De hiſce autem dubium ſupereſſe non poteſt, quod includantur in ſanctione laudat. Decretalis, atque reſolvantur per Profeſſionem Religioſam; imo de illis præcipue eſt intelligenda, cum de illis ſpeciatim loquatur memorata Decretalis.

Im

Inquit enim: *Si quis Sepulcrum Domini, vel alia Limina Sanctorum viſitare propoſuerit*. Quæ verba idcirco a B. *Raymundo* prætermiſſa fuere in ſua Collectione, ut omnis ambiguitatis occaſio tolleretur, atque ut omnibus pateret, per laudat. Decretalem ſanciri legem communem, atque generalem de omnibus votis ante Profeſſionem editis.

Quod autem nonnulli Votum Hieroſolymitanum reſtringendum putavere ad ſolum Votum devotionis cauſſa editum, non autem ſubſidii afferendi, id temere, atque præter rationem opinati fuere. Quapropter merito hac in re notati fuere atque rejecti a Cl. Suareſio. *Tom. 3. De Relig. Lib. VI. Cap.* 14. Vide quæ per nos dicta fuere in elucidatione Primæ Decretalis.

Q. IV. *Num vota etiam realia per ſolemnem Profeſſionem ceſſent?*

R. Affirmative. Non ſolum videlicet vota perſonalia, verum etiam realia ceſſare aperte colligitur. Siquidem per vota realia, ſiſtendo in puris votis, nullum jus alteri adquiritur, ſed ſoli Deo, cui emittuntur. Per Solemnem autem Profeſſionem cumulatius Deo ſatisfit ei tradendo omnia ſua, incapacitatem amplius adquirendi, una ſimul cum perſona. Suarez. *loc. cit.* Sanchez. in *Decalog. Lib. V. Cap. 5. n.* 43. Gonzalez *Commentar. in laud. Decret.*

Secus vero dicendum ſi in illis interve-

venerit promiſſio alteri facta; quemadmodum & in juramentis alteri factis, atque ab eo acceptatis. Quia tum jus tertio adquiſitum fuit.

Q. V. *Num ille qui voverit Religionem ſtrictiorem, ac poſtea in mitiori Profeſſionem emiſerit, per hanc Profeſſionem liberetur a priori voto.*

R. Affirmative. Idque expreſſe decernitur in *Cap.* Qui poſt 5. *De Regularib.* &c. *in 6.* Quia priori voto non obſtante in hac Religione mitiori permanere licite poteſt; cum voto illi ſimplici de rigidiori Religione amplectenda per ſecundum Solemne jam ſit derogatum. Idem quoque docet D. Thom. Licet ob violatum prius votum pænitentiæ ſujiciendus decernatur.

Decretal. V.

Hic jam incipiunt Decretales Innocentii III. diſertiſſimi, atque ſapientiſſimi Pontificis, qui ab anno 1198. uſque ad annum 1216. Catholicæ præfuit Eccleſiæ, de quo in Primo §. hujuſce *Append.* a num. XL. uſque ad LII. multa per nos hac de re dicta fuere, quantum pertinebat ad noſtrum inſtitutum.

Decretalis autem iſthæc inſcribitur ad Archiepiſcopum Strigonienſem, atque incipit: *Non eſt dicendus voti* &c. Sedes iſthæc Archiepiſcopalis ſita eſt in Regno Hungariæ, plura habet ſibi adnexa privilegia; cujuſmodi ſunt, ut Archiepiſcopus iſte ſit Primas totius Regni, a quo Reges ipſi Hungariæ coronam Regni ac-

cip

cipiunt, atque ſit Legatus natus Apoſtolicæ Sedis.

Q. I. *Qua occaſione edita fuerit hujuſmodi Decretalis, quidque in ea ſancitum occurrat.*

R. Cum Strigonienſis Archiepiſcopus incenſus ardore Fidei dilatandæ, Crucis inſignia ſuis humeris impoſuiſſet, Hieroſolymam adverſus Infideles profecturus; jam omnia quaſi paraverat, quo ſe tanto itineri in obſequium Fidei committeret. Etenim, dum ſummopere fervebant ſtudia Chriſtifidelium, qui certatim contendebant Crucis inſignibus condecorari bellum illaturi inimicis Crucis Chriſti; complures etiam Epiſcopos, non ſolum ſuis opibus in id collatis, verum etiam ſuo exemplo ceteris Chriſtifidelibus præiviſſe ad hoc Sacrum Bellum ſuſcipiendum, atque obeundum, ſæpe animadvertimus §. antecedenti, & magis etiam conſtabit ex dicendis; adeo ut nulla fuerit fere Cruce-ſignatorum Expeditio, cui Epiſcopi quoque comites ſeſe non adjunxerint. Horum autem præcipuum munus, ſicut & ceterorum Clericorum erat Sacramenta miniſtrare, Verbum Domini Cruce-ſignatis annunciare, aliiſque hujuſcemodi ſpiritualibus Cruce-ſignatorum neceſſitatibus providere. At quoniam in hujuſmodi Bello, quod dicebatur *Dei Obſequium*, ut & in ceteris adverſus Infideles Clericis arma deferre, atque tractare permiſſum cenſebatur; inde plures illorum armis etiam pugnaſ-

gnaſſe admodum veroſimile eſt, ne dicam certum. Uti proditum memoriæ de Epiſcopis Hungariæ contra Tartaros. Vide Cl. Fleuri (*Diſcorſo VI. ſopra la Storia*).

Interim *Bela* Hungariæ III. Rege vita functo, jam ab anno 1190. Regia inſignia, atque jura omnia collata fuerant in *Emericum*, ſive *Henricum* filium natu majorem. *Andreas* autem ejus frater minor natu, cupiditate regnandi incenſus, cum id æquo animo ferre non poſſet, milites undique conſcribebat, atque conjuratorum manum collegerat, ut fratrem Regem e ſolio deturbaret; eoque res proceſſerat, ut etiam ad arma utrinque ventum eſſet. *Enuricus* autem ut ſeditionem ſedaret, atque conjuratorum impetus retundere poſſet, opus habuit confugere ad Archiepiſcopum Strigoniæ, ut iſtius conſiliis excitatum ſeditionis incendium extingui poſſet. Archiepiſcopus Strigoniæ, qui voti vinculo tenebatur proficiſcendi ad Sacrum Bellum pro Hieroſolymorum liberatione, cum jam propter hanc cauſſam proficiſci non poſſet, dubitare incoepit, num voti tranſgreſſor inde dicendus eſſet. Quo maturius in re tanti momenti procederet; agetur enim de animæ periculo, per litteras conſuluit Innocentium III. anno 1198. Inde itaque hoc ſapientiſſimum prodiit reſponſum in hac Decretali contentum: Quod ſcilicet *Non eſt dicendus voti tranſgreſſor, qui quod vovit, de auctoritate Sedis*

dis Apoſtolicæ, juſta tamen ex cauſſa diſtulerit adimplere. Deinde eidem Archiepiſcopo præcipit Pontifex, ne plane audeat diſcedere e finibus Hungariæ Regni voti emiſſi complendi cauſſa, niſi omnia prius in Regno priſtinæ paci, ac tranquillitate fuerint reſtituta, vel Apoſtolicum hac de re mundatum receperit.

Ex hac porro Decretali varii deducuntur canones praxi ſummopere accomodati, ac conducibiles. 1. Circa onus complendi votum emiſſum. 2. Circa tempus, quo illud executioni eſt demandatum. 3. Circa legitimam cauſſam illius executionem differendi.

Q. II. *Num Votum de ſe validum obligationem inducat illud implendi, & ex qua virtute?*

R. Affirmative. Idque conſtat ex apertiſſimis Scripturarum oraculis; uti *Eccleſiaſt.* 5. *Deuteron.* 23. Et alibi. 1. Quia vovere eſt voluntatis, neceſſitatis vero implere votum; adeo ut ſine ſalutis diſpendio alicui reſilire non liceat ab his, quæ ſponte, ac ſolemniter vovit, uti docet Idem Innocentius III. *Cap.* Licet 6. *De Voto* &c. 2. Quia votum eſſenzialiter eſt promiſſio; per promiſſionem vero homo alteri obligatur. Ergo & Deo. Quare recte D. Thom violationem voti pertinere ad crimen infidelitatis docet. 2. 2. *Qu.* 88. *art.* 3.

Votum autem obligationem inducit ex virtute Religionis. Quia ordinare cujuſcum-

eumque virtutis actum in Dei ſervitium, atque obſequium, proprie eſt actus latriæ, ſive Religionis; Per votum autem opus virtutis promiſſum ordinatur in Divinum cultum, uti patet. Vovere ergo eſt actus Religionis; proindeque ex eadem virtute Religionis inducit obligationem. D. Thom. 2. 2. *Qu.* 88. *art.* 5.

Sunt autem quædam vota, quæ pertinent ad Religionem duplici ex cauſſa h. e. non ſolum ratione promiſſionis, quod jam dictum eſt; ſed etiam ratione materiæ; ut cum Deo vovetur actus Religionis; ſcilicet Sacrificium. *D. Thom. loc. loc. ad* 1.

Q. III. *Quinam ſint canones ſervandi circa tempus executionis rei per votum promiſſæ.*

R. Ex receptiſſima Angelici Præceptoris doctrina, quam tradit loquens de voto ingrediendi Religionem, & quam amplectitur univerſus Theologorum coetus, atque Canonici Juris Conſulti, hujuſmodi ſunt canones ſervandi: Ut ſi quis ſe intenderit obligare ad rem promiſſam per votum, vel ad certum tempus, vel ſub conditione, non tenetur ad illud implendum, niſi tempore adveniente, atque exſiſtente conditione. Si autem abſolute intenderit ſeſe obligare ad rem promiſſam per votum, tenetur quam citius poterit implere rem promiſſam legitimo impedimento ceſſante. Etenim Deus non ſolum præcipit executionem rei promiſſæ per vo-

votum, ſed etiam celerem, atque citam executionem poſtulat, ſaltem cum vovens poteſt commode exequi. Id enim ſatis aperte indicant adducta Scripturarum Oracula ex *Deuteron.* atque ex *Eccleſiaſt.* Lege *D. Thom.* 2. 2. *Qu.* 88. *art.* 3. *ad* 3. Et Qu. 189. *art.* 3. Et Cl. Sanchez *In Decalog. Lib. IV. Cap.* 14.

Q. IV. *Quænam ſint juſtæ cauſſæ differendi* Voti emiſſi executionem?

R. Eaſdem fere eſſe, ac illas, quæ requiruntur ad juſtam, ac legitimam diſpenſationis conceſſionem; hoc tamen inter utrumque interpoſito diſcrimine, quod cum cauſſæ hujuſmodi perpetuæ ſint, ac ditius duraturæ, quæ obſtent voti executioni, juſtum, rationabile, ac legitimum diſpenſandi in votis motivum præbent, atque ſuppeditant; ſi vero pro aliqua tantum temporis particula voti executionem impediant, cum illud implendi jam urgeat neceſſitas, tunc illius tantummodo exequendi dilationem præſtabunt, ſive facultatem tantummodo differendi voti executionem.

Triplicem autem ex parte materiæ adſignat D. Thomas (2. 2. *Qu.* 88. *art.* 10.) legitimam cauſſam ſive ad diſpenſandum, ſive ad commutandum votum; cum ſcilicet illud, quod materiam voti conſtituat, evaſerit aliquo in caſu aut *malum*, aut *inutile*, aut *majoris boni impeditivum*; quod eſt contra rationem voti. Quando itaque ali-

qua

qua ex prædictis cauſſis pro aliquo tantum tempore urgeat, brevi tamen, uti ſperatur deſitura, tunc ejuſdem voti differendi executionem facultatem præſtabit, aut potius ad Prælatum accedendi, ut de ejuſdem auctoritate voti emiſſi executio differri poſſit.

Ut autem ad propoſitam noſtram Decretalem redeamus. Juſta ac legitima cauſſa erat Strigonienſi Archiepiſcopo prorogandi executionem Voti, quod emiſerat, proficiſcendi Hieroſolymam, quouſque ſeditionis, ac conjurationis incendium extingueretur. Etenim illius diſceſſus, cujus conſiliis, atque auctoritate rerum in Hungariæ Regno turbatio compeſci poterat, ac ſedari, maximum erat allaturus impedimentum pacis, ac tranquillitatis Regno reſtituendæ. Quare rectiſſime Pontifex in adducta Decretali hujuſmodi cauſſam juſtam vocat, atque legitimam ad differendam voti executionem, legitima tamen auctoritate intercedente.

Q. V. *Num etiam Epiſcopis jus competat, & poteſtas, juſta cauſſa tamen intercedente, concedendi dilationem executionis in votis etiam reſervatis?*

R. Id quidem nemini dubium eſſe poterit, Epiſcopis nempe licere circa executionem illorum votorum, quæ reſervata non ſunt. Certum enim; atque exploratum eſſe debet poſſe Epiſcopos in hujuſmodi votis juſta tamen cauſſa occurrente, poſſe in-

quam

quam prorogare tempus ad illorum executionem definitum, ſive concedere dilationem circa tempus executionis. Etenim cum liberum, atque integrum ſit Epiſcopis in hujuſmodi votis diſpenſare, multo magis liberum erit, atque licebit eiſdem in hiſce votis dilationem concedere circa tempus executionis. Cui enim quod majus eſt licet, ei quoque, quod minus eſt licere debet. (Leg. Non debet 21. & *Leg.* In eo 100. *ff. De Diverſ. Reg. Jur.*)

Nonnihil tamen res iſthæc dubitationis videtur habere circa vota reſervata. At mihi probabilius eſt etiam in hiſce votis reſervatis licere Epiſcopis juſta cauſſa id exigente, prorogationem temporis concedere ad voti emiſſi executionem. 1. Quia hoc non eſt diſpenſare in ſubſtantia voti reſervati, ſed tantum in ejus qualitate. 2. Poteſt Epiſcopus cum eo, qui vovit ingredi Religionem ſtrictiorem, diſpenſare, ut ingrediatur mitiorem, uti communi conſenſu docent Theologi; Ergo multo magis poterit diſpenſare in hac dilatione circa tempus executionis. 3. Hujuſmodi dilationis conceſſio non eſt proprie commutatio, aut diſpenſatio, cum ſubſtantia voti illaeſa maneat, atque etiam in individuo debita. Ergo non continetur in jure reſervationis prohibente ſolam commutationem, aut diſpenſationem. Adde hanc legem reſervationis in hiſce votis eſſe odioſam, ac proinde non extendendam ultra verborum proprietatem,

tem, ſed potius reſtringendam. Atque in hanc ſententiam novi etiam pedibus iviſſe Cl. Sanchez *In Decalog. Lib. IV. cap.* 40. *n.* 76. dum loquitur de voto Religionis qui tamen adjecit hanc limitationem; dummodo ſcilicet non ſit periculum incidendi in eum ſtatum, unde vovens reddatur impotens ad votum implendum. Et Cl. Layman *In De Voto Cap.* 8. *n.* 8. VII. Votum &c.

Non mihi latet doctiſſimum Suareſium in contrariam hac in re abiiſſe ſententiam; ſed quæ producit pro contraria opinione adſtruenda levia ſunt, nec tanti ponderis, ut a propoſita ſententia abducere nos potuerint.

Nec obſtat huic noſtræ adſertioni auctoritas hujuſce Decretalis, in qua dilucidanda verſamur. Siquidem cum Archiepiſcopus Strigonienſis ipſe ſponte acceſſiſſet ad Pontificem conſilium, aut auxilium diſpenſationis petiturus pro dilatione ipſius voti; ipſe Pontifex, tum ut debito officii munere fungeretur, tum ut conſuleret tranquillitati, ac ſecuritati conſcientiæ ipſius Archiepiſcopi, diſpenſare debuit in dilatione prædicti voti.

Quare potuiſſet memoratus Archiepiſcopus ipſe ſecum hac in re diſpenſare; diſpenſatio enim cum ſit actus juriſdictionis voluntariæ, neque perſonarum diſtinctionem, neque ſtrepitum judicialem exquirat; poterit ille, qui facultatem obtinet ad diſpenſandum ſaltem ordinariam, ſe-

ſecum ipſe *indirecte* ſaltem diſpenſare; h. e. interpretando, ſe in aliquo caſu non manere adſtrictum ad legem voti; tanto magis, quia reſervatio Voti emiſſi in ſubſidium Terræ Hieroſolymorum nondum Eccleſiaſtica lege fuerat conſtituta; uti mox fuſius oſtendemus.

Decretalis VI.

Sexta iſthæc Decretalis, quæ occurrit in tit. *De Voto, & Vot. Redemptione*; quæque initium habet: *Licet univerſis*, inſcriptum habet nomen *Andreæ* Ducis, qui filius erat ſecundo genitus Regis Hungariæ. Hæc Epiſtola Decretalis ſcripta fuit ab eodem Innocentio III. ſui Pontificatus initio anno 1198. imo eodem ipſo menſe Januarii ejuſdem anni, quo Pontifex fuerat inauguratus. Inſignis eſt iſthæc Decretalis, ac multa nobis diſputanda ſuppeditat.

Q. I. *Qua occaſione edita fuerit, quidque in ea contineatur.*

R. Anno 1187. cum ſacra Hieroſolymorum Civitas, ejectis inde Chrifidelibus, iterum capta eſſet à Saracenis, eorumque prophanis ſuperſtitionibus foedata, Romani Pontifices acrius inſtabant, ut Chriſtianos Principes excitarent ad illius liberationem. Promovente itaque Sacras Expeditiones Clemente III. Pontifice (quem non recte Cl. Gonzalez *Comment.* in hanc Decretalem memoria forte lapſus vocat Innocentium III. qui anno duntaxat 1198. adſummi Pontificatus apicem

cem evectus eſt poſt Coeleſtinum III. qui ſucceſſerat Clementi III. anno 1191.) Promovente itaque Sacras Expeditiones Clemente III. Pontifice, Bela III. Hungariæ Rex jam inde ab anno 1190. Crucis vexillo aſſumto Votum ediderat, quo ſe ad Hieroſolymorum liberationem valido cum exercitu profecturum pollicebatur. At poſtea in morbum cum incidiſſet, atque ad extremam vitæ ſuæ metam jamjam ſe devectum ſentiret, filium ſuum natu minorem Andream nomine ad ſe arceſſitum, ſuaeque fidei commiſſa executione memorati Voti, ipſum ſub interminatione maledictionis paternæ juſſit, protinus cum copiis Hieroſolymam petere, ſubſidium afflictis Chriſtianorum rebus allaturum. Patre itaque Rege e vivis ſublato, Andreas illius quidem Voti complendi obtentu, milites conſcribebat non Saracenis Bellum illaturus, ſed fratrem Regem, ejuſque Regnum invaſurus; uti jam dictum eſt in elucidatione ſuperioris Decretalis, quæque etiam conſtant ex lectione hujus Decretalis, quam ad manus habemus.

De hiſce itaque certior factus Innocentius III. pro ſuo Pontificiali munere ad ipſum Andream hanc Decretalem Epiſtolam tranſmittit; in qua poſtquam propoſuerat ob oculos ipſi Andreæ neceſſitatem ex Jure Naturali, ac Divino perficiendi Votum ſuſceptum illis verbis: *Licet univerſis liberum ſit arbitrium in vo-*

vendo, & neceſſitas in votis locum non habeat, ſed voluntas; uſque adeo tamen ſolutio eſt neceſſaria poſt votum, ut ſine proprio ſalutis diſpendio alicui reſilire non liceat ab iis, quæ ſponte, & ſolemniter repromiſit. Deinde ipſi denuntiat diem; h. e. Feſtum Exaltationis S. Crucis, quod ei præſcribit pro termino hujuſmodi Voti complendi; adeo ut ſi uſque ad prædictum diem Hieroſolymitanum iter non arripuerit; ex tunc ſciat anathematis vinculo ſubjacere, & jure, quod ipſi, ſi Rex ſine prole decederet, in Regno Hungariæ competeret ordine geniture; ex tunc etiam privandum.

At vero Andreas poſt defunctum fratrem Henricum, ejuſque filium Ladislaum in Regem creatus, ſive acclamatus fuit, Regnoque potitus trium annorum inducias a Romano Pontifice petiit, atque impetravit, ſive prorogationem triennii ad Votum illud complendum. Ac tandem anno dumtaxat 1217. h. e. poſt elapſos ſolidos viginti annos ad complendum paternum Votum in Palæſtinam cum Exercitu tranſmeavit. Qua de re conſulantur, quæ dicta fuere in hac *Append.* §. *I. n. LIII. & ſeqq.*

Hic autem anxie quærunt Juris Canonici Interpretes, qua ratione Romanus Pontifex Innocentius potuerit Andream hujuſmodi Voti executionem contra jus & fas prorogantem, privare ſucceſſione in bona paterna; imo, quod & gravius eſt;

eſt, jure ſucceſſionis in Regnum, quod ratione ſanguinis ei competeret. Has autem quæſtiones, utpote a noſtro inſtituto longe aberrantes, aliis diſputandas reliquimus, ad alias utiliores, ac praxi accomodatiores properantes. Interim adeatur, ſi lubet, Cl. Gonzalez *Comment.* in hanc Decretal.

Q. I. *Num Voti obligatio perſonalis ſit?*

R. Affirmative. Quia, cum voti obligatio, ut omnibus compertum eſſe debet, ex propriæ voluntatis conſenſu, & non aliunde oriatur, ipſum voventem, non vero alium obſtringere debet. Quare ipſe vovens ſuæ obligationi non ſatisfacit, ſi alium ſubſtituat, qui ſuo nomine votum perficiat; uti E. G. ſua vice peregrinetur Hieroſolymas. Neque ſi inciderit in impotentiam voti complendi, tenetur vovens alium rogare, ut pro ſe ſatisfaciat; niſi forte vovendo ad hoc etiam obligare ſeſe intenderit. Ratio eſt quia vovens factum proprium, non alienum cenſetur promiſiſſe. Vide Layman In *De Voto Cap. 3. n. 6. & ſeqq.*

Q. II. *Num filii, atque heredes teneantur complere vota defuncti?*

R. Si ſermo ſit de votis realibus, nulla poteſt ineſſe dubitatio, quin heredes, quicumque ii ſunt, ſive filii, ſive extranei, hujuſmodi vota realia ſuorum defunctorum, in quorum bona ſuccedunt, debitæ executioni demandare adſtringantur. Hujus ſane adſertionis certiſſima, atque ex-

ploratiſſima occurrunt argumenta in utroque Jure. *Cap.* Ex parte 18. *De Cenſib.* Et *Leg.* Si quis 2. *ff. De Pollicitat.* Votorum enim hujuſmodi obligationem ad heredem tranſire conſtat; ſicut & ceteras reales obligationes. Imo ſi heredes illa complere detrectent, poterunt ad id cogi pœna privationis hereditatis, uti docet Sanchez auctoritate *laud. Cap.* Licet (In Decalog. Lib. IV. Cap. 15. n. 26.) Quod tamen, uti arbitror, erit intelligendum juxta ſententiam *laud. Cap.* Licet.

Secus tamen dicendum erit de votis mere perſonalibus. Heres enim ſuccedit defuncto, ejuſque perſonam repræſentat; tantum in realibus commodis, ſive juribus, atque oneribus *Leg.* Heredem 59. *Leg.* Hereditas 62. *ff. De Diverſ. Reg. Juris.*

Q. III. *Num ex virtute Religionis oriatur atque ſit repetenda obligatio iſthæc in herede?*

R. Negat. Sed tantum ex virtute juſtitiæ ratione acceptæ hereditatis una cum omnibus ejus juribus & oneribus. Quare *laud. leg. 2. ff. De Pollicit.* Heredes *hereditario nomine* dicuntur obſtricti ad vota complenda, quæ realia ſint; uti jam ediximus. Quia obligatio Religionis in Voto ſolum adſtringit voventem, uti jam dictum eſt, cum ſit perſonalis, nec tranſit iſthæc obligatio ex virtute Religionis deſcendens ad heredes, exce-

cepto tamen ſi forte heredes vota teſtatorum ratificaverint.

Q. IV. *Num votorum perſolutio ſit præferenda legatis etiam piis?*

R. Affirmative. Etenim prior, ac potior eſt votorum obligatio, quippe quæ defunctum adſtringebant, quam legatorum etiam piorum obligatio, ac perſolutio, quæ hæredem tantummodo adſtringunt. Attamen vota ſunt poſtponenda debitis ex juſtitia; quia ſunt perſolvenda ex bonis defuncti, ſicut & ipſa legata; bona autem uniuſcujuſque illa cenſentur eſſe, quæ ſuperſunt deducto aere alieno *Leg.* Inter eos 19. *ff. de Re Judicat. Et leg.* Mulier. 73. *ff. De Jure Dot.* Vide Sanchez *In Decalog. Lib. IV. Cap.* 15. *n.* 39. Et Layman. *In De Voto* &c. *Cap.* 3. *n.* 13.

Q. V. *Ad quodnam votorum genus revocandum eſt Votum peregrinationis Hieroſolymitanæ?*

R. Cum triplex votorum genus, ut omnibus probe compertum eſt, diſtinguatur communiſſime apud Theologos; nimirum *Perſonalia*, *Realia*, ac *Mixta* expendendum nunc nobis occurrit, ad quodnam iſtorum genus pertineat Votum Hieroſolymitanæ peregrinationis.

Dico itaque: Votum hujuſmodi, ut tunc temporis fieri ſolebat, in ſubſidium Terræ S. pertinere ad illud votorum genus, quæ *Mixta* dicuntur. Etenim per hujuſmo-

modi Vota, quæ fiebant, exhibenda non ſolum erat actio humana; labor ſcilicet bellicoſæ peregrinationis; ſed etiam pars non levis patrimonii erat inſumenda in expenſas neceſſarias, quæ erant faciendæ eundo, redeundo, ibi conſiſtendo, aut etiam bellatores ſecum ducendo. Hinc in redemtione hujuſce Voti ad utramque partem, tum perſonalem, tum realem in hoc Voto Pontifex juſſit attendi. *Cap.* Quod ſuper his 8. *De Voto* &c. Votum autem peregrinationis Hieroſolymitanæ, ſi nunc fiat ex ſolo devotionis impulſu, erit tantummodo *Perſonale*.

Q. VI. *Num ex hujuſmodi Voto, quo defuncti ſeſe obſtrinxerant proficiſcendi in ſubſidium Terræ S. tenebantur illorum heredes?*

R. Affirmative. Quod quidem ſpecialiter eo tempore conſtitutum fuerat propter peculiarem favorem ejuſmodi Voti, ac recuperationis Terræ Hieroſolymorum; ſcilicet: ut qui edito hujuſmodi Voto Crucem ſuſcepiſſent, cenſerentur quocumque modo poſſent, ſive per ſe, ſive per alios auxilium polliceri. Etenim, qui Votum ediderant in ſubſidium Terræ S. in propria perſona, ſuiſque impendiis militandi, ſi impedimento perpetuo detenti illuc proficiſci amplius non poſſent, cogendi erant; ut quas facturi eſſent expenſas, illuc tranſmitterent, *exequentes per alios, quod per ſe non poterant expedire. Laud. Cap.* Quod ſuper his *De Voto*. Ergo ipſis

ipſis defunctis tenebantur heredes hujuſmodi onus ſubire. Ita Navarrus In *Manual. Cap.* 12. *n.* 55. Layman. *De Vot. laud. Cap.* 3. *num.* 14.

Secus vero dicendum de aliis votis etiam peregrinationum. Vide *Suarez. De Religion. tom.* 2. *Lib. IV. Cap.* 11.

Quonam ergo ex capite Andreas memoratus filius Regis Hungariæ tenebatur Votum illud paternum complere?

R. Pluribus nominibus memoratus Andreas obſtrictus erat Votum illud paternum perficere. 1. Ex natura ipſius Voti, prout tunc temporis fieri intelligebatur, uti jam dictum eſt. 2. Quia id peculiari modo ei fuerat a Patre injunctum, ab eoque acceptum; quapropter ſi paterna juſſa hac in re explere negligeret, commerebatur mulctari poena per leges ſtatuta; h. e. privatione paternæ Hereditatis. *Auth.* Hoc amplius *Cod. De fideicommiſ. Cap.* Si Heredes. 6. *De Teſtament.* Hinc recte ſapientiſſimus Pontifex in laud. Decretal. hanc ei poenam denuntiat illis verbis: *Ne, ſi onus tibi a patre injunctum, atque a te ſponte ſuſceptum occaſione qualibet detrectaveris, paterna te reddas ſucceſſione indignum, & hereditatis emolumento priveris, cujus recuſaveris onera ſupportare*. 3. Tenebatur etiam Votum paternum complere obligatione ex virtute Religionis, vel quia paterni Voti formalem in ſemetipſo obligationem ſuſceperat; vel quia paternum Votum confir-

maverat aut renovaverat, quod poſterius allatæ verba Decretalis veroſimilius efficiunt. Vide Suareſium *laud. Lib. IV. Cap. 9.*

Decretal. VII.

Septima iſthæc Decretalis, quæ refertur in *Cap.* Magnæ 7. *De Vot.* &c. inſignis eſt, quippe quæ plurimis S. Scripturarum Oraculis, & graviſſimis ſententiarum ponderibus referta eſt; ejuſdem Innocentii III. reſponſum eſt, tranſmiſſum ad Epiſcopum Trecenſem, a quo Pontifex fuerat conſultus de ea facti ſpecie, quæ ibidem enarratur.

Q. I. *Quænam eſt ergo facti ſpecies, quæ cauſſam præbuit huic Decretali Epiſtolæ edendæ?*

R. Illam fuiſſe hujuſmodi: Epiſcopus Trecenſis (vulgo *Troyes en Champagne*), qui eſt ſuffraganeus Archiepiſcopi Senonenſis in Galliis, indebitis, ac multis contra Eccleſiaſticam libertatem gravabatur anguſtiis, ac preſſuris. Cum autem recte noſſet per ſolum Comitem Campaniæ poſſe ſuæ Eccleſiæ malis occurri, ad ipſum accedere conſtituit. Verſabatur tunc temporis in Orientalibus plagis ipſe Campaniæ Comes; ut ipſum convenire poſſet memoratus Epiſcopus auxilium petiturus adverſus violatores libertatis Eccleſiaſticæ, conſilium iniit Crucis aſſumto vexillo Hieroſolymam peregrinandi. Protinus itaque itineri ſe commiſerat Votum comple-

tu-

turus, Cum autem perveniſſet Epiſcopus Placentiam, triſtes recepit nuntios de morte ipſius Comitis. Quamvis autem propter mortem memorati Comitis perſpexiſſet Epiſcopus ſuam præcipuam intentionem omni ſpe defraudatam, noluit tamen ſine conſilio Sedis Apoſtolicæ ad ſuos remeare. Quare Romam venit, ac admiſſus deinde ad Pontificium conſpectum, atque colloquium, ſincere omnia propoſuit, ſuæ nimirum intentionis propoſitum, atque ſtatum Eccleſiæ Trecenſis, Pontificis conſilium exquirens in re tanti momenti. At Pontifex omnibus, quæ ad rem faciebant, ut oportebat, expenſis; quid nempe liceret ſecundum æquitatem, quid deceret ſecundum honeſtatem, quid expediret ſecundum utilitatem; Votum illi hac ratione commutavit: ut omnes expenſæ, quæ per ipſum Epiſcopum erant faciendæ, ſive eundo, ſive commorando, ſive redeundo alicui religioſo viro committerentur in neceſſarios uſus Terræ illius tranſmittendæ; inſuper, ut labor laboribus compenſaretur, juſſit etiam Pontifex illum ſolicitius inſtare vigiliis, devotius vacare orationibus, ac fortius ſemetipſum jejuniis exercere, paſtorali ſolicitudine gregi ſibi commiſſo acrius advigilando.

Q. II. *Quonam tempore hæc contigiſſe dicenda ſint?*

R. Cum veroſimillimum ſaltem ſit, Comitem hunc, de quo loquitur Decre-

talis, in *Ultramarinis partibus conſtitutum*, ibi commoratum, ac defunctum vita fuiſſe cauſſa Voti Hieroſolymitani complendi; hic profecto debuit eſſe unus ex ſucceſſoribus *Tiboldi* V. Comitis Campaniæ in Galliis (vulgo *Sciampagna*) qui promovente Expeditiones ſacras Innocentio III. anno 1199. Crucem ſuſceperat in ſubſidium Terræ Hieroſolymorum. Sed quia anno 1201. e vivis exceſſerat dictus *Tiboldus*, emiſſum Votum ad optatum finem per ſe perducere haud potuit; juſſit tamen moriens, ut quidquid pecuniarum a ſe congeſtum fuerat in hujuſmodi opus impendendum, in illud ipſum abſque diminutione conferretur. Præterea cum Epiſcopus Trecenſis (vulgo *Troyes*) *Garnerius* nomine in eadem Expeditione Innocentii III. anno 1199. Crucem ſibi aſſumſiſſet, atque Hieroſolymam profectus anno 1202. una cum ceteris Cruce-ſignatis Gallis, ac Venetis, poſt captam Conſtantinopolin a Latinis Cruce-ſignatis, in eaque reſtitutum Alexium Juniorem Imperatorem (Vide §. 1. Hujus *Append.* n. XLIV.) anno 1203. Conſtantinopoli verſabatur uti conſtat ex Epiſtola quadam Alexii Junioris ad Innocent. III. apud Raynaldum. Quare ſi non ſit mendoſa Epigraphe (h. e. inſcriptio) hujus Decretalis (nam de ea dubitare quis merito poſſet) quam ex Epiſtolis ipſius Innocentii a ſe reſtitutam jactat Gl. Gonzalez (*In Notis* ad hanc

De-

Decretalem) figenda eſſet epocha ipſius poſt hunc annum 1203.

Demum ex adductis ſatis conſtat, componi non poſſe cum Eccleſiaſticis Hiſtoriæ monumentis, quæ refert ipſe Gonzalez de *Hervæo* ad quem vult tranſmiſſam hanc Epiſtolam Decretal. quod nempe ab anno 1193. ad uſque annum 1223. Epiſcopalem Cathedram illius Eccleſiæ fuerit moderatus. Quod ſatis aperte ex modo dictis de *Garnerio* quivis per ſe colligere poterit. Hæc porro obiter indicaſſe ſatis ſit; cum tanti non ſit res momenti, uti in ea diutius immoremur.

Q. III. *Utrum Votum hujuſmodi editum a memorato Epiſcopo fuerit validum, adeo ut commutatione Pontificia indiguerit?*

R. Non paucos præſertim ex Theologis docuiſſe Votum prædictum invalidum fuiſſe, vel quia inconſulto Romano Pontifice, atque ſine ejus conſenſu fuerat emiſſum; vel quia continebat materiam Jure Divino, ac Naturali prohibitam; h. e. tam diuturnam abſentiam a loco reſidentiæ. Alii vero opinati fuere fuiſſe prædictum Votum validum propter hanc tacitam atque in eo ſubintellectam conditionem; nempe ſi Pontifex conſentiret. Vide Gonzalez *Comment. in laud. Decretalem*.

At his minime obſtantibus, plane dicendum prædictum Votum emiſſum ab Epiſcopo validum fuiſſe, etiam nulla ſubintellecta conditione; adeoque recte fuiſ-

ſe commutatum. Quia tunc temporis ad validitatem hujuſmodi Voti nullus requirebatur Pontificius conſenſus, vel propter contrariam communem conſuetudinem, vel propter tacitam Summi Pontificis diſpenſationem, aut conceſſionem, cum ageretur de communi Religionis bono. Et ſane, qui percurret Hiſtorias illorum temporum, perſpiciet profecto frequentiſſima fuiſſe hujuſmodi Vota edita ab Epiſcopis, eorumque Expeditiones cum ceteris Cruce-ſignatis, quin tamen alicui illorum in mentem ſubierit, ut Pontificius ad complenda hujuſmodi Vota exquiretur conſenſus. Quod etiam rectiſſime adnotavit *laud.* Gonzalez.

Jam vero cum nullus requireretur Pontificius conſenſus ad hujuſmodi Voti validitatem, nulla etiam in hujuſce Voti nuncupatione erat intelligenda, aut præmittenda conditio de Pontificio conſenſu poſtea obtinendo. Hæc ſane vel ex ipſa lectione hujuſce Decretalis ſatis aperte deducuntur. Etenim in ea licet docuiſſet *laud.* Pontifex, Epiſcopos, haud ſecus, quam Clericos ſuis Epiſcopis eſſe Sedi Apoſtolicæ adſtrictos; adeo ut abſque generali, aut ſpeciali licentia, Votum hujuſmodi peregrinationis, quo ſe tamdiu a ſua Epiſcopali Sede abſentarent, emittere non deberent (quæ ſane verba occaſionem dedere contrariæ ſententiæ propugnandæ) nihilominus Pontifex, etiamſi nulla præceſſerit ſpecialis licentia, neque vo-

voluntas illam poſtea petendi, Votum prædictum ubique validum ſupponit, atque illud poſt maturam iſtius, ac ceterarum circumſtantiarum conſiderationem, in alia pietatis opera, uti jam ediximus, commutat.

Q. IV. *Quid dicendum ſit, ſi nunc contingat Votum hujuſmodi peregrinationis Hieroſolymitanæ ab Epiſcopis emitti?*

R. Nunc temporis minime licere hujuſmodi emittere, aut complere Votum inconſulto Romano Pontifice. Quia illa cauſſa; aut generalis illa conſuetudo, quæ olim eximebat ab onere petendi in hujuſmodi Voto licentiam a Romano Pontifice, jam ceſſavit, uti patet. Nihilominus hujuſmodi Votum eſſet validum ratione conditionis affirmativæ; nempe: *Si ſuperior conſenſerit*; quemadmodum, & cetera vota ſubditorum. Imo eſſet quoque licitum propter eamdem rationem. Vide quæ docet D. Thomas De Votis illorum, qui alterius poteſtati ſunt ſubjecti. 2. 2. *Qu.* 88. *art.* 8.

Quare emiſſo hujuſmodi Voto teneretur Epiſcopus vi Voti implere conditionem, petendo licentiam a Pontifice, quod ſi ille denegabit, ad nihil obligabit hujuſmodi Votum, dum Pontifex voluntatem non revocarit.

Idem quoque prorſus dicendum de aliis votis alterius longioris peregrinationis. Lege Sanchez *In Decalog. Lib. IV. Cap.* 25. *n.* 39. *& ſeqq.*

Q. V. *Quid dicendum ſit de votis brevis, ac modicæ peregrinationis, vel precum, vel abſtinentiarum emiſſis ab Epiſcopis?*

R. Hujuſmodi vota nullam ſupponere conditionem affirmativam: *Si Superior* &c. eaque eſſe abſoluta; ac proinde obligare nulla Pontificis expectata licentia. Quia nulla alia ratione eſt neceſſaria illa licentia, niſi ne impediatur munus atque officium, ad quod ex juſtitia tenetur Epiſcopus; ac proinde executio votorum nulla ratione impedientium hujuſmodi munus, nulla indiget licentia, nec pendet a dominativa alicujus poteſtate; ſed in hiſce Epiſcopus eſt ſui juris ad vovendum.

Q. VI. *Quid dicendum ſit de votis aliorum Clericorum habentium beneficia, quæ reſidentiam exquirunt?*

R. Si ſint vota longioris peregrinationis, aut aliarum rerum in ſuæ Eccleſiæ præjudicium vergentium, nequibunt Clerici hujuſmodi votis ſeſe adſtringere abſque Epiſcopi ſui licentia. Ita aperte ex Sanctorum Canonum inſtituto decernit, atque docet laud. Pontifex Innocentius in hac Decretali *Magnæ*, quam ad manus habemus. Excipiebatur olim Votum peregrinationis in ſubſidium Terræ S. quemadmodum Quæſtione ſuperiori diximus de Epiſcopis. Secus vero dicendum ſi vota hujuſmodi Clericorum nullum importent ſuæ Eccleſiæ præjudicium; quia nulla in-

di-

ſigebant hujuſmodi licentia, Sanchez *loc. cit. n.* 44.

Q. VII. *Num mortuo etiam Comite Campaniæ, ac proinde ceſſante cauſſa, propter quam Epiſcopus Trecenſis Votum illud emiſerat, perduraret etiam Voti obligatio.*

R. Negativ. Quidquid in contrarium ediſſerit Cl. Sanchez. (*In Decalog. Lib. IV. Cap.* 2. *n.* 43.), qui propter mortem memorati Comitis prædicti Voti obligationem deſiiſſe arbitratur, ac proinde commutationem, quam in hac noſtra Decretali impertitur Pontifex, non fuiſſe neceſſariam, ſed tantummodo conceſſam ad majorem cautionem, atque ad ſedandam Archiepiſcopi conſcientiam. Et re quidem vera, licet ſapientiſſimus Pontifex accurato examine expendiſſet & Voti naturam, & conditionem voventis, cauſſam quoque hujuſmodi Voti edendi, ejuſdemque cauſſæ ceſſationem propter mortem Comitis; nihilominus Votum prædictum velut omni ex parte validum, prædicto Archiepiſcopo ad illius exſecutionem etiamnum adſtricto commutationis in eodem Voto beneficium elargitur. Imo, quod maxime animadvertendum reor, illius cauſſæ ceſſatio, tantum abeſt, ut Voti memorati obligationem extinxerit, quin potius commutationi in eodem Voto concedendæ apud Pontificem inſervierit; quod patet ex illis verbis laud. Decretalis. *Ad hanc autem indulgentiam tibi faciendam*

(h.

(h. e. commutationem tibi concedendam) *ſpecialiter nos induxit, quod cum pro libertate Trecenſis Eccleſiæ per dictum Comitem adſequenda, præcipue Votum peregrinationis emiſeris, eo ſublato de medio, quia ceſſavere cauſſæ, facilius potuit ceſſare & effectus.*

Q. VIII. *Num ceſſante cauſſa finali Voti, ceſſet etiam & Voti inde obligatio?*

R. Affirmat. *Cauſſam finalem* illam dicimus ex unanimi Theologorum conſenſu, quæ voluntatem ita determinat ad vovendum; adeo ut ea ſublata minime votum ederetur; ſi autem etiam illa ſublata Votum emitteretur, eſſet cauſſa tantum *impulſiva*. Dico itaque ceſſante cauſſa finali, ceſſare voti obligationem.

Hujus autem adſertionis ratio inde patet; quia defectus *Cauſſæ finalis* aufert voluntarium, ſive ſeſe obligandi voluntatem per votum, a qua unice repetenda eſt ipſius voti obligatio; ſiquidem ab ea cauſſa ita dependet iſthæc ſeſe obligandi voluntas, ut ea ablata, aut ceſſante homo nullatenus voviſſet. Secus vero dicendum, uti patet, de ceſſatione cauſſæ *impulſivæ*; quia iſtius defectus non aufert voluntarium. Lege laud. Sanchez. *loc. cit. n.* 24.

Q. IX. *Num cauſſa adeundi Comitem Campaniæ pro adſequenda Eccleſiæ ſuæ libertate, fuerit in prædicto Voto Archiepiſcopi Trecenſis, finalis, an impulſiva.*

R. Plures fuiſſe, quos refert Barboſa.

Com-

Comment. *In* laud. *Cap.* Magnæ, qui docuerint prædictam cauſſam adeundi Comitem fuiſſe tantum *impulſivam*. Sed rectius alii docuere duplicem in eo Voto fuiſſe cauſſam *finalem*; prima quidem fuit pro ſalute animæ propriæ, ſecunda vero, ut de libertate Ecclcſiæ Trecenſis ageret cum prædicto Comite Campaniæ. Quæ ſane interpretatio verbis prædictæ Decretalis apprime quadrat. Siquidem Pontifex maximcpere commendat Archiepiſcopi devotionem, ejuſque ſinceram in Chriſtum fidem; quandoquidem *pro ſalute animæ ſuæ, ac libertate Eccleſiæ Trecenſis, ac devotione Terræ Nativitatis Domini, Hieroſolymitanas provincias viſitaturum ſeſe voviſſet*.

Licet autem cauſſam adeundi Comitem, cum eoque agendi pro Eccleſiæ Trecenſis libertate, dicere velimus fuiſſe cauſſam principalem emittendi prædictum Votum peregrinationis, minus principalem vero ipſius devotionem; quod innuere videntur laud. verba *Cap* Magnæ: *Cum pro libertate Eccleſiæ Trecenſis . . . præcipue votum peregrinationis emiſeris*. Haud tamen inde ſequitur, quod hujuſmodi cauſſa ceſſante, illius Voti obligatio fuiſſet extincta; quia ex doctrina Cl. Sanchez. (*In Decalog. Lib. IV. Cap. 2. n. 40.*) quoties aliquid principaliter aliud vero minus principaliter, voventem moveat, ſi ita utrumque voluntatem determinet ad vovendum, ut voluntas utriuſque con-

conſequendi avida per eum actum, non voveret altero deficiente; utrumque erit cauſſa finalis, una principalis, altera minus principalis; adeoque alterutra deficiente, Voti obligatio non ceſſabit. Ita autem rem contigiſſe in hac facti ſpecie, in qua verſamur, facile patebit cuicumque vel leviter attenderit. Paulo tamen aliter Cl. Gonzalez (*Comment. in laud. Cap. Magnæ*) ſed noſtra interpretatio, ſi noſtra nos non fallat opinio, eſt magis conſentanea verbis laud. Decretalis. Hanc porro ſententiam, quam ſelegimus de hujuſmodi Voti obligatione, ſaltem veluti tutiorem omnibus amplectendam ſuademus; licet Cl. Sanchez aliud probare adnitatur. *loc. cit.*

Atque hinc ſua ſponte, ac nullo cogente profluit recta, ac germana interpretatio illorum verborum, quæ habentur in fine hujuſce Decretalis: *Eo ſublato de medio* (h. e. mortuo Comite Campaniæ) *quia ceſſavere cauſſæ, facilius potuit ceſſare & effectus*. Non enim dicit Pontifex ceſſaſſe Voti obligationem mortuo prædicto Comite; ſed potuiſſe ceſſare, ſi nempe fuiſſet unica cauſſa finalis Voti, adeundi nempe dictum Comitem; at non ceſſaſſe; quia deficiente hac cauſſa, altera perſiſtebat adhuc etiam finalis; devotio nempe *Terræ Nativitatis Domini*, quæ conſtituebat etiam cauſſam finalem, licet partialem voti. Quare voti obligatione ad-

adhuc perurgente, neceſſario impertienda fuit Commutatio.

Decretalis VIII.

Octava iſthæc Decretalis, cujus initium eſt, *Quod ſuper his.* eſt ejuſdem Innocentii III. reſponſum ad Archiepiſcopum Cantuarienſem.

Archiepiſcopatus autem Cantuarienſis in Anglia Primatus obtinet dignitatem, plures habet Epiſcopatus Suffraganeos, quos ſingillatim & accurate enumerat Pyrrhus Conradus In *Provinciali Eccleſiar. Univerſ. Orbis* adjecto ſuo Operi, quod inſcribitur: *Praxis Diſpenſat. Apoſtolicar.*

Hujuſce Cantuarienſis Eccleſiæ primus Archiepiſcopus fuit B. Auguſtinus, qui cum eſſet præpoſitus Monaſterio S. Andræ in Urbe Romæ anno 596. a B. Gregorio M. Pontifice una cum quibuſdam electis ſociis miſſus fuit in Angliam, ut luce veritatis Evangelicæ barbaras illas nationes infidelitatis erroribus detentas illuſtraret. Hinc jure meritoque *Primus Anglorum Apoſtolus* appellatus. Hiſtoria hujuſce Sacræ Miſſionis notior eſt, quam ut monitore indigeat. Anno autem 601. idem B. Auguſtinus, cum jam a Virgilio Arelatenſi Epiſcopo inauguratus eſſet Epiſcopus in Regno Cantii, in Metropoli Doroverna, quæ poſtea *Cantuaria* dicta eſt, Sedem ſuam Epiſcopalem fixit. Obiit autem B. Auguſtinus anno 607. uti probat doctiſſimus Mabillonius in Seculo Primo Benedictino, cum jam adhuc in vi-

vivis degens ſibi in ſucceſſorem in Archiepiſcopali Sede Cantuarienſi delegiſſet Laurentium unum ex primis ſuæ Miſſionis ſociis, ac propriis ipſe manibus ſacra Epiſcopali unctione donaſſet.

Q. I. *Quanam occaſione edita fuerit iſthæc Decretalis Epiſtola?*

R. Cum promovente Sacram Expeditionem pro Hieroſolymorum liberatione ipſo Innocentio III. anno 1198. (Qua de re Vide, quæ dicta fuere in noſtra *Synopſ. Hiſtoric. n. XL.*) plurimi ex Anglia Cruce ſuſcepta huic Sacræ Expeditioni, ac Militiæ nomen dediſſent; poſtea paupertate, infirmitate, vel alia juſta cauſſa impediti Votum iſtiuſmodi tam laudabiliter ſuſceptum executioni demandare non poterant: Quapropter Archiepiſcopus ipſe Cantuarienſis, cui antea per Pontificem demandatum fuerat, ut omnes indiſcriminatim, qui Crucem ſuſcepiſſent pro liberatione Terræ Hieroſolymorum profecturi, ad executionem hujuſmodi Voti per cenſuras Eccleſiaſticas appellatione remota compelleret; ad ſui paſtoralis officii curam pertinere rectiſſime judicavit laudatus Archiepiſcopus, de hujuſmodi impeditis a Voti executione Sedem Apoſtolicam conſulere; ut hac ratione Apoſtolico Reſcripto, atque oraculo edoceri poſſet, quomodo gerere ſeſe oporteret in re tanti momenti.

Quatuor reſpondet Pontifex per laudat. Decretalem Archiepiſcopi interrogationibus,

bus. I Diſtinguit Pontifex inter ipſos debiles, aut inopes; ſi enim debiles infirmitate laborantes, qui proinde pugnare non poſſint, ſint Nobiles, ac Magnates, qui ſuis ſecum expenſis bellatores adducere poſſint, ad id præſtandum, quod poſſunt, eſſe cogendos, ſat luculenter inſinuat; ſecus vero ſi non ſint Nobiles, ac Magnates.

Rurſus inter eos, qui paupertate impediuntur ſuſceptum illud Votum implere; Etenim, vel hujuſmodi pauperes ſint artifices, & agricolæ, qui de ſuis laboribus ſibi poſſint adquirere neceſſaria; atque hac in hypotheſi paupertatis obtentu non excuſandos docet, ac decernit ab executione Voti. Si vero iſtiuſmodi pauperes non ſint neque artifices, neque agricolæ, cum iſti magis *ad defectum*, *quam ad profectum* illuc accedant, Voti ſuſcepti obligatione inde non teneri ſat luculenter affirmat.

II. Diſtinguit inter ipſos impeditos, qui aut temporalem, aut perpetuam impedimenti cauſſam credantur habere. Etenim ſi tantummodo ad tempus ſuerit ipſorum impedimentum, edicit eſſe illis dilationem indulgendam; ſi autem perpetuam habuerint impedimenti cauſſam, jubet eſſe iſtis redemtionem injungendam; ut ſcilicet penſata rerum facultate, quas poſſent, aut facturi eſſent expenſas perſonarum præterea recompenſato labore, in ſubſidium Terræ S. tranſmitterent, exequen-

quentes per alium, quod per ſe non poſſent adimplere. Conſimilem hac in re refert quoque Cl. Fleuri *Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib.* 74. *n.* 5. Decretalem Epiſtolam Coeleſtini III. etiam ad Archiepiſcopum Cantuarienſem anno 1196.

III. Diſtinguendum eſſe docet inter eos, qui pro defenſione Terræ S. Votum peregrinationis emiſerunt, atque illos, quibus pro ſatisfactione ſuorum criminum iter hujuſmodi, atque labor ſatisfactionis fuerat injunctus; quia circa primos plus Terræ S. ſubſidium, & circa ſecundos plus labor itineris, ſecundum intentionem voventis, vel pœnitentis debet attendi. Quare ſi quis illorum qui pro ſubſidio Terræ S. Votum peregrinationis emiſerit, erit inutilis ad pugnandum, quamvis habilis ad eundum, melius erit, ut ipſe redimat Votum, quam ut conſumat expenſas; quod etiam extendendum erit ad Poenitentem, qui propter debilitatem corporis non poteſt iter injunctum peregrinationis implere. Secus verò dicendum de ipſo Poenitente, qui quamvis ſit impotens ad bellandum, eſt tamen potens ad eundum: iſti enim labor, & incommoda itineris pro reparatione ſuorum ſcelerum erunt ſubeunda, neque redemtio hac in hypotheſi illi concedenda.

IV. De Mulieribus docet etiam inter eas diſtinguendum hac ratione; nimirum ut quæ Votum hujuſmodi in ſubſidium Terræ S. non emiſerant, ſi remanere nolue-

luerint, viros ſuos ſequantur euntes; aliæ vero, quæ Voto hujuſmodi ſeſe obſtrinxerant, quæ ſe tanto, tamque gravi itineri ſeſe committere reformidarent, Votum ſuum redimere ut poſſint, iiſdem indulget; ſi autem ſint divites, quæ ſecum poſſint ducere bellatores, a poteſtate redimendi hujuſmodi Votum arcendas, atque ad illud explendum inducendas, ſive cogendas eſſe docet. Indigebant tamen conſenſu viri vel ad complendum illud Votum, aut etiam ad illud redimendum, niſi haberent bona, de quibus poſſent diſponere. Suarez De *Relig. tom.* 2, *lib. IV. Cap.* 4 *n.* 15.

Hæc eſt itaque ſumma eorum, quæ continentur in laud. Decretali, ac recta eorumdem elucidatio. Interim nonnulla quædam ſuperſunt nobis, prout res expoſcit illuſtranda, atque explananda, quod ſubjectis Quæſtiunculis pro virili præſtabimus.

Q. II. *Quid ſibi velit illud: In ſubſidium Terræ S.* Signo Crucis aſſumto.

R. *Crucis Signum, ſive Signaculum ſumere; aut Crucem accipere*, juxta phraſim illorum temporum, cum fervevent Sacræ Expeditiones pro liberatione Terræ Hieroſolymorum, idem erat ac Sacræ illi Militiæ nomen dare, aut Peregrinationem ſuſcipere in ſubſidium Terræ Hieroſolymorum. Etenim cum uſque a primæ Expeditionis tempore, qui profecturi Hieruſalem contra Fidei hoſtes Sacrum

iſtud

iſtud Bellum ſuſceperant S. Crucis Signaculo ex Pontificio mandato notarentur, inde factum, ut *Crucis Signum ſumere*, *aut Crucem accipere*, idem valeret, ac Sacro huic Bello adſcribi ad debellandos Religionis hoſtes Hieroſolymas gravi ſervitutis jugo jamdudum prementes; quique ad hoc Sacrum Bellum proficiſcerentur *Cruce-ſignati* vocarentur. (Vide quæ diximus in noſtra *Hiſtoric. Synopſ. num. XII.*) Interim non abs re erit ex Hiſtioriographis illorum temporum advertere non leve quoddam diſcrimen inter eos, qui animum habebant Sacræ Peregrinationis ſuſcipiendæ, ac illos, qui jamjam profecturi eſſent ad hoc Sacrum Bellum. Etenim, qui animum tantummodo illud ſuſciendi habebant in fronte, vel in pectore Signum Crucis præferebant; qui vero jamjam profecturi erant Crucem inter ſcapulas retro ponebant. Ita Robertus Monach. *Hiſtor. Hieroſolymit. Lib. II.* Apud Gonzalez *Comment. in laud.* Decretalem.

Q. III. *Num Pœnitentibus in ſuorum ſcelerum ſatisfactionem imponi tunc temporis ſoleret onus Peregrinationis Hieroſolymitanæ in ſubſidium Terræ S.?*

R. Affirmative. Idque luculentiſſime patet ex hac Decretali verbis ſupra allatis. Quod etiam magis, ac magis confirmant hiſtorica illorum temporum monumenta. Lege quæ enarrat Cl. Fleuri *Hiſtor. Eccl. Lib.* 75. *n.* 56. de interfe-

ctori-

ctoribus Conradi Epiſcopi Virsburgenſis in Germania; ac de eo, qui linguam abſciderat cuidam Epiſcopo in Scotia, ac demum de Henrico II. Angliæ Rege, atque interfectoribus B. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi. *Lib.* 72. *n.* 39. & 41. Imo praxis iſthæc imponendi, atque imperandi Peregrinationes loco ſatisfactionis in Sacramento Pœnitentiæ jam ab VIII. Seculo invaluerat in Eccleſia; atque per iſthæc tempora, cum Cruce-ſignatorum Expeditionibus colligendis acrius undique inſtabant Prælati, magis magiſque frequentabatur; ſiquidem bonum Religionis, ac Fidei id expoſcere etiam videbatur. Nihilominus, uti animadvertit Cl. Fleuri (*Diſcorſo VI. ſop. la Storia n.* 11.) ſucceſſu temporis compertum fuit, hujuſmodi Peregrinationes imperatas, atque peractas per militares Expeditiones Cruciatæ S. parum aptas, atque accommodatas fuiſſe peccatoribus vere convertendis ad Deum, atque evellendis peccatorum reliquiis ab illorum cordibus, qui quidem unus eſt juxta doctrinam SS. Tridentini Concilii (*Seſſ.* 14. *Cap.* 8.) ex præcipuis ſatisfactionis finibus.

Q. IV. *Num Peregrinatio Hieroſolymitana in ſatisfactionem impoſita redimi poſſet, quemadmodum & ipſum Votum Hieroſolymitanum?*

R. Affirmative. Saltem ea in hypotheſi, cum Pœnitentes propter corporis ægritudinem illam Peregrinationem executio-

ni demandare non poterant. Quam quidem praxin luculenter inſinuant verba ſupra allata hujuſce Decretalis.

Sane diſciplina iſthæc redimendi ſatiſfactiones jam multo ante induci coeperat in Eccleſia, eamque paſſim frequentatam demonſtrant Ecclaſiaſtica monumenta. Joannes Morinus diligentiſſimus Antiquitatum Eccleſiaſticarum inveſtigator in laudatiſſimo Commentario *De Adminiſtr. Sacram. Pœnitent. Cap. 17. Lib. X.* ſcite animadvertit, atque oſtendit iſtiuſmodi praxis redimendi Canonicas Pœnitentias fundamenta jacta fuiſſe exeunte Secul. VII. h. e. circa annum 680. primum in Anglia. Deinde Secul. IX. in Italia, Gallia, Germania praxis iſthæc maxime familiaris, ac vulgata evaſit; quæ adhuc etiam perſeverabat circa initia Secul. XIII. h. e. ætate Innocentii III., qui eſt laud. Decretalis, in qua elucidanda verſamur, uti jam ediximus, Auctor.

Q. V. *Num votum Peregrinationis, quod tunc temporis fiebat in ſubſidium Terræ S. Reale eſſet, an Perſonale?*

R. Fuiſſe votum mixtum ex Reali, ac Perſonali; quemadmodum & oſtenſum, ac probatum fuit in Expoſitione VI. Decretalis. Qua de re legi poterit etiam Eximus Suareſius *tom. 2. De Religion. Lib. IV. Cap. 11.*

Q. VI. *Num debeat aliquis in Voto Mixto exequi, quod reale eſſet, ſi non poſſet perſonale?*

R.

R. Si utrumque promiſſum fuerit diviſim, ac per modum plurium; tunc ſi pars perſonalis voti non poſſet impleri, nihilominus pars realis executioni erit demandanda. Quia tunc eſt votum virtualiter multiplex. Quemadmodum ſi quis per votum promiſerit ſe profecturum contra hoſtes Fidei, ac tot ſocios ſecum adducturum; ſi non poſſit ipſe proficiſci, tenetur nihilominus ſocios promiſſos illuc tranſmittere.

Si autem internoſci non poſſit, num utrumque fuerit promiſſum per modum unius, an per modum plurium, tunc inſpiciendum erit, quænam pars fuerit principaliter promiſſa perſonaliſne, an realis. Si enim pars perſonalis principaliter fuiſſet promiſſa, acceſſorie autem realis; tunc ſi quod perſonale eſt, non poſſit impleri, neque etiam quod eſt reale in hujuſmodi voto erit implendum. Quia cadente principali, ruit etiam acceſſorium. Secus vero dicendum, ſi principaliter promiſſum eſſet, quod reale eſt, acceſſorie autem perſonale; tunc enim licet perſonale voti impleri non poſſit, reale tamen in voto executioni demandandum erit. Ita ferme Suareſius *laud. Lib. IV. Cap.* 11. loquens de Votis Mixtis reſpectu ad Heredes; ac poſt ipſum Paulus Layman. *loc. cit. Cap.* 3.

Q. VII. *Quidnam eſſet principaliter promiſſum in Voto Hieroſolymitano, perſonale ne, an reale?*

R. Votum Hieroſolymitanum, ut tunc temporis fiebat, atque ſatis luculenter eruitur ex hac Decretali; nempe militandi in propria perſona, ſuiſque impendiis; illud quod perſonale erat in hujuſmodi Voto videbatur principaliter promitti; h. e. propriæ perſonæ opera in bello obeundo, atque decertando contra Fidei hoſtes; impendia vero neceſſario facienda eundo, redeundo, ibique commorando acceſſorie tantum videbantur promitti; neque enim ſine hiſce expenſis poterat aliquis, uti patet, devenire ad finem præcipuum hujuſmodi Voti, h. e. belligerari pro defenſione, ac liberatione Terræ Hieroſolymorum. Quapropter juxta regulam ſuperius traditam Quæſtione antecedenti, qui ad eum ſtatum devenerant poſt editum Votum, ut ægritudine, aliove perpetuo impedimento detenti illuc accedere non poſſent, neque arma retractare pro defenſione ipſius Terræ S., non erant adſtricti expenſas illas, quas facturi eſſent eundo, redeundo, ibi conſiſtendo, erogare in ſubſidium ipſius ejuſdem Belli.

Quare ergo in laud. Decretali decernitur, ut qui perpetuam haberent impedimenti cauſſam, quominus illuc accedere poſſent, expenſas, quas facturi eſſent ea de cauſſa, tranſmitterent in ſubſidium ejuſdem Belli, exequentes per alios, quod per ſe nequibant expedire?

R. Propter inſigne Religionis bonum, quod

quod eo in Bello ſpectabatur, atque propter magnam neceſſitatem Populi Chriſtiani, ne Terræ S. impediretur ſubſidium; uti in *Cap* Ex multa 9. tit. *De Voto* dictum eſt, id decretum fuerat. Quare hoc ipſum ſpecialiter conſtitutum fuerat pro illo tempore; ut qui edito Voto Crucem ſuſciperent ad defenſionem Terræ Hieroſolymorum, quocumque modo poſſent, ſive per ſe, ſive per alios auxilium polliceri cenſerentur; idcirco itaque decernitur in laud. Decretali, ut teneantur exequi per alios, quod per ſe nequeant expedire; qui Crucis ſuſceptæ Votum, quod ediderant, per ſe complere non poſſent, quæ tamen præſumtio non eſt ex natura Voti ipſius præciſe ſpectati, ideoque in aliis caſibus locum non habet. Adductam porro reſponſionem rejicit Suareſius *loc. cit.* minus recte; quæ autem ipſe opponit a textu laud. Decretal. longe abhorrent; ut ipſe Eruditus Lector noſſe poterit.

Decretalis IX.

Hæc Nona Decretalis eumdem præ ſe fert Auctorem Innocentium III. atque ad eumdem Archiepiſcopum Cantuarienſem inſcribitur, atque tranſmittitur.

Q. I. *Qua occaſione edita fuerit iſthæc Decretalis?*

R. Cum ex reſponſionibus adhibitis in ſuperiori Decretali, novæ ſubortæ fuiſſent memorato Cantuarienſi Archiepiſcopo dubitationes, neceſſe habuit laudatiſſimus Archiepiſcopus iterum ad Pontificem recur-

currere, ut hac ratione Pontificia auctoritate, atque oraculo obortæ dubitationes ſecurius exſcinderentur; cum inde prodiret interpretatio, unde prodiit ipſum jus, tutiorque tum ipſi Archiepiſcopo, tum ceteris omnibus procedendi in re tanti momenti via aperietur.

Archiepiſcopi autem votis cumulatiſſime ſatisfecit ſapientiſſimus Pontifex per hanc inſignem Decretalem, quam breviter præſtringendam atque illuſtrandam ſuſcipimus.

Q. II. *Quænam ſint ergo dubitationes, aut quæſtiones Pontifici propoſitæ, quæ hac Decretali reſolvantur?*

R. Cum plura quæſiviſſet laud. Archiepiſcopus ab ipſo Pontiffce, ea omnia diſtinctis reſponſionibus ſigillatim reſolvit ſapientiſſimus Pontifex.

Quæſiverat itaque I. Archiepiſcopus; utrum quæ in ſuperiori Decretali ſcripta fuerant; jus conſtituerent generale; adeo ut liceret Prælatis quibuſlibet ſecundum regulas ibidem propoſitas a vinculo illius Voti abſolvere homines ſuæ juriſdictioni ſubjectos?

Cui quæſtioni reſpondit Pontifex, quod licet in ſuperiori Decretali nullatenus fuerit declaratum ad quoſnam ſpecialiter ſpectaret hujuſce juris executio, illis tamen ſolummodo incumbere jus hujuſmodi exequendum, qui hac de re mandatum receperint a Sede Apoſtolica ſpeciale.

II. Cum in ſuperiori Decretali incul-

ca-

catum fuiſſet a Pontifice, ut tantummodo per Viros Religioſos, ac Providos diſpenſatio in hujuſmodi Votis pro ſubſidio Terræ S. provideretur, inde requiſivit laud. Archiepiſcopus, de quibus Religioſis hoc eſſet intelligendum, num de illis, qui habitum Religionis ſuſceperint; an vero de Epiſcopis, qui ſicut dignitate precellunt, ita & Religione debent aliis præeminere?

Reſpondet Pontifex, de neutris id poſſe intelligi, niſi per Sedem Apoſtolicam hoc eis ſpecialiter delegatum fuerit, ut in hujuſmodi Votis commutandis diſpenſarent.

III. Cum in ſuperiori Decretali dictum fuiſſet, quod ſi voventium aliqui ſint inutiles ad pugnandum, quamvis eſſent habiles ad eundum, melius eſt, ut redimant Votum hujuſmodi, quam ut conſumant expenſas; iterum a Pontifice requiſivit laud. Archiepiſcopus; utrum hoc eſſet generaliter atque univerſim accipiendum, adeo ut etiam comprehenderet Magnates, ac Nobiles, qui eſſent conſilio ſtrenui, ac multos ſecum ducere poſſent bellatores, an tantummodo de minoribus illud eſſet intelligendum?

Reſpondet Pontifex in hac Decretali, effatum ſuperius relatum non eſſe ullatenus intelligendum de hujuſmodi Magnatibus, ac Nobilibus, qui pollebant maturitate conſilii, multoſque poterant adducere ſecum ſuis expenſis bellatores. †.

Quia illi debiles tantummodo eximendi ſunt ab obligatione exequendi illud Votum, qui *magis in defectum Terræ S.*, *quam ad ejus profectum accederent*, juxta regulam traditam ſuperius. Nobiles autem, ac Magnates, qui maturitate pollerent conſilii, alioſque ſecum bellatores poſſent adducere, non ſunt hujuſmodi; uti per ſe patet. 2. Quia iſti non ſunt inutiles ad pugnandum, qui licet per ſe pugnare non poſſint, maturitate tamen conſilii adeſſe valerent pugnantibus, ac perſonæ ſuæ defectum per alios ſupplere, ac præſtare poſſent.

IV. Rurſus quæſiverat Archiepiſcopus a Pontifice, de quibus Mulieribus intelligendum eſſet illud, quod in ſuperiori Decretali dictum fuerat: *De mulieribus . . . quæ remanere noluerint, viros ſuos ſequantur.*

Reſpondet Pontifex, de illis Mulieribus allata verba eſſe intelligenda, quæ ſe ad Peregrinationis propoſitum nullius Voti vinculo obſtrinxerunt. Etenim iſtis tantummodo, quæ lege Voti ſolutæ erant, integrum erat, atque optio dabatur aut remanendi, aut virorum ſuorum veſtigia premendo proficiſcendi Hieruſalem; quemadmodum & nos docuimus in elucidatione ſuperioris Decretalis. Quæ autem lege Voti Hieroſolymitani tenebantur, ipſis liberum eſſe non poterat remanere, aut proficiſci; ſed omnino proficiſcendi neceſſitas ipſis incumbebat; quia vovere vo-

voluntatis eſt, adimplere autem neceſſitatis. Gloſſa in *Cap.* Licet *De Voto &c.*

V. Sciſcitabatur quoque Archiepiſcopus, an, quemadmodum non poteſt homo abſolutam, ac perfectam caſtitatem vovere ſine uxoris conſenſu (*Cap.* 1. *qu.* 5. *Cauſs.* 53.) ita nec etiam libere valeret præter uxoris conſenſum Hieroſolymitanæ Peregrinationis Votum emittere?

Reſpondet Pontifex; quod urgênte tanta, ac tam gravi neceſſitate Populi Chriſtiani, ne neceſſarium Terræ S. ſubſidium aliqua ratione impediretur, viri præter uxoram aſſenſum Peregrinationis Hieroſolymitanæ propoſitum ac Votum libere poterant vovere, & quæ voverint, libere adimplere. Ut autem uxores huic tam religioſo operi in obſequium Chriſti ſuſcepto & ipſæ conſenſum præſtarent, diligentius eſſe commonendas jubet; ut & ipſæ in partem æternae mercedis vocari poſſent; quemadmodum & morti æternae, Apoſtolo teſte *Ad Roman. Cap.* 1. ſeſe addicunt, qui malum operantibus conſenſum ſuum accommodant.

VI. Demum quæſierat a Pontifice Archiepiſcopus, quomodo ſe gerere poſſet, ac deberet cum Clericis lege Voti Peregrinationis Hieroſolymitanæ in ſubſidium Terræ S. obſtrictis.

Reſpondet Pontifex diſtinguendo inter hujuſmodi Clericos hac ratione. Si hujuſmodi Clerici eſſent conſilio ſtrenui, e i

ſuis conſiliis ſuſceptum opus in obſequium Chriſti poſſent promovere, vel officio prædicationis inſtructi, qui apud Cruce-ſignatos prædicationis munere fungi utiliter, atque laudabiliter poſſent, aut Magnatum obſequio eſſent deputati, qui ex debito munere illos ſectari tenerentur, aut uſque adeo divites ac potentes, ut ſuis expenſis aliquos ſecum ducere valerent bellatores; hujuſmodi recenſitos Clericos eſſe inducendos, atque cogendos, ut debitæ executioni Votum ſuſceptum demandare curarent. Sin vero hujuſmodi non ſunt, ut hactenus recenſiti, cum Clericatus officium inhabiles illos reddat ad pugnandum; quia Clericorum arma ſunt lacrymæ, ac orationum frequentia (*Cap.* Quicumque 4. & 6. & *Cap.* Clerici 5. *Cauſſ.* 23. *qu.* 8.) magis expedire docet Pontifex, ſi iiſdem in hujuſmodi Voto redemtionis beneficium impertiatur, quam illos cogere ad Votum hujuſmodi complendum, ſi neceſſitas id non exigat, nec utilitas ſuadeat.

Demum ſi Clerici ſint hujuſmodi, ut ipſis hujuſmodi Peregrinationis, ac Sacri Belli opus fuerit impoſitum in ſuorum ſcelerum ſatisfactionem, iſtos ab hujuſmodi redemtionis beneficio removeri jubet Pontifex atque repellit; niſi forte propter corporis ægritudinem eo devenerint, ut iter injunctæ Peregrinationis conficere non poſſent.

Hactenus laud. Decretalis. Interim ad

eam

eam illuſtrandam paucula quædam dicenda nobis occurrunt.

Q. III. *Quinam poſſet in hujuſmodi Voto Peregrinationis Hieroſolymitanæ diſpenſare, aut illud commutare?*

R. Solum Summum Pontificem; eſt enim unum ex quinque eidem reſervatis, & quidem jure ſcripto; uti patet ex laud. Decretali, cum cetera quatuor, reſervata tantummodo manſerint ex recepta univerſim, ac ubique conſuetudine. Vide quæ dicta per nos fuere in noſtra *Diſſertat. In Bull. S. Cruciat.* §. 2. *Part.* 1. *qu.* 8. Neque memorata reſervatio in hujuſmodi Voto Hieroſolymitano intelligenda erit de ſola tantummodo diſpenſatione; æque enim eidem Summo Pontifici ex hac Decretali. *Ex multa*, quam ad manus habemus, 8. reſervata remanſere facultas commutandi, aut redimendi hujuſmodi Votum. Imo ſi, diligens lector conferat *Cap.* Ex multa, 9. ubi, decernitur hujuſmodi reſervatio, cum *Cap.* Quod ſuper his 8. antecedenti, deprehendit profecto hic peculiariter agi de facultate redimendi hujuſmodi Votum, quam tamen ſibi etiam reſervat Summus Pontifex, dum neminem voluit in hoc negotio concedendæ redemtionis hujuſce Voti ſeſe immiſcere, niſi *ſuper hoc mandatum receperint a Sede Apoſtolica ſpeciale*. Hujus autem Conſtitutionis ratio in promtu eſt; quia propter gravitatem hujuſmodi Voti Peregrinationis Hieroſolymitanæ, aliorum-

que conſimilium reſervatorum votorum, conveniens, imo & neceſſarium judicatum fuit, ut in propria ſpecie promiſſa ſolverentur, neque aliud liceret ſine Summi Pontificis arbitrio, & licentia. Suarez *tom. 2. De Religion. Lib. VI. Cap.* 21. *n.* 16. Aliique paſſim, & communiſſimi.

Hic autem, uti luculenter patet ex hac Decretali, figenda eſt epocha hujuſce reſervationis in hoc Voto Hieroſolymitano, cum antea, uti videtur, liberum fuiſſet ceteris inferioribus Prælatis, prout neceſſitas, aut potior utilitas expoſcebat, diſpenſationis, commutationis, aut redemtionis beneficium in hoc eodem Voto aliis ſibi ſubditis impertiri. Quod quidem ſat luculenter eruitur ex *Cap.* De Peregrinatione c. 1. *De Voto* &c. ubi Exonienſis Epiſcopus a Pontifice ſciſcitatur, num Votum hujuſmodi Peregrinationis Hieroſolymitanæ (Etenim de hoc præſertim Voto intelligendam eſſe laud. Decretalem ibidem probavimus. Adeantur ibi dicta) num Votum hujuſmodi Peregrinationis inquam Hieroſolymitanæ redimi eleemoſynis poſſet, aut commutari, cum neceſſitas poſtulaſſet? Quare Epiſcopus nihil dubitans de ſua hac in re poteſtate, tantummodo ad cautius, tutiuſque agendum in re tanti momenti, ab Apoſtolica Sede exquirit, an Votum eſſet hujuſmodi, in quo poſſet locum habere commutatio, aut redemtio? Neque per ſuam re-

reſponſionem hoc in controverſiam aliquo modo adducit ; imo potius confirmat Pontifex, dum decernit, hoc ipſum pendere ab arbitrio illius, qui præſidet, ut omnibus expenſis, quæ de jure eſſent expendenda, hoc jure uti ; concedendi nempe commutationem in hoc Voto, aut redemtionem.

Si quæras autem qua ratione deventum fuerit ad hanc reſervationem in hujuſmodi Voto?

R. Ita rem contigiſſe arbitramur. Cum ab illo etiam temporis articulo, quo prima Expeditio adverſus Infideles pro ſubſidio, ac liberatione Terræ S. Pontificio decreto, Conciliique Claramontani auctoritate fuit indicta, ab Urbano II. jam inde ſancitum fuiſſet, ut qui Crucem ſibi aſſumſiſſent, atque editis Votis, ſeſe obſtrinxiſſent ad Peregrinationem, ſive Bellum Hieroſolymitanum, ſub interminatione anathematis adſtricti eſſent ad hujuſmodi Votum complendum (Vide dicta in noſtra *Synopſ. Hiſtoric. n. XVII.*) cumque itentidem deinceps per Eccleſiaſticarum cenſurarum impoſitionem adigerentur fideles ad complendum hujuſmodi Votum emiſſum, quod aperte conſtat ex *Cap.* Quod Super his laud. cum ageretur, de hujuſmodi Voti executione differenda, commutanda, redimenda, ſæpe recurrendum videbatur ad ipſum Romanum Pontificem ; atque hac ratione ſenſim ſine ſenſu via ſternebatur ad hanc reſervatio-

nem

nem hujuſmodi Voti. His etiam acceſſit, quod cauſſa etiam ejuſdem Voti, quod maximi momenti tunc habebatur, fideles undique gentium aut ſponte accedebant, aut ab ipſis Epiſcopis remittebantur ad Summum Pontificem. Quæ omnia mirifice comprobantur per Decretales hactenus illuſtratas. Ac tandem dubitatione exorta, num ad alios præter Romanum Pontificem ſpectaret executio hujuſmodi circa Votum Hieroſolymitanum commutandum, aut diſpenſandum, ac interrogante hac de re Innocentium III. Cantuarienſi Archiepiſcopo, ſolemnis iſthæc hujuſce Voti reſervatio Eccleſiaſtica lege fuit conſtituta.

Q. IV. *Quale jus competat Viro in vota edita ab uxore?*

R. Omnes ad unum norunt duplicem apud Theologos diſtingui irritationem *Directam* per quam voti obligatio omnino extinguitur; cujuſmodi competit Patri reſpectu ad vota filiorum impuberum; & Prælato reſpectu ad vota Religioſorum. Quia hoc jus eis competit ratione dominii in ipſam voluntatem voventium. Aliam vero *Indirectam*, quæ eſt quædam veluti voti ſuſpenſio; cujuſmodi irritatio competit Patri reſpectu ad vota perſonalia filiorum puberum, quæ juri patriæ poteſtatis officerent, & viro reſpectu ad vota edita a ſua uxore, quæ juri matrimoniali, prolis educationi, ac rectæ familiæ gubernationi adverſarentur; quia ipſis hu-

juſmodi jus competit ratione dominii ac poteſtatis in materiam ſeu rem promiſſam. Adeatur Eximius Suarez *tom. 2. De Relig. tractat. De Voto lib. VI. Cap.* 1. *& alibi cod. lib. VI.* Et Sanchez *In Decalog. Lib. IV. Cap.* 26.

Q. V. *Num in omnia omnino uxoris vota competat viro hujuſmodi poteſtas irritandi.*

R. Cl. Sanchez *laud. Lib. IV. Cap.* 34. *n.* 3. Et *lib. IX. De Matrimon. Diſp.* 39. acriter, atque enixe tuetur viro integrum eſſe irritare omnia vota ſuæ uxoris etiam ſi ſint de rebus neceſſariis; etiam votum de non mentiendo. Idem etiam alii non pauci præter laud. Sanchez docuere. Verum hæc ſententia, uti teſtatur Eximius Suarez, nullo probabili innititur fundamento.

Quare ea prætermiſſa communiori, ac probabiliori ſententiæ inhærendo dicimus: non omnia uxoris vota poſſe a viro irritari; ſed ea tantum, quæ ipſi viro, familiæ ſuæ, ac ejuſdem gubernationi officiant. Multa enim vota poteſt emittere uxor, quæ nullatenus marito, aut familiæ præjudicium afferant. Ergo ad illa irritanda nulla viro competit poteſtas; non *directa*, uti patet; quia voluntas uxoris non eſt ſubjecta in omnibus viro, ut voluntas impuberis filii Patri, voluntas Religioſi ſuo Prælato; neque *indirecta*; quia cum hujuſmodi vota non officiant viro, ejus poteſtati nec etiam ſubjiciuntur. Lege-

ge Suareſium *laud. lib. VI. Cap.* 4. Et Paulum Layman In *De Vot. Cap.* 7. *n.* 12.

Q. VI. *Num potuiſſet Vir Votum Peregrinationis Hieroſolymitanæ ab uxore tunc temporis editum irritare?*

R. Certum eſt poſſe virum vota peregrinationis etiam brevioris, atque ad breve tempus edita ab uxore irritare, cum uxor ſubdita ſit viro, qui & eidem prohibere poteſt, ne etiam domo exeat.

Quantum vero ſpectat ad Votum Peregrinationis in ſubſidium Terræ S. tunc temporis forte ab uxore editum, multi docuere non potuiſſe hujuſmodi Votum a viro irritari, forte inducti auctoritate *Cap.* Quod ſuper his 8. ſupra laud. quod quidem recte intellectum, ut nos cum Suareſio docuimus, nulla ratione ipſis ſuffragatur.

Quare omnino adſerendum cum eodem Suareſio potuiſſe quidem a viro irritari hujuſmodi Votum a muliere editum: Quia in Jure Canonico hæc facultas vovendi, atque Votum iſtiuſmodi complendi ſine conſenſu alterius conjugis viro tantummodo conceditur; uti mox dicemus; non autem uxori; uxor enim magis eſt ſubjecta viro, quam vir uxori. Præterea hujuſmodi Votum ab uxore forte tunc temporis editum, uti patet in grave ſui viri præjudicium poterat redundare, aut redundabat; etenim multum periclitabatur mulierum caſtitas in Belli tumul-

multu, neque in Jure hac in re exceptum erat hujuſmodi uxoris Votum. Ergo jure poteſtatis dominativæ poterat, ut cetera hujuſmodi vota, a viro irritari. Suarez *tom.* 2. *De Relig. laud. lib. VI. Cap.* 4. *n.* 15. Sanchez *In Decalog. Lib. IV. Cap.* 34. *n.* 5.

Q. VII. *Num hujuſmodi indirecte irritandi Vota poteſtas competat etiam uxori reſpectu ad vota a viro edita?*

R. Affirmative, modo ſint in uxoris præjudicium. Etenim multa vovere poterit vir, quæ tamen uxori afferant præjudicium, aut detrimentum. Quare eſſent iniqua hujuſmodi vota, niſi in illis intelligatur incluſa debita conditio; nempe *ſi uxor conſenſerit, aut non repugnaverit.* Ergo repugnante ipſa uxore; votum mariti, tunc indirecte irritabitur per diſſenſum uxoris. Hæc autem irritatio locum habere poteſt & in votis realibus a viro editis; uti ſi vir voveat copioſam eleemoſynam, vel aliud pium opus, quod implere non poſſet, niſi erogando, atque alienando de bonis uxoris; atque etiam in perſonalibus; uti ſi vir voveret nimiam abſtinentiam, qua redderetur ineptus ad uſum conjugii.

Major autem, atque amplior hujuſmodi irritandi poteſtas reſidet in viro, quam in muliere; etenim viro competit hæc poteſtas non ſolum jure dominii, quod habet in res ſuas, atque in corpus uxoris; verum etiam jure poteſtatis guberna-

nativæ, atque adminiſtrationis bonorum; quod poſtremum ſolummodo ſpectat ad virum, qui eſt caput mulieris. Suarez *laud. Lib. VI. Cap.* 4. *n.* 10.

Q. VIII. *Num etiam in votis Peregrinationum a viro forte editis, competat uxori hæc indirecta irritandi poteſtas?*

R. Cum Diſt. Si votum fuerit Peregrinationis moderatæ, ac brevioris, non poterit hujuſmodi votum ab uxore irritari. Etenim etiam ſine voto vir poterit ad breve tempus abſens fieri, etiam renuente uxore; quare poterit abſolute vovere hujuſmodi peregrinationem, quæ majorem abſentiam non expoſcat; neque ab ea impediri poterit ab uxore.

Sin autem votum fuerit peregrinationis longioris, per quod ſcilicet uxor privetur & uſu corporis, atque viri ſui auxilio ad vitam neceſſario, poterit hujuſmodi votum ab uxore irritari; quia cederet in grave ipſius præjudicium ac detrimentum.

Olim quidem, nempe cum fervérent Expeditiones Cruce-ſignatorum, excipiebatur Votum Peregrinationis in ſubſidium Terræ S. quod ſane Votum propter magnam neceſſitatem Populi Chriſtiani, neve impedirentur neceſſaria ſubſidia pro liberatione Terræ S. poterat vir etiam uxore invita nuncupare, edere, atque executioni demandare; uti decernitur in *laud. Cap.* Ex multa §. In tanta. Etenim propter commune bonum potuit Canoni-

nica auctoritas privare uxorem privato ſuo jure.

Verum iſthæc exceptio hujuſce Voti, quod irritari non poterat ab uxore, Canonico jure id prohibente, locum non habet amplius; ſiquidem illa neceſſitas Populi Chriſtiani, atque auxiliorum in Palæſtinam tranſmittendorum, quæ cauſſam præſtiterat illi exceptioni in lege votorum, jamdudum deſiit, atque evanuit. Quemadmodum nec etiam tunc temporis locum haberet memorata exceptio, ſi Votum peregrinationis Hieroſolymitanæ fieret ſolo devotionis intuitu, inviſendi Sacrata illa Loca, non pro ſubſidio Terræ S. Quia hac in hypotheſi ceſſabat cauſſa hujus conſtitutionis, ſive exceptionis, uti rectiſſime docet D. Thom. in IV. *Sentent. Diſtin.* 32. *art.* 1. *ad* 4. Et poſt ipſum Cl. Suareſius *laud. lib. VI. Cap.* 4. *n.* 14.

Quare mirandum non erit ſi B. Thomas, qui ex mortali vita deceſſit anno 1274. *loc. laud.* in IV. *Sentent.* a communi lege reliquorum votorum, quæ ab uxore irritari poſſint, exceperit Votum Peregrinationis in ſubſidium Terræ S. Quandoquidem eo tempore, cum Angelicus Præceptor iſthæc Commentaria in *Libros Sententiarum* ſcribebat; h. e. anno ætatis ſuæ XXII.; uti docet Cl. *Racine Hiſtor. Eccleſiaſtic. Secul: XIII. Art.* 12. *n.* 18. (qui annus fere incidit in tempora Pontificatus Innocentii IV.)

quo-

quo jam tempore Hieroſolymitana Civitas ſub tyrannide Coraſmienorum gemebat miſerandum in modum (de quibus Vide quæ per nos ſcripta fuere in noſtra *Synopſ. Hiſtoric. n. LXII.*) & ſumma erat neceſſitas Chriſtianorum Hieroſolymis, aliiſque in locis Palæſtinæ degentium, & Cruce-ſignatorum Expeditiones pro debellatione Infidelium in illis Regionibus ardentioribus ſtudiis adhuc undique colligebantur. Vide *laud. Synopſ. Hiſtoric. n. LXIII. & ſeqq.*

Q. IX. *Num in votis Peregrinationum, quæ inter Reſervata connumerantur, poſſit commutando diſpenſare Confeſſarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ?*

R. Norunt omnes, etiam tyrones in Theologica facultate tria Peregrinationum Vota Reſervatis accenſeri. Votum Peregrinationis ad Limina Apoſtolorum SS. Petri ac Pauli, Votum Peregrinationis ad S. Jacobum Compoſtellæ, ac Votum Peregrinationis Hieroſolymitanæ. Jam vero in hiſce Votis, licet inter Reſervata Romano Pontifici connumerentur, nemini dubium eſſe poteſt, quin Confeſſarius electus virtute noſtræ Bullæ poſſit diſpenſare commutando. Etenim in noſtra conceſſionis formula diſpenſandi commutando in votis, excipiuntur tantum Solemnia Religionis, quæ ſcilicet emittuntur in Profeſſione Religionis, ac Caſtitatis, quod nempe emittitur in ſuſceptione Ordinis Sacri, ut ſæpius dictum eſt,

eſt, præſertim in *I. Appendic.* Quare cetera omnia, præter iſta hic excepta, includuntur in conceſſione facta per noſtram Bullam. Ergo & Vota Peregrinationum reſervata.

Decretalis X.

Decretalis iſthæc, quæ incipit *Perpetuas* eſt ejuſdem Innocentii III. Reſponſum ad Gebennenſem Electum.

Gebenna, ſeu Geneva (vulgo *Geneve*) urbs eſt Galliæ in Provincia Viennenſi. Habuit olim Eccleſiam Cathedralem D. Petro dicatam. At cum poſtea civitas iſthæc anno ſcilicet 1535. occupata fuiſſet a Novatoribus, Sedes Epiſcopalis translata fuit Anneſium Subaudiæ Oppidum, quæ poſtea inſigni munere Dei Opt. M. beneficio decorata fuit; ſcilicet D. Franciſci Saleſii electione in Epiſcopum.

Q. I. *Qua occaſione edita fuerit præſens Decretalis?*

R. Quidam in Eccleſia Grationopolitana (Grationopolis urbs eſt Galliæ vulgo *Granoble*) ſuſcipiendi habitum Regularem ſolemniter votum emiſerat; atque in manibus Epiſcopi ejuſdem Eccleſiæ (qui erat Gerondus prius Abbas Cluniacenſis, poſtea Epiſcopus Valentinus, ac tandem electus Patriarcha Hieroſolymitanus, uti docet Cl. Gonzalez in *Not. ad laud. Decretal.*) promiſerat ſeſe infra duos menſes, poſtquam ab Apoſtolica Sede rediiſſet, votum, quod emiſerat, imple-

pleturum. Cum autem termino illo tranſacto non curaſſet votum prædictum complere, jam tranſgreſſor voti factus, atque hujuſmodi peccati reatu irretitus, electus fuit ad regimen Gebennenſis Eccleſiæ. Conſcientiæ ſtimulis exagitatus propter voti prævaricationem, ac ignorans quid ſibi faciendum eſſet in hiſce rerum circumſtantiis, ad Pontificem confugit, ut ab eo edoctus, atque rite inſtructus de ſua agendi ratione, ſaluti ſuæ recte conſulere poſſet.

Illi autem Pontifex conſultus hunc in modum reſpondit per laud. Decretalem; quod ſi ipſe conſcientiam ſuam *ſanare* deſiderabat, oportebat, ut ipſe reſignaret regimen Eccleſiæ memoratæ, ac redderet Altiſſimo vota ſua. Quod ſi poſtea illum Religionem ingreſſum, atque profeſſum, ut ex ſuo voto tenebatur, Capitulum ejuſdem Gebennenſis Eccleſiæ canonice duxiſſet eligendum, eidem indulſit Pontifex, ut electionem taliter de ſe factam recipere poſſet.

Heic autem pauca quædam pro more, atque ut fidem noſtram liberemus, breviter erunt nobis diſcutienda.

Q. II. *Quid ſit votum illud ſolemniter emiſſum ſuſcipiendi habitum Regularem, de quo in laud. Decretali?*

R. Non fuiſſe aliud, quam Simplex votum Religionem amplectendi, ingrediendi, profitendi; quod tamen ibi dicitur *ſolemniter* emiſſum; propterea quod

co-

coram Abbate, pluribuſque aliis præſentibus fuerat emiſſum; quod quidem ratio ipſa manifeſtiſſime perſuadet; quia votum de futura habitus ſuſceptione, aut Religionem poſtmodum amplectendi, non poteſt eſſe Solemne, uti patet. Ita Cajetan. in 2. 2. D. Thomæ *Qu.* 189. *art.* 3. *ad Dubium* 3. Et communiter Canonum Interpretes.

Q. III. *Num tenebatur prædictus Epiſcopus Electus ex obligatione religionis ratione voti emiſſi, reſignato Epiſcopatu, ad quem fuerat vocatus, atque electus religioſum habitum adſumere?*

R. Affirmative. Idque luculentiſſime patet ex verbis laud. Decretalis; ſiquidem ei proponitur, tamquam neceſſarium conſcientiæ ſuæ remedium, ut reſignato Epiſcopatu, atque Regulari habitu adſumto redderet Altiſſimo vota ſua; quod patet ex illis verbis: *Si tuam deſideras ſanare conſcientiam, conſulimus, quatenus reſignes regimen Eccleſiæ memoratæ ac reddas Altiſſimo vota tua*. Neque porro vox illa *Conſulimus*, deſignat rem propoſitam ad conſilium pertinere; ut olim ſuſpicatus temere fuit Enriquez apud Sanchez In *Decalog. Lib. IV. Cap.* 17. Etenim vocem iſtam adhibuit Pontifex, ut oſtenderet ſe non procedere in forma judicii, ſed ſe gerendo velut ſpiritualem medicum, animæ ſaluti conſulendo rem proponere ad id neceſſario peragendam. Quare optime D. Thomas 2. 2. *Qu.* 189.

art.

art. 3. *ad* 1. de vera obligatione ingreſſus exponit laud. Decretalem.

Neque valet opponere, quod ex jure votum, ac promiſſum non infrigat, qui illud in melius commutat. *Cap.* Scripturæ 4. *tit. De Voto* &c. Et *Cap.* Pervenit 3. *De Jurerand.* Status autem Epiſcopalis eſt longe perfectior Statu Regulari. *Cap.* Licet 18. *De Regularibus* &c. quod etiam aperte docet D. Thomas 2. 2. *Qu.* 184. *art.* 7. Non valet, inquam, hæc opponere; quia tunc aſſumtio perfectioris ſtatus ſufficit, ne dicatur votum imperfectioris ſtatus infringi; cum ii ſtatus ita diſtinguuntur, ut in majori claudatur minor; quemadmodum votum Simplex de peculiaribus quibuſdam operibus includitur in ſolemni Religionis Profeſſione, per quam tota vita hominis Deo dicatur, ejusque ſervitio perpetuo mancipatur (Vide quæ ſuperius dicta fuere in *Cap.* Scripturæ) Secus autem accidit in re noſtra, cum Status Epiſcopalis, ac Religioſus genere diſtinguantur; Status enim Epiſcopalis formaliter eſt Status perfectionis alienæ, quam curare debet Epiſcopus; Status vero Religioſus eſt Status perfectionis propriæ. Quare cum ſint diverſi genere, unus in altero non includitur, nec per Statum Epiſcopalem licet perfectiorem, ſatisfieri poterit voto Religionem amplectendi, ac profitendi. Vide Cajetanum in 2. 2. D. Thomæ *Qu. Ult. art.* 3. *circa ſolutionem ad* 1. *Dubio* 2.

Qua-

Quare maximopere commendanda nobis occurrit pietas, ac religio S. Ludovici Epiſcopi Toloſani, cujus Officii recitatio nobis nuperrime conceſſa fuit. Hic Barcinonæ cum maneret carcere incluſus ſub Rege Aragoniæ, voto ſeſe devinxerat ſuſcipiendi, ac profitendi Ordinem Fratrum Minorum; licet poſtea a Clemente V. ad Lugdunenſem Eccleſiam promotus, ac poſtea a Bonifacio VIII. ad Toſolanæ Eccleſiæ regimen eſſet evectus, electioni ſuæ tamen ſe numquam adſenſum præbiturum declaravit, niſi prius votum, quo ſe obſtrinxerat, Deo reddidiſſet. Quod reapſe factum eſt anno 1296. Noluit autem ſanctiſſimus Epiſcopus pro ſua inſigni pietate ac Religione adquieſcere Pontificiæ diſpenſationi, ſibi forte oblatæ, cujus non magna videbatur neceſſitas, qua eximeretur ab onere voti ſui complendi, memor fortaſſe illius ſententiæ D. Bernardi ad Eugenium III. *Facis hoc, quia potes, ſed utrum debeas, quæſtio eſt.*

Q. IV. *Num poſſit Epiſcopus Conſecratus ad complendum Religionis votum in illam ingredi inconſulto Romano Pontifice?*

R. Negat. Idque propter vinculum ſpiritualis Matrimonii initi inter Epiſcopum, & ſuam Eccleſiam. *Cap.* Niſi pridem 10. *De Renuntiat.* Et *Cap.* Inter Corporalia. 2. *De Translat. Epiſcop.* Hoc ſane vinculum majus eſt vinculo Simplicis voti Religionis; quia votum Simplex con-

tinet ſolam promiſſionem ſuæ perſonæ; at vero vinculum Matrimonii ſpiritualis continet alienationem ſuæ perſonæ; etenim habet vim alienatæ poſſeſſionis, in quantum homo; uti docet Cajetanus loc. laud. ſe dedit Eccleſiæ *ad ſupraintendendum*, eſtque illi addictus Epiſcopus, ac mancipatus. Eſt tamen hoc vinculum Matrimonii ſpiritualis minus vinculo Matrimonii carnalis conſummati, cum iſtud ſit penitus indiſſolubile inter Chriſtianos ex Chriſti præcepto *Matth. Cap.* 19. illud vero ſit diſſolubile ex Summi Pontificis conſenſu, cui incumbit ſollicitudo omnium Eccleſiarum.

Q. V. *Quid hac in re dicendum de Epiſcopo tantummodo Confirmato?*

R. Cum per Confirmationem juxta hodiernam praxim, & jus Commune Decretalium quis revera in Paſtorem, & Epiſcopum Eccleſiæ conſtituatur, omniſque Paſtoralis, atque Epiſcopalis cura tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus ei plenarie committatur; adeo ut Epiſcopus Confirmatus, licet nondum Conſecratus, poſſit omnia, quæ ſunt jurisdictionis exercere, ut verus Eccleſiæ Paſtor. *Cap.* Tranſmiſſam 5. *De Election. Et Elect. Poteſtat.* hinc liquido apparet non multum in re noſtra diſcrepare Epiſcopum Confirmatum ab Epiſcopo Conſecrato. Quare quemadmodum Epiſcopo Conſecrato non licet dimiſſo Epiſcopatu ad Religionem profitendam ſeſe conferre, ita

nec

nec etiam Confirmato. Quod quidem apertiſſime decernitnr in *Cap.* Inter Corporalia 2. *De Translat. Epiſcop.*

Q. VI. *Quid de Epiſcopo tantum Electo?*

R. Epiſcopum tantummodo Electum & poſſe, ac debere, etiam ſine Romani Pontificis licentia, dimiſſo jure, quod per Electionem fuiſſet adſecutus, Religionem amplecti, ac profiteri, cui per votum ſeſe devinxerat. Gloſſa in laud. *Cap.* Inter Corporalia. *Verb.* Confirmatus. Gonzalex *Comment. In Cap.* Per tuas 10. *De Voto* &c.

Q. VII. *Num laud. Decretalis* Per tuas *intelligenda ſit de Epiſcopo tantummodo Electo, an etiam Confirmato?*

R. Poſſe illam intelligi utrolibet modo. De Epiſcopo tantum Electo illam exponit laud. Gonzalez. De Epiſcopo autem Electo, atque etiam Confirmato videtur non obſcure illam intellexiſſe Cl. Sanchez *In Decalog. Lib. IV. Cap. 17. n. 6.* Utrovis autem modo intelligas parum ad rem noſtram referre videtur. Sive enim illum Epiſcopum, de quo agebatur in laud. Decretali, dixeris fuiſſe tantum Electum, ſive etiam Confirmationis munere decoratum, utraque in hypotheſi ad ſuum Religionis votum complendum adſtrictum fuiſſe minime dubitandum; hoc tamen interpoſito diſcrimine; quod ſi fuiſſet tantummodo Electus, nulla indigebat Romani Pontificis venia; ſi autem fuiſſet & Electus,

atque Confirmatus non poterat præter Pontificis conſenſum Epiſcopale munus dimittere, atque ad Religionem ad ſuum votum complendum convolare. Porro cum in laud. noſtra Decretali, & obligatio Epiſcopi de complendo ſuo Religionis amplectendæ voto proponatur, ac ſimul licentia eidem concedatur ad Religionem ſeſe conferendi, ibique profitendi, juxta interpretationem Cl. Sanchez loc. laud. inde patet laud. Decretalem eſſe intelligendam de Epiſcopo Gebennenſi, qui non ſolum electus fuerat ad eamdem Eccleſiam; ſed etiam illius Electio, a quibus oportebat, fuerat confirmata.

Q. VIII. *Num ille, qui votum emiſit de certa Religione amplectenda, eidem ſatisfaciat in aliam ingrediendo?*

R. Si ingrediatur Religionem mitiorem, ac laxiorem non ſatisfacit, ſed voti reus efficitur. Quia licet deflectendo ad mitiorem Religionem, poſtquam in ea profeſſus ſit, licite poſſit, priori voto non obſtante, in eadem permanere, cum per Solemnia Religionis Vota, priori Simplici a ſe edito jam ſit derogatum; hoc tamen non impedit, quin prioris voti violator exſiſtat. Hinc Canonicæ Sanctiones huic decernunt, poenitentiam eſſe imponendam, pro voto ſuo priori non impleto. *Cap.* Qui poſt 5. *De Regularibus* &c. *in 6.*

Si autem poſt emiſſum votum de ample-

plectenda aliqua Religione mitiori, ad auſteriorem, ac ſtrictiorem ſeſe poſtea conferat, ibique profiteatur, voti violator dici non poterit, nec eidem ulla pœnitentia eſt injungenda. Quia promiſſum non infringit, qui illud in melius commutat. *Cap.* Pervenit. 3. De Jurejurand. *Cap.* Scripturæ 4. *De Voto* &c. Vide Cajetanum in 2. 2. *D. Thom. Qu.* 189. *art.* 3. Et Gloſſam *in laud. Cap.* Qui poſt. Imo licet Religionem mitiorem jam profeſſus fuiſſet, ad arctiorem tamen adhuc ſe poſſe conferre, ſeu tranſire Canonica Inſtituta ei permittunt. *Cap.* Sane 10. Et *Cap.* Licet 18. *De Regularib.* Lege D. Thom. 2. 2. *Qu.* 189. *art.* 8. Natalem Alexandrum *Epiſt.* 64. In *Append. Variar. Epiſtolar.*

Q. IX. *Quomodo ſit intelligendum Cap.* Conſaldus, *ubi agitur de eo, qui votum Religionis emiſerat?*

R. Facti ſpecies, quæ in hoc *Cap.* 1. *Cauſs.* 17. *Qu.* 2. proponitur, hunc in modum contigiſſe naratur: Conſaldus ille Præſbyter infirmitate detentus, quodam die vi morbi cruciatus, atque oppreſſus Monachum ſe futurum promiſit, nec tamen Monaſterio, aut Abbati ſe tradidit; nec promiſſionem ſuam ſcripſit; ſed beneficium Eccleſiæ in manu advocati (h. e. Patroni) refutavit. At poſtquam convaluit, mox ſe Monachum negavit fieri.

Hac de re conſultus Romanus Pontifex Alexander II. qui Pontificatum geſ-

ſit ab anno 1061. uſque ad annum 1073. reſpondit: Conſaldum illum, de quo quærebatur, non eſſe Monachum reputandum, cum Regularia, ac Canonica Inſtituta interdicant, aliquem ante probationis annum Monachum effici. Quapropter mandat Pontifex, ut beneficia, atque altaria, quæ refutaverat, reciperet, haberet, ac quiete retineret. De vinculo autem voti, atque obligatione illud implendi, nihil ibi loquitur Pontifex, quaſi non eſſet eo ligatus, atque ad Religionem amplectendam addictus.

At non ita res ſeſe habebat; ſiquidem; Pontificem reſponſum præbuiſſe quæſtionibus ſibi propoſitis. Duo itaque quæſita fuerant a Pontifice 1. Num ex illa promiſſione facta eſſet Monachus reputandus, atque cogendus ut remaneret uti Monachus? Cui Pontifex reſpondit: non eſſe Monachum reputandum, cum nemo, juxta Canonica Inſtituta Monachus effici poſſit ſine probationis anno II. Num etiam valeret illa beneficiorum reſignatio facta in manibus advocati? Ac minime valuiſſe, ac nullius eſſe roboris reſpondit Pontifex. Etenim beneficii reſignatio juxta Canonicas Sanctiones facienda erat in manibus illius, cui jus competebat conferendi. *Cap.* Admonet. 4. *De Renuntiat.* licet, cum eſſet beneficium patronatum, reſignatio deberet etiam approbari a Patrono; alioquin etiam irrita fuiſſet; uti docet Cabaſſutius in

Sua

Sua *Theor. ac Prax. Jur. Can. Lib. II. Cap.* 12. *n.* 9. Quare, cum tunc temporis de obligatione Simplicis Religionis voti non ageretur, nec quæretur, inde eſt quod de ipſa nihil reſponderit laud. Pontifex. Neque inde tamen deducendum ipſum non fuiſſe adſtrictum ad ſuum votum complendum per Religionis ingreſſum. Quare inquit B. Thomas in foro Conſcientiæ fuiſſet ei conſulendum, ut dimiſſis omnibus Religionem fuiſſet ingreſſus, ut voti emiſſi obligationi ſatisfaceret. 2. 2, *Qu.* 189. *art.* 3. *ad* 1. Lege etiam Cajetanum in *laud. loc.* D. Thom.

Q. X. *Quodnam votum eſſet utilius, ac majus, votum nempe Religionis an vero Votum Peregrinationis Terræ S.?*

R. Majus eſſe, atque utilius votum Religionis, cum ſit perpetuum, quam Votum peregrinationis Terræ S. quod eſt tantum temporale. Hinc Alexander III, de eo loquens qui Votum hujuſmodi Peregrinationis emiſerat, ac poſtea illo non completo, ad Religionem ſeſe contulerat, hæc pronuntiat: *Nec reus fracti voti aliquatenus eſt habendus, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obſervantiam mutaſſe.* *Cap.* Scripturæ *laud.* Quod ſane multo magis locum habet noſtra ætate, cum jamdudum ceſſaſſet neceſſitas illa ſubſidiorum pro Terræ S. liberatione.

Præterea per ingreſſum Religionis homo conſequitur remiſſionem omnium pec-

catorum. Quare de intrantibus Religionem pronuntiatur in Vitis Patrum, quod eamdem conſequantur gratiam, ac conſequantur baptizati. Imo etiamſi per hoc non abſolverentur homines ab omni pœnae reatu, nihilominus ingreſſus Religionis utilior eſt, quam Peregrinatio Terræ S. quantum ad promotionem in bonum, quæ præponderat abſolutioni a pœna. D. Thomas *loc. laud.*

Q. XI. *Num in hujuſmodi voto ingrediendi Religionem diſpenſare poſſit commutando Confeſſarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ?*

R. Affirmat. Etenim cum ex formula conceſſionis Bullæ noſtræ tantum Vota Solemnia fuerint excepta, inde nullo negotio quivis per ſe deducere poterit, ac debebit, votum iſtiuſmodi Religionem ingrediendi poſſe a Confeſſariis in id electis virtute noſtræ Bullæ diſpenſari commutando; cum votum iſtud *promiſſivum* Religionis non inter Solemnia, ſed inter Simplicia connumeretur. Quod quidem, cum ſatis pateat tum reſponſionibus Eminentiſſimi noſtri Commiſſarii, tum ex iis, quæ fuſius diſputata fuere in Priori proxima Appendice diutius in eo immorandum nobis non eſt.

Illud autem, quod etiam plurimum valet ad rem magis illuſtrandam, hic prætermittere, ac ſilentio præterire animus minime eſt paſſus, quod mihi paucis abhinc diebus objiciebat Vir quidem mihi ami-

amiciſſimus, atque eruditiſſimus; nimirum formulam conceſſionis noſtræ Bullæ hac ratione intellectam, prout a nobis proponitur (Vide dicta in I. *Appendic.* §. 2. Q. 12.) continere inſignem Βαττολογίαν, ſive inanem verborum repetionem. Etenim cum in Votis Solemnibus exceptis contineantur Votum caſtitatis, ceteraque vota conſtitutiva Religionis, ſupervacanea omnino, atque inanis fuiſſet illa adjectio poſt exceptionem Votorum Solemnium; *Caſtitatis* nempe, *ac Religionis*. Unde concludebat, ut ab hac inani, atque puerili repetitione Scriptorem Bullæ liberemus, confugiendum omnino nobis erit ad illam emendationem per adjectionem voculæ *Ac*, quam propoſuit Auctor Opuſculi (*Luce fra le tenebre*) in hunc modum legendo formulam noſtræ Bullæ: *Exceptis tamen Votis Solemnibus* (Ac) *Religionis*, *&* *Caſtitatis*.

Propoſita iſthæc a Cl. Viro difficultas non levem, uti patet, præ ſe fert probabilitatem, cui ut occurratur, paucis rem expediemus. Dicimus itaque laudatam conceſſionis noſtræ formulam ita interpretando, uti jam ediximus, atque Eminentiſſimus noſter Commiſſarius intelligendam definivit, nullam præ ſe ferre inanem, atque ſupervacaneam verborum repetitionem, ſed uberioris explicationis gratia poſt Solemnium Votorum exceptionem adjecta fuiſſe illa verba: *Religionis*, *&* *Caſtitatis*. Siquidem nulla inanis, ac

ſupervacanea verborum repetitio apparet, cum dicitur, ut continetur in noſtræ conceſſionis formula: *Exceptis Votis Solemnibus Religionis, & Caſtitatis*; ſed tantum in ea elucet uberior, atque explicatior loquendi ratio, determinando exceptionem Votorum Solemnium per illas adjectas voces *Religionis, & Caſtitatis* ad Solemnia Religionis, & Caſtitatis. Et licet dicendo: *Exceptis tamen Votis Solemnibus* eadem omnino continerentur in exceptione, ac per adjecta verba *Religionis, & Caſtitatis* indicatur; nihil tamen prohibet, neque in eo peccare dicendus eſt Legislator, cum excipiendo Vota Solemnia, uberioris explicationis gratia dicat, atque ſignificet ſe inde excipere Vota Solemnia Religionis; ſiquidem ea Vota quæ in Solemni Religionis Profeſſione emittuntur, Solemnia ſunt tantummodo, ac nuncupantur. Neque porro novum, atque inauditum in Pontificiis Conſtitutionibus, quod hujuſmodi Vota Solemnia dicantur *Vota Solemnia Religionis*, qua loquendi ratione, ne fruſtra longius evagari cogamur, uſus eſt præ ceteris Sapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV. Conſtitutione, quæ incipit *Paterna Caritas* edita anno 1749. qua indulgentiæ Jubilæi Anni S. conceduntur pro Monialibus &c.

Quin imo ſi diligentius, ac penitius rem totam perſcrutari velimus, profecto deprehendemus adjectas voculas *Religionis*,

&

& Caſtitatis non ſolum minime redundare, aut inanem verborum repetionem præ ſe ferre, ſed potius jure merito ſervatam inibi fuiſſe exactiorem loquendi rationem, ac Sacris Canonibus conformem. Etenim quod vota emiſſa quacumque ratione etiamſi publice, aut in quibuſcumque Communitantibus fuerint emiſſa, numquam reputantur Vota Solemnia, niſi fuerint emiſſa in aliqua ex Religionibus per Apoſtolicam Sedem approbatis juxta notiſſimam Decretalem Bonifacii VIII. relatam in *Cap.* Unico *De Voto, & Voti Redemtione* (Lege Benedictum XIV. in Conſtitutione, quæ incipit. *Quamvis* §. 13. edita anno 1749.) hinc eſt, quod ad indicanda hujuſmodi Vota ſoleant uti Pontifices illa loquendi ratione *Vota Solemnia Religionis*, quam etiam loquendi rationem ſapientiſſime ſervandam curavit Scriptor noſtræ Bullæ. Eo vel magis, quod vox illa *Solemnis*, aut *Solemniter* ſignificat etiam *Publicus*, aut *Publice*, quod apertiſſime patet ex adducta Decretali, quam ad manus habemus.

Jam vero ſi accurata, atque exacta loquendi ratio expoſcebat, ut ad deſiſignanda Vota Solemnia in Religione per Apoſtolicam Sedem approbata emiſſa diceretur *Votis Solemnibus Religionis*; inde etiam patet, quod omnino adjungenda fuere verba illa: *Et Caſtitatis*. Quod niſi factum fuiſſet; inde quivis merito deducere potuiſſet Votum Caſtitatis emiſ-

ſum in ſuſceptione Ordinis Sacri poſſe commutando diſpenſari per formulam conceſſionis in noſtra Bulla adhibitam; cum ſolum inde excipiantur a prædicta conceſſione Votum Solemnia Religionis, aut in Religione emiſſa. Quapropter tantum abeſt, ut prædicta conceſſionis formula in noſtra Bulla adhibita poſſit inſimulari, aut accuſari alicujus vitii; quin potius, quiſquis vel leviter attenderit ad ea, quæ hactenus dicta ſunt, jure decernet illam rectiſſime procedere, rectoque nimis ſtare talo, ac loquendi rationem ſervare ſacris Canonibus conformem vel quam maxime. Quare qui hujuſmodi opiniunculam cum Siculo Scriptore, & laud. Auctore Opuſculi venditare geſtiunt, ac contra id, quod par eſt, Eminentiſſimi noſtri Commiſſarii apertiſſimas, ac germaniſſimas hac de re interpretationes nullius penſi ducunt, aut habent, monendi ſunt ne nimis urgeant hunc ſomniatum errorem, ac neceſſariam emendationem curandam in Formula laud. Bullæ noſtræ; quoniam periculum ineſt illis, ne hæc nimis urgendo reputentur velut hoſpites in Sacrorum Canonum lectione, imo ne a limine quidem illos ſalutaſſe

Quæ cum ita ſeſe habeant, ac difficultatibus omnibus, quæ ſive in formulam conceſſionis noſtræ Bullæ, ſive in interpretationem adhibitam ab Eminentiſſimo noſtro Commiſſario per moroſos Criticos ingeſtæ identidem fuere, cumulatiſſime

ſa-

ſatisfactum ſitum hic, tum alibi in Priori nempe Appendice, longius ablegata, ut oportet, opinione illa Auctoris Opuſculi (*Luce fra le tenebre*) qui cum Siculo Scriptore effinxerat Amanuenſium incuria errorem irrepſiſſe in laudatam conceſſionis formulam, eumque neceſſario emendandum per adjectionem voculæ. *Ac* firmiter inhæreamus ſapientiſſimæ interpretationi noſtri Eminentiſſimi Commiſſarii, de qua ſatis ſuperque in Priori Appendice, neque ab ea, prout par eſt, divelli umquam patiamur.

Q. XII. *Num ſit votum Religionis illud hac ratione emiſſum:* Voveo Religionem, ſi Deus aliud non diſpoſuerit, *indigeatque diſpenſari per facultatem noſtræ Bullæ, aliamve conſimilem?*

R. Affirmative. Etenim votum hujuſmodi, niſi aliud conſtet de voventis intentione, duplicem hunc præ ſe fert verborum ſenſum. Primus eſt iſte: *Voveo Religionem, niſi Deus ratione morbi, aut alterius obſtaculi ingreſſum impedierit;* atque hoc ſenſu obligat non exſiſtente eo impedimento. Alter vero eſt hujuſmodi: *Voveo Religionem, niſi Deus aliud, quod ſaluti voventis expedientius ſit, diſpoſuerit.* Qua in hypotheſi tenebitur iſte vovens prudentes, proboſque Viros conſulere, qui attenta inclinatione, aliiſque peculiaribus circumſtantiis dijudicent, expediatne ei magis Religionis ingreſſus; & ſi judicent magis expedire ei Religionis

nis ingreſſum, voti hujuſmodi vinculo tenebitur. Quare cum utrolibet modo ſtet obligatio hujuſmodi voti, ſi quis ab ejuſdem vinculo voti cupiat abſolvi, indigebit facultate noſtræ Bullæ, aliave conſimili. Vide Cl. Sanchez In *Decalog. Lib. IV. Cap.* 16. qui ibidem cenſet ceſſare hujus voti obligationem quavis harum cauſſarum deficiente; nempe, aut quia adeſt impedimentum, aut quia judicatur aliud magis expediens ſaluti voventis. Quia cum utrumque ſenſum ea verba admittunt, nec ſit potior ratio de uno, quam de alio, dum juxta utrumque conditionalem ſenſum non ſtat voti obligatio, præſumendum eſt potius in favorem libertatis voventis, utpote quæ poſſidet. Commune Probabiliſtarum principium. Illud tamen certum eſt, quod cum hujuſmodi votum ſit conditionatum, uti patet, ante conditionis eventum poſſe per facultatem ab Epiſcopo obtentam, etiam ſine præſidio Bullæ Cruciatæ S. in eo diſpenſari.

Q. XIII. *Quid dicendum ſit de voto Religionis hunc in modum emiſſo:* Promitto me ingreſſurum Religionem, ſi poſſum?

R. Hoc votum eſſe etiam conditionale, uti ſatis per ſe patet; ſenſus autem conditionis ex vi verborum, deducendus erit ex conjecturis, quando vovens neſciat mentem ſuam explicare. Quare ſi vovens carnis illecebris admodum vexetur, atque

va-

valde affectus ſit ad Matrimonium, ita intelligenda erit memorata conditio: *Si mediocri adhibita diligentia, & ſine magna difficultate potuero pravam illam animi propenſionem ſuperare.* Hinc ſi facile poſſit, vinculo voti tenebitur. Unde erit verum Religionis votum, a quo impleta conditione, ut quis liberetur, ad facultatem noſtræ Bullæ recurrendum ſibi erit, aut ad aliam conſimilem.

Illud autem recte monet laud. Sanchez *loc. cit.* conditionem illam appoſitam voto *Si poſſum*, non eſſe intelligendam de potentia phyſica, aut abſoluta morali, iſtis enim deficientibus nemo tenebitur ad votum, uti patet, ſed de potentia commode, & ſine magna difficultate implendi.

Q. XIV. *Num ſit verum Religionis votum, ac proinde obligatorium illud quod quis emitteret ſub hoc conditione:* Promitto me ingreſſurum hanc Religionem, ſi quam intravero.

R. Votum ea forma conceptum hunc præ ſe ferre verborum ſenſum: *Promitto me ingreſſurum hanc Religionem, ſi quam ingrediar, vel nullam aliam ab hac, vel niſi hanc; vel præter hanc.* Hujuſmodi autem eſſe verum votum, & validum; quia principaliter includit hoc bonum, quod eſt ingredi hanc Religionem, etſi non pure, ſed ſub conditione. Sanchez Laud. *Lib. IV. In Decalog. Cap. 8. n. 47.* Cum autem iſthæc conditio a libera vo-

ſa communiter recepta in *Leg.* In vendendis. *Cod. De Contrahend. Emtion.* Aliud eſt facere, aliud vero vero velle facere aliquid; ac proinde aliud ſeſe obligare ad faciendum, aliud ſe obligare ad volendum facere; hic autem, de quo in caſu propoſito ſe obligavit ad volendum duntaxat Religionis ingreſſum; h. e. ſe in animo id aliquando habiturum; quæ voluntas, quæ eſt illius voti objectum, cum bona ſit, obligabit votum ad habendam aliquando hanc voluntatem, illamque ſemel habendo ſatisfactum erit huic voto. Ita Sanchez *loc. cit. n.* 8. poſt Cl. Navarrum, qui etiam adjungit, quod hujuſmodi votum non obſtabit Matrimonio ineundo. Cum enim adhuc Matrimonio inito non ſit impoſſibilis Religionis ingreſſus aut de licentia uxoris, aut divortio perpetuo celebrato, poteſt etiam Matrimonio inito haberi hujuſmodi voluntas, atque hac ratione voto ſatisfieri. Item non erit votum Religionis votum nolendi in ſeculo vivere; quia hujuſmodi votum tantummodo obligabit ad non eliciendum hunc actum voluntatis: *Volo vivere in ſeculo*. Quare qui ſic voverit ſatisfaciet voto habendo ſe negative, nec eliciendo actum volendi in ſeculo vivere Sanchez ibid.

Q. XVII. *Num ſit verum votum Religionis votum moriendi in Religione?*

R. Affirmat. Neque enim poteſt quis in Religione mori, niſi in illam ingredia-

diatur. Imo recte docet Navarrus, quem ſequitur Sanchez, hujuſmodi votum eſſe votum perſeverandi in Religione, in eaque profitendi; ſecus enim non poſſet in Religione mori, quod per votum fuiſſe promiſſum in caſu propoſito ſupponimus. Illud autem hac de re dubitandum videtur; quo nempe tempore hujuſmodi votum obligabit ad Religionis ingreſſum, num ſcilicet aeque obliget, ac votum abſolute emiſſum ingrediendi Religionem, ut nimirum teneatur cum primum commode poſſit viri prudentis arbitrio; an tantum ad ingreſſum ante mortem. Qua quidem in re Cl. Sanchez hanc partem exiſtimat veriorem; ſcilicet hujuſmodi votum obligare ad ingreſſum intra tempus, quo poſſibilis ſit ingreſſus, ac Religioni utilis, ac ille, qui vovit vires habeat ad ſuſtinenda onera Religionis.

Q. XVIII. *Quid ſit dicendum hac in re de voto Vitæ Eremiticae, & Solitariæ?*

R. De hujuſmodi voto conſtare docet Sanchez, quod non ſit votum Religionis. Quia Eremitæ, aut nulla emittunt vota, aut Simplicia tantum, adeoque votum hujuſmodi Vitæ Eremiticæ, reputari non poteſt pro voto Religionis ad cujus eſſentiam omnino requiruntur tria conſueta vota ſolemnia *Cap.* ad Apoſtolicam 16. *De Regularib. Et Cap.* Cum ad Monaſterium 6. De *Statu Monach.* Quare nul-

la

la opus erit facultate Bullæ noſtræ Cruciatæ, ſed per ſolam poteſtatem factam diſpenſandi in votis non reſervatis, poterit illud, uti patet, remitti, ac relaxari. In eo tamen non modica difficultas occurrit, num ſcilicet obliget hujuſmodi votum; cum hoc genus vitæ conveniat contemplantibus, iis nimirum, qui jam perfecti ſunt; quare a ſeculari vita immeditate ad Eremiticam, & Solitariam tranſire ſine ſpeciali Dei inſtinctu eſt res periculoſiſſima, uti docet D. Thomas 2. 2. *qu.* 188. *art.* 8. At nihilominus Cl. Sanchez in eam partem magis inclinat, qua credit hujuſmodi Votum obligare, licet in eo ſit facilius diſpenſandum propter indicatas cauſſas.

Q. XIX. *Num voto Religionis emiſſo, eidem ſatisfactum cenſeatur ingrediendo aliquam ex Militaribus Religionibus?*

R. Negat. Etenim quamvis probabilius credatur Equites D. Jacobi, Calatravæ, atque Alcanteræ in Hiſpania eſſe veros Religioſos; uti docet Sanchez *Laud. Lib. IV. Cap.* 16. *n.* 11. & Cl. Thomaſinus In De *Nova & Veteri Eccleſ. Diſciplina Part. I. Lib. II. Cap.* 65. *n.* 7. (licet huic opinioni graviter obſiſtant Salmanticenſes *De Statu Religioſo Cap.* 1. *Punct.* 4. §. 2.), quamvis inquam probabilius credatur illos eſſe veros Religioſos; atque Equites D. Joannis, ſeu Melitenſes extra omnem dubitationis aleam inter veros Religioſos eſſe numerandos, utpote

qui

qui ſolemne caſtitatis votum ſufficiens ad dirimendum Matrimonium ratum emittant. (Qua de re legi poterit laud. Sanchez. In *De Matrimon. Lib. II. Diſp.* 18. *n.* 18.) nihilominus per ingreſſum in hujuſmodi Ordines Militares minime ſatisfieri prædicto Religionis voto dicimus. Quia communiter, qui vovent Religionis ingreſſum, intendunt promittere ſtatum viventium in communi, & alienum a tumultu, faſtu, ac curis ſecularibus. Secus tamen eſt dicendum de ingreſſu in Religionem Canonicorum Regularium; quippe qui eodem modo vivunt in communi, ſuntque veri Religioſi. Sanchez *Laud. Lib. IV. Cap.* 16. *n.* 12.

Q. XX. *Ad quid teneatur ille, qui vovit Religionem, ſi per facultatem Bullæ noſtræ nolit diſpenſari ab ea lege voti?*

R. Ille, qui abſolute vovit Religionem, ſi beneficio Bullæ Cruciatæ noſtræ, aut alterius conſimilis non fuerit ſolutus ab hujuſmodi voti vinculo, adſtringitur ratione voti ſincero animo ingredi Religionem, atque habitum ſuſcipere cum propoſito perſeverandi, ac permanendi, ſi Religionem ſibi conſentaneam experiatur. Ad rem itaque Angelicus Præceptor de hujuſmodi vovente Religionem abſolute, aut Religionis ingreſſum ita ratiocinatur. 2. 2. *qu. Ultim. art.* 4. *Obligatio voti ex voluntate procedit. In tantum ergo fertur obligatio voti, in quantum ſe extendit voluntas, & intentio vovendi. Si ergo vo-*

vovens intendit ſe obligare non ſolum ad ingreſſum Religionis, ſed etiam ad perpetuo remanendum, tenetur perpetuo remanere; ſi autem intendit ſe obligare ad Religionis ingreſſum cauſſa experiendi cum libertate remanendi, vel non remanendi, manifeſtum eſt, quod remanere non tenetur. Si vero in vovendo ſimpliciter de Religionis ingreſſu cogitavit, abſque eo, quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad Religionis ingreſſum ſecundum formam Juris Communis, quæ eſt, ut ingredientibus detur annus probationis, unde non tenetur perpetuo in Religione permanere. Id eſt ut durante probationis anno, qui ei a Jure conceditur *Cap.* Ad Apoſtolicam. 6. *De Regularib.* poſſit experiri, utrum Religio ſibi conveniat, necne. Quare ſi nulla juſta cauſſa intercedente e Religione egreſſus ad ſeculum redeat, veluti reus violati voti merito damnabitur. Locum hunc D. Thomæ idcirco retuli, quia paucis expedire videtur, quidquid fuſiori calamo proſequitur Cl. Sanchez laud. *Cap.* 16. *n.* 88. *& ſeqq.* & Paulus Layman De *Statu Religion. Cap.* 6. *n.* 12. *& ſeqq.*

Hinc jure merito Natalis Alexander *Epiſtol.* 16. in *Appendice*. 1. *Variar. Epiſtol.* Ad ſuam *Theolog. Dogmatic. & Moral.* veluti reum violati voti damnat quemdam Adoleſcentem, qui cum voviſſet Religionis ingreſſum & Regularem ha-

habitum ſuſcepiſſet juxta votum, faſtidio correptus poſt triduum ex mera inconſtantis animi levitate cucullum exuerat, atque ad ſeculum redierat. Digna lectu eſt laud. Epiſtola, quæ novis rationibus confirmat noſtram Reſponſionem. Plura etiam ſupereſſe videbantur, quæ in hanc rem diſputari poſſent. Sed noſtro propoſito inſtituto, ac laud. Decretali illuſtrandæ, hæc ſatis videri poterunt. Qui plura cupit adeat Cl. Sanchez. *loc. cit.*

Decretalis *X* I.

Decretalis iſthæc, quæ poſtrema eſt, atque agmen claudit in laud. tit. *De Voto* &c. eſt reſponſum Honorii III. ad quoidam Præpoſitos in Anglia, uti mox dicemus & refertur in *Cap.* Poſtulaſtis. 11, *laud. tit. De Voto* &c.

Honorius autem III. poſt Innocentium III. ad Romanam D. Petri Cathedram, Pontificiumque munus evectus anno 1216. Catholicæ Eccleſiæ clavum moderatus eſt annis ferme undecim, vitaque defunctus eſt anno 1227. Hic Pontifex Innocentii III. deceſſoris ſui veſtigiis inſiſtens, nihil tantopere curæ, ac cordi habuit, quam ut Sacram adverſus Saracenos Expeditionem pro liberatione Urbis Hieroſolymorum maximopere promoveret. De hoc quidem Pontifice, lege quæ in hanc rem per nos dicta fuere in noſtra *Synops. Hiſtoric. n. LII.* & LIII. uſque ad n. LIX.

Decretalis porro iſthæc inſcribitur, atque dirigitur ad Præpoſitos Sariſbarienſem,

ſem, & Bregadenſem, ſive Readigenſem in Anglia, uti hanc epigraphen legendam putat Cironius apud Gonzalez *In Not. ad laud.* Decretalem.

Q. I. *Qua occaſione edita fuerit præſens Decretalis?*

R. Cum memorati Præpoſiti Ordinem Regularem profeſſi poſtulaſſent Apoſtolico reſponſo edoceri; an ſcilicet ipſis Crucis vexillo aſſumto in ſubſidium Terræ Hieroſolymorum profecturis ad Sacrum iſtud Bellum, liceret viceſimam proventuum Eccleſiarum ſuarum deputatam Terræ S. ſubſidio, ſecum deferre; ut per illos proficeret ſubſidio illius Terræ, qui jam parati erant perſonas ſuas exponere pro ſervitio Jeſu Chriſti; præſertim cum multi ipſorum exemplo eſſent excitandi, ac ſecum convolaturi ad prælianda prælia Domini contra Gentes.

His autem hunc in modum reſpondit Pontifex: dummodo per illorum abſentiam graviſſimum atque enorme detrimentum ſuis Eccleſiis non eſſet importandum, ſeque utiles ipſi futuros ſubſidiis Terræ S. agnoſcerent tum verbo, tum exemplo, quod ſuæ conſcientiæ judicio ſedulo erat expendendum, atque idoneos procuratores ſuis in Eccleſiis dimittendos providerent, poterant, ac debebant Votum ſuſceptum Hieroſolymitanæ peregrinationis adimplere; atque hac ratione poterant in uſus ſuos expendere viceſimam Eccleſia-

ſiarum ſuarum ſubſidiis Terræ S. deputatam.

Q. II. *Quænam ſit iſthæc viceſima deputata ſubſidiis Terræ S.?*

R. Hujuſmodi impoſitionem ſive collectam exigendam, atque expendendam in ſubſidium Terræ S. quantum ex Eccleſiaſticis monumentis colligere potuimus, originem duxiſſe ex facto duorum Regum, Angliæ ſcilicet, atqne Galliarum non temere arbitramur. Etenim cum Saladinus 1187. Urbem Hieroſolymitanam expugnaſſet, atque Chriſtifidelibus iterum ereptam in ſuam redegiſſet poteſtatem; tam acerbo nuntio univerſa Europa commota, Clemens III. qui paulo poſt eodem anno 1187. in Pontificem fuerat electus, atque Chriſtiani Principes ardentioribus ſtudiis ad liberationem Hieroſolymorum incumbere coepere (Vide *Synops. Hiſtoric. num.* XXXIV. XXXV. XXXVI.) Inter Chriſtianos *Riccardus* Rex Angliæ qui Crucis etiam vexillum aſſumſerat Cenomanum, poſt conventum habitum cum Rege Galliarum, Cenomanum inquam Galliarum Urbem profectus præcepit, ut quiſque perdurante eodem anno 1188. decimam partem perſolveret ex omnibus ſuis redditibus, ac mobilibus in ſubſidium Terræ S. quæ cum impoſita fuiſſet ad pugnandum adverſus *Saladinum* appellata fuit *Decima Saladina*. Inde prolatis excommunicationum ſententiis adverſus eos, qui illam non ſolviſſent, deputati fuere Com-

Commiſſarii ad colligendam hujuſmodi decimæ ſolutionem. Angliæ Regis hac in re exempla conſectatus *Philippus* Rex Galliarum hoc idem in ſuo Regno præcepit, juſſitque hanc decimam ſolvendam, atque exigendam ante alia debita.

Poſtmodum vero anno ſcilicet 1198. Pontificatum iniens Innocentius III. cui ſummopere etiam cordi fuit Hieroſolymorum liberatio, cum optime noſſet, plurimos calumniari ſolitos hac in re Romanam Eccleſiam, propterea quod onera importabilia aliis in humeros imponere geſtiret, ipſa autem digito ſuo movere nollet; uti ajebat Chriſtus De Phariſæ s (apud *Matth. Cap.* 13.) hæc inter cetera juſſit, ut nimirum ab univerſo Clero ſolveretur Quadrageſima pars redituum Eccleſiaſticorum in ſubſidium Terræ S. ſemetipſum vero, ceteroſque Cardinalium damnavit ad ſolvendam decimam; uti narrat Cl. Fleuri *Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib.* 75. *n.* 6.

Demum anno 1215. in Concilio Lateranenſi IV. habito ab eodem Pontifice, atque ob hanc cauſſam potiſſimum convocato, cum in eo actum eſſet de Expeditionibus Crucee ſignatorum, atque de ſubſidiis, quam citius tranſmittendis pro liberatione Hieroſolymorum; hoc inde ea de re prodiit Decretum: *Cupientes autem alios Eccleſiarum Prælatos, necnon Clericos univerſos, & in merito, & in præmio habere participes, & conſortes, ex communi approbatione Concilii ſtatuimus,*

ut omnes Clerici, tam ſubditi, quam Prelati, viceſimam partem Eccleſiaſticorum proventuum, uſque ad triennium conferant in ſubſidium Terræ S. per manus eorum, qui ad hoc Apoſtolica fuerint providentia ordinati, quibuſdam duntaxat Religioſis exceptis, ab hac prætaxatione merito eximendis; illis ſimiliter, qui aſſumto vel aſſumendo Crucis ſignaculo ſunt perſonaliter profecturi. Nos autem, & Fratres noſtri S. Rom. Eccleſiæ Cardinales plenarie Decimam perſolvemus; ſciantque ſe omnes ad hoc fideliter obſervandum per excommunicationis ſententiam obligatos; ita quod illi, qui ſuper hoc fraudem ſcienter commiſerint, ſententiam excommunicationis incurrant. Hæc eſt igitur viceſima pars Eccleſiaſticorum proventuum deputata ſubſidio Terræ S. quam memorati præpoſiti petierant ab Honorio III. uti patet ex hac Decretali, ut liceret eis illam ſecum deferre, atque in ſuos uſus expendere; ipſis profecturis in ſubſidium Terræ S.

Hujuſmodi autem contributiones, ſive Collectæ in tertia Hieroſolymitana Expetione primum imperatæ, non ſolum ab Innocentio III., uti jam vidimus, ſed etiam ſubſecutis ætatibus a poſterioribus Pontificibus ſæpe ſæpius pro re nata, ac neceſſitate poſtulante iteratæ fuere (lege Cl. Fleuri *Diſcorſ. VI. Sop. la Storia n. 7.*) In Concilio Vienneſi ſub Clemente V. in quo & Expeditio Cruce ſignatorum pro

pro liberatione Terræ Hieroſolymorum etiam decreta fuit (Vide *Synops Hiſtoricam n. LXXVII.*) imperata fuit decima omnium bonorum, atque juſſa fuit ſex annorum ſpatio perſolvenda. Atque hinc veroſimiliter, ut creditur orta fuit Conſtitutio Eccleſiaſtica relata in *Clement. De Decimis. Cap.* Si beneficiorum 2. ubi interdicitur, ne decimæ exigantur tanto rigore, uſque ad occupationem, detentionem, atque alienationem Calicum, librorum, ac aliorum ornamentorum ſacrorum, quæ Divinis officiis fuerant deputata.

Illud etiam hac in re non eſt ſilentio prætereundum; quod Gregorius X. anno 1275. hujuſmodi contributiones ſive Collectas extendit ad quoſcumque fideles utriuſque ſexus, ac cujuſcumque coditionis, quos juſſit in ſingulam hebdomadam unum ſaltem denarium conferre in expenſas neceſſarias hujuſce tanti Belli pro ſubſidio Terræ S.

Q. III. *Num Votum hujuſmodi a memoratis Præpoſitis emiſſum, ab illis eſſet complendum, ſi Eccleſiæ ex illorum abſentia graviſſimo eſſent damno afficiendæ?*

R. Quæſtionem hanc movent, atque inducunt ipſa Pontificis verba in laud. Decretali; etenim cum declarat illos adſtringi ad complendum Votum ſuſceptum, hanc inter alias adpoſuit conditionem: dummodo inquit Pontifex: *per abſentiam veſtram Eccleſiæ veſtræ enormiter non lae-*

dantur. Unde concludendum erat, quod ſi ex illorum abſentia ipſorum Eccleſiis graviſſimum, atque enorme damnum eſſet inferendum; illos hac in hypotheſi non eſſe adſtrictos ad Voti emiſſi exſecutionem. Quandoquidem, ut unanimi conſenſu docent Theologi, voti obligatio per ſe ceſſabit abſque ulla irritatione, aut diſpenſatione, quoties per mutationem materia facta eſſet, aut impoſſibilis, aut illicita, aut indifferens, aut impedimentum majori bono eſſet allatura. Etenim *obligatio extinguitur, ſi inciderit in eum caſum, a quo incipere non poſſet* Leg. Pluribus. 140. §. Et ſi placeat. *ff. De Verbor. Obligat.* Sed in allatis circumſtantiis Votum Peregrinationis non potuiſſet valide emitti. Ergo illis ſupervenientibus, aut aliqua illarum, Voti obligationem extingui perſpicuum eſt. Nuncupatio enim votorum hanc excipit ex ſe conditionem neceſſariam; ſcilicet dummodo materia, aut res promiſſa non fiat impoſſibilis, aut de jure, aut de facto. Lege Suareſium *Lib. IV. De Obligat. Voti Cap.* 19. *tom.* 2. *De Relig.* Paulum Layman *In De Voto Cap.* 8.

Idem quoque dicendum ſi materia voti ſit, aut facta fuerit inutilis. Quapropter Pontifex diſſertiſſimis verbis in adſerenda, ac declaranda obligatione exſecutionis Voti emiſſi, hanc etiam adpoſuit conditionem. Et *vos utiles fueritis Terræ Domini verbo, & exemplo*.

De-

Decretalis XII.

Decretalis iſthæc, quæ incipit *Poſt miſerabile* refertur in *tit. De Uſuris*; in ea ſiquidem agitur de exſolvendis Cruce-ſignatis ab obligatione præſtandi uſuras, ad quas ſolvendas juramenti religione ſe obſtrinxerant; uti mox fuſius dicemus. Iſthæc Decretalis eſt ejuſdem Innocentii III. atque ſatis prolixa eſt, ac plurimum facit ad noſtrum propoſitum argumentum illuſtrandum. At quoniam B. Raymundus De Pennafort in ſua Collectione pauciſſima tantummodo verba ex illa delibavit; h. e. illa tantum, quæ reſpiciebant Judæos Uſurarios, in ea referenda ſequemur Cl. Gonzalez, qui illam intergram exhibet, quod etiam in ſuperioribus Decretalibus referendis præſtitimus.

Q. I. *Qua occaſione edita fuerit præſens Decretalis Epiſtola?*

R. Poſt ingentem illam Chriſtianorum calamitatem in Oriente, cum Hieroſolymitana Civitas Chriſtianorum e manibus iterum erepta Barbarorum tyrannidem iterum ſubire coacta eſt, Romani Pontifices Gregorius VIII. Clemens III. Cœleſtinus III. totis viribus, totoque pectore connixi fuere, ut excitarent Chriſtianos Principes, ceteroſque fideles ad vindicandas injurias Chriſto, ejuſque adorandæ Cruci illatas, atque ad afferendas ſuppetias fratribus laborantibus in ſummo diſcrimine (lege *Synopſ. Hiſtor. n. XXXIV.* uſque ad XL.) In hoc autem tanto negotio maxi-

me omnium ad laboraſſe, ceteroſque Pontifices ſuos deceſſores ſuperaſſe viſus fuit Innocentius III. qui univerſæ ſuæ auctoritatis pondus, ac vim omnem ſuæ eloquentiæ in id contulit. quo comparatis Sacris Cruce ſignatorum Expeditionibus, rebus Latinorum in Oriente magis magiſque in dies labentibus præſentiſſimam opem afferret. Hinc ineunti Pontificatum prima ei prope cura fuit, ut id perficeret, quod ſibi fuerat præcipue propoſitum. Quare eodem anno 1198. graves, atque efficaciſſimas literas quaqua verſus per univerſas Europæ Provincias direxit, quibus, veluti quodam bellico claſſico univerſos ubique Chriſtifideles exciret ad prælianda prælia Domini (Vide *laud. Synops* n. XL. & deinceps). Ex hiſce itaque litteris extracta eſt præſens Decretalis.

Q. II. *Quid inſigne ergo in illa contineatur?*

R. Cum ſatis prolixa ſit, uti monuimus iſthæc Decretalis, illam per ſumma capita præſtringemus.

I. Itaque laudatiſſimus Pontifex ingentem Chriſtiani populi cladem, expugnationem Urbis Hieroſolymitanæ a Saladino Soldano Ægyptio factam commemorat, cujus adhuc recens erat memoria (vix enim ab illa undecim annorum ſpatium effluxerat) illorum atrocitatem atque indignitatem Sacrarum Litterarum ora-

oraculis maxime uſus, fidelium ob oculos ponit, ac multis deflet.

II. Barbarorum voces inſultantium Chriſtianæ pietati, atque irridentium irritos conatus potentiſſimorum Chriſtianorum Principum refert.

III. In memoriam revocat quid acciderit Chriſtianorum copiis in tertia illa Hieroſolymitana Expeditione, cum accepto nuntio de immatura Friderici Romanorum Imperatoris morte, Teutonici veluti fugæ ſeſe dantes, conſcenſis præpropere navibus, reditum in patrias ſedes feſtinarunt (lege *laud. Synops. n.* XXXV.).

IV. Sapientiſſimis rationibus, atque efficacioribus verbis hortatur, allicit, atque omnes provocat ad hoc Sacrum Bellum pro Religionis honore, pro Crucifixi gloria capeſſendum; ne illud detrectantes Divinam ſubeant offenſionem.

V. Ut reliquos omnes ſuo poſſet ipſe exemplo anteire, narrat ſe duos ex fratribus Rom. Eccleſiæ Cardinalibus ſuis manibus Crucis inſignibus condecoraſſe, qui ipſius Roman. Eccleſiæ ſtipendiis ac ſumtibus militarent, ceteroſque tum verbo, tum exemplo hac in re præcederent.

VI. Demum proficiſcentibus ad hoc Sacrum Bellum, aut adjutrices manus illi præbentibus, ſpirituales Indulgentiarum fructus ampliſſimos pollicetur, atque impertitur. Ipſorum proficiſcentium bona, ac

perſonas in Romanæ Eccleſiæ fidem, ac tutelam ſeſe recipere profitetur. Eoſdem præterea a vinculo juramenti præſtandi uſuras promiſſas a creditoribus exolvendos per cenſurarum comminationem jubet, aut a præſtandis uſurarum ſolutionibus, etiamſi ad illas jurejurando ſeſe adſtrinxerint, Pontificia auctoritate abſolvit, atque ad ſolutas uſuras iiſdem Cruce ſignatis reſtituendas per Eccleſiaſticas cenſuras, qui eas extorſerint, decernit eſſe cogendos. Ac demum ad remiſſionem uſurarum Cruce ſignatis faciendam Judaeos quoque compellendos jubet per denegationem omnimodæ communionis cum Chriſtianis tam in mercibus emendis, venundandiſque, quam aliis in rebus.

Hæc eſt itaque ſumma eorum, quæ ad rem noſtram ſpectantia potiſſimum occurrunt in hac inſigni Decretali; cujus aliquæ partes nobis elucidandæ, atque illuſtrandæ ſuperſunt.

Q. III. *Num uſurarum ſolvendarum pactio dubitori obligationem inducat?*

R. Negative. Idque certiſſimum exploratiſſimum, atque extra omnem dubitationis alam reponendum eſt; ut cuique probe compertum eſt. Quod profecto confirmant *Cap.* Ex adminiſtrationis. 1. *Cap.* Debitores 6. *Cap.* Ad noſtram 7. *Cap.* Ad noſtram 20. *De Jurejurand. Cap.* Significante 7. *De Pignorib.* Aliaque jura innumera, atque unanimi conſenſu edocent Theologi.

Q. IV.

Q. IV. *Quid ſi de uſuris ſolvendis juramento cautum ſit Creditoribus?*

R. Hac in hypoteſi eſſe ſolvendas uſuras decernit Alexand. III. in celebri *Cap.* Debitores 6. *De jurejur.* Et recte quidem; etenim omne juramentum ſervandum religioſe erit, quod neque in diſpendium animæ ſalutis, neque in præjudicium cedat proximi *Cap.* Cum contingat. 28. *De Jurejur.* Quod patet in uſuris, quæ cum fuerint juramento promiſſæ, & ſolventur, nullam afferunt turpitudinem ex parte promittentis.

Q. V. *In quo ergo repoſitum eſt hujuſmodi privilegium conceſſum Cruce-ſignatis?*

R. In eo ſcilicet eſſe reponendum, quod cum uſuræ promiſſæ ſint propter jurisjurandi religionem ſolvendæ (. Etenim qui illas ſe ſoluturos juraverint, cogendi ſunt Domino reddere juramentum ſuum, ut ſcilicet creditoribus ſolvantur. Laud. *Cap.* Debitores) iis autem, qui Crucem accepiſſent in ſubſidium Terræ S. profecturi, aut profecti, creditores illorum cogebantur per Eccleſiaſticas cenſuras juramenta de ſolvendis uſuris remittere. Adeo quidem, ut relaxato illis vinculo juramenti, immunes fiebant ab illis præſtandis; quippe qui ad illas ſolvendas propter ſolam jurisjurandi religionem adigebantur: Huc etiam facit *Cap.* Ex adminiſtrationis. 1. *De Jurejurand.* juxta Collectionem Cl. Gonzalez, in quo pariter agitur de com-

pellendis per comminationem excommunicationis Creditoribus ad relaxanda juramenta ſibi præſtita de uſuris ſolvendis, præſertim in favorem illorum, *qui ſe, vel auxilium dederint ad ſuccurſum Terræ Hieroſolymitanæ præſtandum*.

Q. VI. *Utrum quandoque hujuſmodi Crucem ſuſcipientes Eccleſiaſtica auctoritate exſolverentur a juramenti debito de præſtandis uſuris?*

R. Affirmative. Etenim licet in laud. *Cap. Poſt* miſerabile. *De Uſur.* agatur ſolum de creditoribus compellendis per Eccleſiaſticam auctoritatem ad relaxanda juramenta debitoribus de uſuris ſolvendis; in aliis autem Pontificiis Conſtitutionibus etiam pertinentibus ad Expeditiones Cruce-ſignatorum, iidem debitores Eccleſiaſtica auctoritate pro ſuſceptæ Crucis labore exſolvebantur a juramenti debito, ne vi illius tenerentur uſuras præſtare. Vide Bullam, quam pro Expeditione Terræ S. edidit Eugenius III. ex qua partem huc pertinentem refert Cl. Gonzalez *In Not. ad Cap. 1. De Jurejur.* Et etiam Bullam Innocentii III. quam edidit paulo ante Concilii Lateranenſis celebrationem, quamque ſummatim refert Cl. Fleuri. *Hiſtor. Eccleſ. Lib. 77. n. 17.*

Q. VII. *Num ſecluſo hujuſmodi privilegio Cruce-ſignatorum poſſint, ac debeant creditores, etiam per excommunicationis ſententiam compelli ad relaxationem juramenti de ſolvendis uſuris?*

R.

R. Affirmative. Idque luculentiſſime patet ex laud. *Cap.* Ex adminiſtrationis. *De Jurejurand.* ubi Gregorius VIII. non vero III. uti rectiſſime docet Cl. Gonzalez *In Not. ad laud. Cap.* mandat Ordinariis locorum: quatenus creditores ipſos ad juramenta ſuper uſuris ſolvendis præſtita relaxanda, ſublato contradictionis, atque appellationis obſtaculo, diſtrictionis Eccleſiaſticæ ſeveritate cogerent. Atque id quidem in odium fœneratorum, & criminis fœnerationis.

Quare B. Raymundus, cui in ſua Decretalium Collectione propoſitum ſolummodo fuerat ex Summ. Pontificum epiſtolis, regulas quaſdam ac canones excerpere, quibus uterentur Judices Eccleſiaſtici in cauſſarum diſcuſſione, & Chriſtifideles ad ſuam vitam recte componendam, detraxit ex hac Decretali ea verba, quæ Cruce-ſignatos reſpiciebant; cum ex hac peculiari cauſſa, ac privilegio inde conceſſo, generalis regula deduci non poſſet; atque ea tantum in ſua Collectione retulit, quæ modo attulimus in reſponſione ad propoſitam quæſtionem.

Hinc lux affunditur, atque aditus nobis patet ad explicandam Decretalem Urbani III. relatam in *Cap.* Conſuluit. 10. *De Uſur.* quæ ſapientiſſimis noſtræ ætatis Viris propoſita, merito dificillima viſa fuit. Quæſitum fuerat ab Urbano III. an uſurarius eſſet judicandus ille, *qui ut vulgo dicitur, non alias parabolam juramenti*

conceſſit, donec, quamvis ſine exactione, emolumentum aliquod inde (h. e. ex mutuo) *percipiat*. *Etenim Parabola juramenti*, uti vulgo dicebatur, non aliud mihi videtur ſignificare, quam relaxationem juramenti, quam concedere nolebat creditor, donec emolumentum ex mutuo conſequeretur; quem proinde uſurarium eſſe habendum declarat laud. Urbanus. Quæ ſane explicatio optime quadrat cum propoſito Urbani, uti patet recte expendenti. At de hoc alibi fuſius, ſi Deus dederit.

Q. VIII. *Num etiam Judæi cogi poſſint, ac debeant ad remittendas Chriſtianis uſuras?*

R. Agitur etiam in allata Decretali *Poſt miſerabile*. de Judæis compellendis ad remittendas fidelibus Cruce-ſignatis uſuras, etiam per denegationem omnimodæ civilis communionis; uti jam retulimus. Et id recte quidem; ſiquidem uſuræ cum ſint Juri Naturali contrariæ, ab eoque prohibitæ; quippe quæ tollunt æqualitatem Naturali Lege neceſſario ſervandam in contractibus, Judæi illas exercentes, atque Naturale præcipue Jus hac in re violantes, poterunt ab Eccleſiaſtico, ac Sæculari judice puniri, ac debitis poenis cogi ad illas reſtituendas. Vide Cl. Gonzalez. *Commentar. in Cap.* Poſt miſerabile. *De Uſur.* Huc etiam conferendum eſt *Cap.* Quanto 18. *De Uſur.* quod Lateranenſis Concilii IV.

IV. Decretum nobis exhibet; in quo Judæi a ceteris Chriſtifidelibus graves, immoderataſque uſuras extorquentes, plecti etiam jubentur per denegationem civilis communionis, præcipiendo etiam Chriſtianis per Eccleſiaſticam cenſuram, ut ab illorum commerciis abſtineant, donec competenter de uſuris ſatisfecerint. Et licet hic agatur de Judæis exercentibus *graves, immoderataſque uſuras*, attamen inde non deducitur minores illis fuiſſe permiſſas; ſed Civilem poteſtatem debitis poenis inſectari illa crimina, quæ magis adverſantur civili ſocietati.

Q. IX. *Quænam ſint poenæ adverſus Uſurarios in Jure decretæ; & num Confeſſarius electus virtute Bullæ Cruciatæ noſtræ aliquid præſtare in illis remittendis poſſit?*

Canonicam Auctoritatem in crimen Uſurarum ipſis Gentibus vel Naturali tantum lumine illuſtratis inviſum, ab iiſque variis legibus reprobatum gravibus poenis animadvertiſſe notior res eſt, quam ut monitore indigeat. Illas tamen hic ordine recenſeri inſtituti noſtri ratio poſtulat; ut inde expedire recte poſſimus, num privilegia per Bullam Cruciatæ nobis conceſſa aliquid prodeſſe nobis poſſint ad illas remittendas, ac relaxandas.

Uſurarii autem, qui hiſce pœnis ſubjiciantur, non ſunt, niſi Uſurarii *Manifeſti*. Dicuntur autem Uſurarii *Manifeſti*, *ſive Notorii*, illi primo, qui ita palam

exercent uſuras, ut ipſa operis iniquitas eos Uſurarios publice demonſtret, & nulla tergiverſatione celari poſſit, eos uſurariam artem exercere juxta textum in *Cap.* Evidentia. 9. *De Accuſationib.* atque ibi tradita a Cl. Gonzalez. Et *Cap.* Uſurarum. 1. *De Uſuris in 6.* Secundo dicuntur atiam *Manifeſti* Uſurarii, qui in Judicio confeſſi ſunt crimen uſuræ; talis enim confeſſio in Jure rem facit manifeſtam, & notoriam *Cap.* Veſtra. 7. & *Cap.* Quæſitum. 10. *De Cohabitat. Cleric. & Mulier.* Tertio demum dicuntur Uſurarii *Manifeſti* qui ſententia Judicis tales declarati fuere laud. *Cap.* Veſtra, & *Cap.* Quæſitum. & Gloſſa Verb. *Manifeſtos*. Poenæ itaqne ſtatutæ contra hujuſmodi Uſurarios ſunt.

I. Sunt infames in utroque Jure. *Leg.* Improbum fenus 20. *Cod. Ex quibus cauſſis irrogatur infamia.* Et *Cap.* Inter 11. *de Exceſſib. Prælatorum*. Atque inde fiunt irregulares, atque inhabiles ad Officia, & Beneficia Eccleſiaſtica.

II. Privantur communione Altaris; h. e. Euchariſtica Sacramenti perceptione, atque etiam Eccleſiaſtica Sepultura, ſi in hoc peccato deceſſerint, nec illorum oblationes recipi poterunt. *Cap.* Quia 3. *De Uſuris.* donec tamen reddantur, quæ tam prave, atque inique receperant. *Cap.* Cum tu. 5. *De Uſuris.*

III. Non poſſunt abſolvi, donec de Uſuris ſatisfecerint, aut idoneam cautionem

nem dederint. *Cap.* Quamquam 2. *De Uſuris.* in 6.

IV. Irritantur eorum teſtamenta, niſi prius reipſa ſatisfecerint, aut ſufficientem ſaltem cautionem præſtiterint, laud. *Cap.* Quamquam. Licet Jure Decretalium Gregorii IX. Uſurariorum teſtamenta, quamvis de uſuris nec ſatisfeciſſent, nec ad ſatisfaciendum idoneam præſtitiſſent cautionem uſque ad ætatem Bonifacii VIII. valida fuerint, & firma, neque ea de cauſſa ſui roboris firmitate carebant. Uti apertiſſime conſtat ex *Cap.* Tua nos. 9. *De Uſur.* Lege etiam Cl. Gonzalez *In Notis ad laud. Cap.*

V. Contra Clericos, ſi moniti non deſiſtant ab hujuſmodi crimine decernitur ferenda ſuſpenſio ab officio, ac Beneficio. Contra Laicos vero poena excommunicationis inferenda decernitur uſque ad condignam ſatisfactionem. *Cap.* Præterea 7. *De Uſur.*

VI. Qui Uſurariis manifeſtis, ſed alienigenis ad fenus exercendum vel domos conducant, aut conductas habere permittunt, ſi ſint Epiſcopi, Archiepiſcopi Patriarchæ, incurrunt pœnam ſuſpenſionis ipſo facto; ſi vero ſint ſigulares Perſonæ minores, pœnam excommunicationis; ſi demum fuerit Collegium poenam interdicti ipſo facto incurrunt. *Laud. Cap.* Quamquam.

VII. Demum Judices, aliique hujuſmodi compellentes ad ſolvendas Uſuras, aut vetantes ne ſolutæ repetantur, ſunt ipſo

facto excommunicati. *Clement. Unica de Uſur.*

Hiſce itaque opportune delibatis, ut internoſcere quivis poſſet, quaſnam hujuſmodi poenas Confeſſarius electus virtute Bullæ Cruciatæ valeat remittere, variis adſertionibus univerſam hanc rem definiendam aggredimur.

Dico I. *A nota infamiæ, quæ incurritur ob crimen Uſurarum liberare non poteſt Confeſſarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ.*

Hæc adſertio ſatis evidens videtur, ac breviter ita etiam probari poteſt. Infamia, quæ dicitur *Juris* non aboletur, neque aufertur niſi per diſpenſationem Principis; h. e. per diſpenſationem Summi Pontificis in ordine ad effectus Canonicos; etenim abolitio illius, eſt quædam relaxatio a poena ſtatuta contra præſcriptum Juris. Sed hujuſmodi eſt infamia iſthæc, quæ contrahitur propter crimen Uſurarum juxta laud. Conſtitutionem Diocletiani, & Maximiani Imperatorum *Leg.* Improbum Fenus. 20. *Cod. Ex quibus cauſſis* &c. Hujuſmodi etiam infamiæ notam ipſo jure, ipſo facto, & ante Judicis ſententiam contrahi docuere complures tum Theologi, tum Juris Conſulti. Lege Layman in *De Irregularitatib.* Et Cl. Cothofredum in laud. *Leg.* Quare nequibit Confeſſarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ illam abolere; cui nulla diſpenſandi poteſtas facta eſt.

Præ-

Præterea poteſtas conceſſa Confeſſariis electis virtute Bullæ Cruciatæ extenditur tantummodo ad peccatum Summo Pontifici reſervatum. Sed iſthæc infamiæ nota licet propter crimen fuerit contracta, ipſa tamen per ſe peccati reatum non affert, neque conſtituit. Quare a Confeſſariis electis virtute noſtræ Bullæ hujuſmodi nota abſtergi non poterit. De quibus recte illud Gelaſii Pontificis uſurpari poterit. *Quamquam animas per pœnitentiam ſalvare poſſimus, infamiam tamen abolere non poſſumus*. Apud Gratianum in ſuo Decreto *Cauſs.* 2. *q.* 3. *Cap.* Euphemiam 7.

Infamia iſthæc, ut & ceteræ hujuſmodi, ut omnibus probe compertum eſſe debet, inducit etiam notam irregularitatis, atque inhabilitatis ad omnia Officia, ac Beneficia Eccleſiaſtica; *cum perſonis vitibus, & indignis portæ dignitatum patere non debeant*; uti rectiſſime decernit Innocentius III. in *Cap.* Inter Dilectos. 11. *De Exceſſib. Prælator.* ubi agebatur de Clerico manifeſto Uſurario. Pro hac autem irregularitate, ſive inhabilitate remittenda, ſeu relaxanda neque quidquam juris competere poſſe Confeſſariis noſtratibus virtute Bullæ Cruciatæ electis, & ſatis per ſe conſtat, & ſæpius per nos antea probatum fuit.

Dico II. *Poteſtas abſolvendi nobis per Bullam noſtræ Cruciatæ conceſſa, pro relaxandis, ac remittendis pœnis privationis*

Ec-

Eccleſiaſticæ Sepulturæ, Euchariſticæ Communionis, atque ut oblationes ab Uſurario factæ non recipiantur, aut non ſufficit, aut inutilis eſt.

Hujuſmodi poenæ adverſus Uſurarios manifeſtos decretæ fuere in Concilio Lateranenſi III. anno 1199. ſub Alexandro III. cujuſmodi decretum refertur nobis in *Cap.* Quia in omnibus, 3. *De Uſuris*. Cum autem recenſitæ iſtae poenæ impoſitæ fuerint Uſurariis donec pro viribus ſuarum facultatum ſatisfecerint; ſive ut explicat idem Alexander III. in *Cap.* Cum tu, 5. *De Uſur. ſcilicet donec reddatur, quæ tam prave receperant*; inde profecto conſequitur, quod ſi hujuſmodi Uſurarii jam ſatisfecerint ſuæ obligationi reſtituendo lucra Uſurarum tam inique parta, atque extorta, ab hujuſmodi recenſitis poenis immunes evadent, ac liberi. Etenim cum ſint poenæ mere vindicativæ in poenam criminis Uſurarum impoſitæ dependenter a memorata conditione, poſtquam jam obtemperatum fuerit impoſitæ conditioni, poenæ hujuſmodi ceſſare per ſe debent; quod nullus credo inficias ire poterit; ac proinde facultas per Bullam Cruciatæ nobis conceſſa in hac hypotheſi inutilis erit, ac ſupervacanea.

Si autem prædictæ conditioni nondum ſatisfactum ſit, & quidem culpabiliter, tunc ad hujuſmodi poenas relaxandas, ac remittendas ſatis non erit poteſtas nobis con-

conceſſa per Bullam noſtræ Cruciatæ. Etenim, præterquam quod nobis tantummodo in peccata Summo Pontifici reſervata per Bullam noſtræ Cruciatæ facta ſit poteſtas; præterea ſolvere ab hujuſmodi poenis, cum nondum obtemperatum ſit conditioni per legem impoſitæ, contra præſcripta Canonum, eſt mera, ac vera diſpenſatio, uti patet. Quare ad hujuſmodi pœnas relaxandas nihil prodeſſe poterint privilegia Bullæ Cruciatæ S. nobis conceſſa.

Dico III. *Nec ab illa ſuſpenſione in quam incurrit Clericus, corpus Uſurarii ſepultura donans, aut accipiens ab hujuſmodi oblationes, poterit abſolvi per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ.*

Suſpenſionem hujuſmodi ab Officio ſtatutam adverſus prædictos Clericos invenies in prædicto Concilio Lateranenſi III. laud. *Cap.* Quia in omnibus. quæ quidem impoſita fuit cum hac adjuncta conditione, *donec ad arbitrium ſui Epiſcopi ſatisfaciat ab officii ſui maneat executione ſuſpenſus.* Porro licet in Priori Appendice per nos probatum fuerit per facultatem Bullæ noſtræ poſſe etiam remitti, ac relaxari cenſuras ſuſpenſionis; nihilominus pro iſthac ſuſpenſionis ſpecie relaxanda non proderit facultas nobis conceſſa per Bullam noſtræ Cruciatæ. Etenim poteſtas nobis facta ad abſolvendos Caſus Summo Pontifici reſervatos, non extenditur ad hujuſmodi reſervatos cum conditione, quan-

do

do conditioni obtemperatum non ſit, niſi ſpeciatim in conceſſione id fuerit expreſſum; aut in ea adſit ſpecialis derogatio hujuſmodi Conſtitutionum. At ſi impoſita conditio jam fuerit expleta, & pro hujuſmodi jam ſatisfactum ſit ad arbitrium Epiſcopi, arbitror Confeſſarium electum per virtutem dictæ Bullæ noſtræ Cruciatæ poſſe abſolvere ab hujuſmodi ſuſpenſione; atque hoc mihi tutius, ac probabilius; quidquid contra ſentiat Bonacina cum aliis In *De Suſpenſion. Diſput.* 3. *Punct. Ultim.* §. 4. *n.* 1. qui docent hujuſmodi ſuſpenſiones latas ſub conditione, donec ſatisfactum ſit, ſatisfactione exhibita, & completa ceſſare.

Idem multo magis dicendum erit de illa excommunicatione, quam incurrunt illi, qui Uſurarium manifeſtum ſcienter ſepelire præſumerent; quandoquidem & iſti excommunicationi ipſo facto ſubjacere jubentur, donec ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi ſatisfactionem exhibuerint competentem. Quare & iſti ante exhibitam ſatisfactionem abſolvi non poterunt a Confeſſariis electis virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ; exhibita vero ſatisfactione ad arbitrarium Epiſcopi, abſolvi iſtiuſmodi poterunt, ac debebunt. Vide Vivam in *Prop.* 44. damnatam ab Alexandro VII. *Quoad forum conſcientiæ Reo correcto* &c. Atque hæc apertiſſime videtur eſſe ſententia Eximii Suareſii, dum ait quod ſenſus iſtiuſmodi condionum eſt: *Ut ante illam*

illam expletam non tollatur (cenſura nempe) *poſtea vero tolli debeat non ipſo facto , ſed per abſolutionem . In De Cenſur. Diſp.* 19. *ſect.* 2.

Quinam porro iſti ſint , qui tradentes Uſurarium manifeſtum ſepulturæ incurrant memoratam excommunicationem , inquirunt Theologi , ac Canonum Interpretes . Gloſſa in *Clementinam* laud. Verb. *Sepelire* plurimas hac de re dubitationes proponit , ad quas reſolvendas opus eſſe dicit potius auctoritate Legislatoris , quam Gloſſatoris interpretationibus , aut opinionibus . Qua quidem in re mihi præ ceteris placet ſententia Leſſii , qui contra Navarrum , ac Cajetanum docet , in laud. poenali Conſtitutione non comprehendi ſolum Veſpillonem , aut Sandapilarium , qui corpus in ſepulchrum demittunt ; ſed in primis comprehendi Parochum , qui funeri præeſt , ceteroſque Clericos ad id officii , ac triſte miniſterium evocatos, ſaltem cum mandaverint , aut procuraverint , ut corpus Uſurarii ſepulturæ committeretur . Vide Salmanticenſ. *De Cenſur. Cap.* 3. n. 80. Quod maxime patet ex laud. *Cap.* Quia in omnibus . *De Uſuris.* ubi Clerici tradentes Chriſtianæ ſepulturæ Uſurarios jubentur manere ſuſpenſi ab executione ſui officii .

Dico IV. *Confeſſarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ nequibit ad Confeſſionem admittere , aut abſolvere Uſurarios Manifeſtos , niſi de Uſuris ſatisfecerint , aut*

aut idoneam ſaltem præſtiterint cautionem.

Poenam hujuſmodi in adſertione memoratam adverſus Uſurarios ſanxit Bonifacius VIII. laud. *Cap.* Quamquam. ad quam quidem poenam relaxandam, ſive delendam facultas conceſſa per Bullam noſtræ Cruciatæ nec valet, neque quidquam prodeſt. Siquidem, aut dixeris Jura per prædictam formulam: *Nec ad Confeſſionem admittat, ſive abſolvat, niſi* &c. conſtituere veram hujuſce criminis Uſurarum reſervationem, donec impleta fuerit adpoſita conditio; qua in hypotheſi ſatis per ſe patet abſolutionem impertitam ab ipſo etiam Confeſſario electo virtute noſtræ Bullæ Cruciatæ contra hujuſmodi formam Juris invalidam eſſe, ac nullius momenti. Quod ſane mihi probabilius eſt, ac veroſimilius, cum Jus quandoque per hujuſmodi formulas veri nominis reſervationes conſtituat; uti patet ex notiſſimo illo Caſu reſervato, illorum nempe, qui receperint munera a Regularibus, qui prohibentur abſolvi, nec etiam in foro conſcientiæ *reſtitutione ipſa realiter non facta* (Ex Conſtitutione *Religioſæ* Clementis VIII. Et ex Conſtitutione *Nuper* Urbani VIII.) per quam loquendi formulam veram ſtatui prædicti peccati reſervationem nemo hactenus dubitavit. Idem etiam patet ex Caſu noſtro reſervato, qui eſt VI. inter Reſervatos ſine cenſura: *Non abſolvantur Concubinarii, & Concubinæ ni-*

ſi &c. Quod ſi Uſurarius factus fuerit impotens ad reſtituendum, tunc immunis erit ab hujuſmodi, aliiſque poenis a Jure ſtatutis. *Cap.* Cum tu. 5. *Uſur.* Vide Cl. Gonzalez in *Notis ad Cap.* Quia in omnibus. *De Uſur.* Quare in hac hypotheſi poſtquam de ſatisfaciendo idoneam præſtiterit cautionem, h. e. pignoratitiam, vel fidejuſſoriam, vel ſaltem juratoriam (laud. *Cap.* Quamquam 2. *De Uſuris in* 6.) & valide, & licite abſolvi poterit non ſolum a Confeſſario electo virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ; ſed etiam a quocumque alio adprobato.

Si autem dixeris prædictam Juris formulam non importare; ut cuidam ex noſtratibus Theologis placuit, niſi tantum decretum prohibens; nec etiam licite, & valide Confeſſarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ poterit Sacramentali abſolutione donare hujuſmodi Uſurarium, qui cum poſſet, nec ſatisfecerit, nec de ſatisfaciendo idoneam ſaltem præbuerit cautionem. Cum enim in allata hypotheſi iſtiuſmodi Uſurarius illicite reciperet Sacramentum Poenitentiæ, inde etiam invalide reciperet; cum Sacramentum Poenitentiæ eo ipſo, quod ſit informe, ſit etiam invalidum; ut ipſis etiam tyronibus in Theologica facultate probe compertum eſt.

Dico V. *A poena privationis factionis activæ teſtamenti, qua per leges punitur Uſurarius, Confeſſarius electus virtute Bul-*

læ noſtræ Cruciatæ ſolvere nequit ſuum Pœnitentem.

A poena iſthac, quam Jure Novo Bonifacii VIII. contra Uſurarios ſancitam diximus, non poſſe ſuum Poenitentem Confeſſarium electum virtute noſtræ Bullæ Cruciatæ abſolvere, evidentiſſima res eſt. I. Etenim licet facultas condendi ſuprema elogia, aut teſtamenta recte dici poſſit eſſe Juris Gentium; uti docet ac probat Cl. Gonzalez *Comment. in Cap.* Relatum 11. *De Teſtament.* nemo tamen inficias ire poterit hujuſmodi rem juſtis Principum Sanctionibus, eſſe ſubjectam; ac proinde, ſicut ipſorum eſt nonnullos hac facultate privare, cum communis boni ratio id expoſcit; quod ſane abunde demonſtrant conſultiſſimæ hac de re identidem editæ Principum Conſtitutiones; ita ad ipſos tantummodo pertinet reſtituere in hoc jus, & facultatem eos, quibus propter crimen fuerat ademta. Neque in hoc partes ullas habent onfeſſarii, quibus per Chriſtum Dominum demendatum tantummodo fuit munus animas peccatorum lepra fœdatas in priſtinam integritatem reſtituere per Gatiam Sacramenti. Neque privilegia Bullæ Jubilæi, aut Cruciatæ S. hujuſmodi exhibent, aut impertiuntur poteſtatem. Imo etiamſi in hujuſmodi Bullis adjecta eſſet formula conceſſionis abſolvendi *ab Eccleſiaſticis Poenis*; nihilominus hujuſmodi conceſſionem minime valere, aut ſuffragari poſſe ad

ad diſpenſandum in irregularitatibus etiam ex delicto, aliiſque inhabilitatibus communiter docent Theologi contra Sotum, & Cordubam, & ſuo Decreto confirmavit S. Pænitentiaria, teſte Auctore Opuſculi (*Luce fra le tenebre pag.* 127.) Quare nec hujuſmodi formula, ſi adjecta fuiſſet in noſtra Bulla Cruciatæ, valeret ad diſpenſandum in hac inhabilitate ad validum condendum teſtamentum, donec de Uſuris ſatisfactum non fuerit. Quid autem deſignat hujuſmodi conceſſionis formula, quæ in Conſtitutionibus Pontificum recentioribus tantummodo inſerta occurrit: *Ab Eccleſiaſticis* ſcilicet *Poenis*, ſi quis ſcire cupiat, conſulat Navarrum in ſuo *Manual. Cap.* 27. *n.* 254. II. Cum poena iſthæc privationis factionis activæ teſtamenti non abſolute Uſurariis fuerit irrogata, ſed dependenter a conditione illa adpoſita: niſi reapſe de Uſuris ſatisfecerint, aut ſaltem de ſatisfaciendo idoneam præſtiterint cautionem; prout præſcribit Bonifacius VIII. in laud. *Cap.* Quamquam. inde profecto ſequitur, quod prædicta conditione non impleta, teſtamenta etiam prius condita; h. e. ante admiſſum crimen Uſurarum, ſuo robore deſtituuntur, ac privantur. Si autem prædictæ conditioni jam fuerit obtemperatum, teſtamentum etiam prius factum; h. e. ante præſtitam cautionem, convaleſcit; uti docet Cardinalis De Lugo apud Salmanticenſes *In De Contract. Cap.* 5. *Punct.*

4. *n.* 39. Neque Confeſſarius virtute Bullæ aut Cruciatæ, aut Jubilæi poterit hanc Juris diſpoſitionem immutare, aut eidem quidquam derogare. III. Quidquid juxta conceſſionis formam poterit expedire Confeſſarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ eſt in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, & cum relatione ad illud ut alibi oſtenſum fuit, atque Eminentiſſimus etiam Commiſſarius noſter confirmavit. Cum ergo Confeſſarius electus, etiam virtute Bullæ Cruciatæ, non poſſit quidem admittere ad Confeſſionem Uſurarium manifeſtum, qui necdum de Uſuris ſatisfecerit, aut de ſatisfaciendo idoneam exhibuerit cautionem, juxta præſcriptum memorati *Cap.* Quamquam. inde conſequitur ſane, quod nihil omnino poſſit circa hujuſmodi poenas relaxandas, aut remittendas.

Quod hactenus dictum eſt de Uſurariis manifeſtis intellignda ſunt etiam de aliis, quibus ob crimen aliquod jus condendi teſtamenti ademtum ſit; de quibus conſule, ſi lubet, obvios quoſque Theologos, atque Juris Interpretes. Quos tamen omnes, dictam poenam privationis factionis activæ teſtamenti non incurrere, niſi poſt ſententiam declaratoriam criminis docuere Salmanticenſes *loc. cit. n.* 38. Ac de Hæreticis diſerte etiam tradidit Sanchez in *Decalog. Lib. II. Cap.* 24. *n.* 3.

Non ſolum autem jure condendi teſtamenti prædicti privati cenſendi ſunt, ſed etiam

etiam faciendi codicillos, donationes cauſſa mortis; alioquin fraus fieret legi. Salmanticenſes. *loc. cit.*

Dico VI. *Valet Confeſſarius noſter virtute Bullæ Cruciatæ abſolvere ſuos Pœnitentes a cenſura ſuſpenſionis, ſi ſint Clerici atque a cenſura excommunicationis, ſi ſint Laici, contracta propter crimen Uſurarum.*

Inter alias poenas, quibus Canonica auctoritas ſubjecit Uſurarios manifeſtos ea quoque eſt, quæ decernitur in *Cap.* Præterea 7. *De Uſur.* per quam Uſurarii manifeſti jubentur, Clerici quidem ſuſpendi ab officio, & beneficio, ſi moniti ab Epiſcopo ab Uſurarum crimine non deſiſtant; laici vero uſque ad condignam ſatisfactionem excommunicationis vinculo innodari. Ab utraque itaque hac cenſura poſſe per facultatem noſtræ Bullæ abſolvi Uſurarios poenitentes nobis videtur. Et primo, quod pertinet ad cenſuram ſuſpenſionis, qua plecti jubentur Clerici Uſurarum crimini obſtinatius adhærentes. Iſthæc ſuſpenſio videtur Summo Pontifici reſervari; uti non obſcure colligitur ex illa loquendi ratione quam adhibet Pontifex hac in re: *Quod ſi* (ait Pontifex Epiſcopos alloquens) *monitis veſtris parere contempſerint, ſi Clerici ſint, eos ab officio, & beneficio ſuſpenſos, cum litteris rei veritatem continentibus ad præſentiam noſtram mittere non differatis.* Hiſce enim loquendi formulis Pontificia reſervatio ſatis aperte

indicatur; uti luculentiſſime deducitur ex aliis Canonibus ubi conſimiles aut fere conſimiles dicendi formulæ reſervationem indicantes, atque decernentes adhibentur. (lege *Cap.* Cum quidam 8. Et *Cap.* Litteras veſtras 13. *De Temporib. Ordinat.*) A cenſura autem ſuſpenſionis etiam Summo Pontifici reſervata poſſe Clericos per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ abſolvi, ſive ſuſpenſio fuerit ab officio tantum, ſive ab officio ſimul, & beneficio; ut hic decernitur, alibi fuſius probatum per nos fuit. (Vide *Appendic. I.* §. 2.) Quia in cenſuras etiam reſervatas propter connexionem ad peccata reſervata nobis per Bullam noſtræ Cruciatæ facultatem attribui, ut dimitti, ac relaxari per nos poſſint, inibi oſtendimus. Quapropter Clerici hujuſmodi Uſurarum crimine implicati per facultatem noſtræ Bullæ ſatiſfactione exhibita poſſe abſolvi ab hac ſuſpenſionis ſpecie arbitramur. Inſuper Clerici hujuſmodi ab officio, & beneficio obtinendo tamquam inhabiles, & irregulares ſunt repellendi, ex *Reg. Juris.* Infamibus &c. in 6. & *Cap. laud.* Inter dilectos. *De Exceſſibus Prælator.* In qua tamen poena conformiter ad Canonum præſcripta poſſe Epiſcopum poſt peractam, atque expletam poenitentiam diſpenſare docent Salmanticenſes cum aliis *In De Contractib. Cap.* 3. *Punct.* 14. *n.* 125. Lege *Cap.* At ſi Clerici 4. §. De Adul-
tis

teriis. *tit. De Judiciis*. Et Gloſſam ibid.

Ab excommunicatione etiam laicis irrogata juxta laud. *Cap.* Præterea poſſe Confeſſarium electum virtute quoque Bullæ noſtræ Cruciatæ abſolvere arbitramur. Iſthæc excommunicatio nulla reſervationis lege adſtringitur, ut videtur; ſed tantummodo decernitur, ut uſque ad condignam ſatisfactionem hujuſmodi irretiti hac cenſura permaneant. Ergo poterit ſaltem Confeſſarius electus virtute noſtræ Bullæ Cruciatæ, exhibita condigna hujuſmodi ſatisfactione, ab hujuſmodi excommunicatione contracta ſuos Poenitentes abſolvere.

Dico VII. *Poteſt etiam Confeſſarius electus virtute dictæ Bullæ Cruciatæ abſolvere ab illa excommunicatione, in quam forte incurrerint Judices cogentes ad ſolvendas uſuras, aut locantes domum Uſurariis alienigenis ad exercendas Uſuras.*

Prima, quam commemoravimus excommunicationis ſpecies in *Clementin.* Ex gravi. Unica *De Uſur.* occurrit; ubi ipſo facto excommunicationis ſententia innodantur Communitatum *Poteſtates*, *Capitanei*, *Rectores*, *Conſules*, *Judices*, *Conſiliarii* &c. qui præſumſerint facere, ſcribere, aut dictare ſtatuta, quibus ad ſolvendas Uſuras debitores compellantur, aut, quod ſolvantur, vel quod ſolutæ non repetantur, non reſtituantur, judicare præſumſerint. Eadem quoque excommunicationis poena plectuntur illi, qui ſtatuta

hujuſmodi hactenus edita de libris Communitatum ipſarum, ſi ſuper hoc poteſtatem habeant, intra tres menſes non deleverint, aut ipſa ſtatuta præſumſerint obſervare.

Ab hujuſmodi autem excommunicationis poena Confeſſarium noſtratem electum virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ poſſe abſolvere ſuos Poenitentes, ſi quando opus fuerit, nemo ſane dubitare poterit. Siquidem commemorata excommunicationis cenſurà, nulli reſervationis legi ſubjicitur; cum tantum inibi dicatur: *Excommunicationis ſententiam incurrant*. Ergo ab ea abſolvenda Confeſſarius noſter electus virtute dictæ Bullæ prohibendus non eſt, cui etiam in cenſuras Summo Pontifici reſervatas abſolvendas ex Pontificiæ poteſtatis plenitudine factum eſt jus, & poteſtas.

Quin imo non ſolum Confeſſarius electus virtute dictæ noſtræ Bullæ poterit ab illa abſolvere toties, quoties opus fuerit, atque indigebit Poenitens; ſed etiam quilibet Confeſſarius adprobatus, etiamſi nullo ſpeciali privilegio ſit munitus, auctoritate *Cap.* Nuper 29. *De Sentent. Excommunicat.*

Altera porro excommunicatio legitur in *Cap.* Uſurarum. 1. *De Uſuris in 6.* in qua, propoſita dicta pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ſeveriſſime interdicitur, ne quis Uſurariis alienigenis ad fenus exercendum domos locet, aut

ſub

ſub alio titulo quocumque concedat. Iſthæc autem excommunicatio, cum omnino conveniat cum priori nuper recenſita, nihil novi de ipſa dicendum exhibet; ſed quæ de priori dicta fuere, & huic poſteriori accomodentur oportet.

Demum illud ſupereſt animadvertendum de hac poſteriori excommunicatione locantium domos Uſurariis; quod ſi hujuſmodi domum locantes Uſurariis ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, incurrunt poenam ſuſpenſionis ipſo facto; minores vero perſonæ ſingulares excommunicationis; ſi autem Collegium, aut aliqua Univerſitas poenam interdicti contrahit.

Non ſolum autem a prædicta excommunicatione poterit abſolvere Confeſſarius noſter electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ, verum etiam a poena ſuſpenſionis, in quam incurrunt Patriarchæ, Archiepiſcopi &c. Secus vero dicendum de poena interdicti, cui ſubjicitur Collegium, aut Univerſitas. Hæc cum ſatis conſtent ex dictis in ſuperiori Appendice, illa tantum indicaſſe ſit ſatis.

Decretalis XIII.

Decretalis iſthæc inſcriptum habet nomen Innocentii III. atque extracta fuit ex quadam epiſtola ejuſdem Pontificis ad *Univerſos Cruce ſignatos* miſſa anno 1202. uti refert Cl. Fleuri. (*Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. 74. n. 2.*) Initium habet

hæc Decretalis : *Si vere vos*. & quoniam in ea agitur de communicatione cum excommunicatis, idcirco in Collectione Decretalium relata fuit in *Cap. 34. tit. De Sentent. Excommunicat.*

Ne quid etiam fraudi eſſe poſſit in illius interpretatione, in memoriam revocandum illud erit, quod apud Viros Theogos ignotum eſſe nequit: nimirum Jure vetuſtiori uſque ad tempora Concilii Conſtantienſis, ſive Baſileenſis h. e. uſque ad initia fere Sæculi XV. excommunicatos omnes ſive irretitos majori excommunicatione fuiſſe *vitandos*. Poſtea Concilium Conſtantienſe Conſtitutione *Ad evitanda*, uti refert S. Antoninus, vel Baſileenſe, ut alii docent (quandoquidem in Actis hujuſce poſterioris Concilii reperitur) onus hujuſmodi vitandi, ac cavendi excommunicatos reſtrinxit ad ſolos Notorios Percuſſores Clericorum, ac illos etiam, qui fuerint Nominatim Excommunicati, ac denunciati ; ne forte antiquior illa Eccleſiaſtica diſciplina frequentibus fidelium ſcandalis amplius pateret. Quare Conſtitutio *Ad evitanda* confirmata etiam fuit in Concil. Lateranens. V. ſub Leone X. anno. 1512.

Quare nihil mirum videri debet, ſi Cruce-ſignati Francorum, quibus cum Venetis excommunicatione adhuc irretitis, tum ratione Foederis initi, tum ratione conductionis navium uſque ad Palæſtinam, agen-

agendum erat, exquirant a Pontifice, qua ſe ratione gererent cum illis.

Q. I. *Qua occaſione edita fuerit præſens iſthæc Decretalis?*

R. Ne actum agentes ſtudioſis lectoribus faſtidio ſimus, in memoriam ipſi reducant oportet, quæ de obſidione Jaderæ (vulgo *Zara*) ejuſque expugnatione per Cruce-Signatorum exercitum tum Francorum, tum Venetorum facta, per nos dicta fuere in noſtra *Synopſ. Hiſtor. n.* XLI. XLII. & XLIII.

Jam vero Jadera expugnata capta diviſiſque ſpoliis, Cruce-ſignati excommunicationis vinculo innodati remanſerant, juxta Apoſtolicam ſententiam, ac legem. Quapropter ad illos reſcribens Pontifex, dum illis crimen ſuum exprobrat, neve ulterius hac in re progrederentur interdixit, iiſdem veluti innodatis excommunicationis vinculo, Apoſtolicæ ſalutationis, atque benedictionis munera denegavit.

Cruce-ſignati autem Francorum, cum crimen ſuum agnoviſſent ad Pontificem legatos deſtinant, per quos Pontificiis juſſis exequendis ſe paratiſſimos exhibent, ut reconciliationis, atque abſolutionis munere donarentur. Quare Epiſcopo Sveſſioneſi mandatum fuit, ut receptis ab iiſdem juramentis de ſtando Apoſtolicis mandatis, abſolutionis munus ipſis impertiret; quod reapſe factum fuit.

Cum vero Cruce-ſignati Venetorum adduci non potuiſſent, ut poenitentiam de

admiſſo crimine agentes, ad abſolutionem petendam accederent; uti non temere providebatur; per eumdem Epiſcopum Sveſſionenſem Cruce-ſignati a Pontifice quæſiverant, qua ratione ſe poſthac gererent in communicatione cum Venetis neceſſario habenda in ipſis navigiis, quibus ad Terram S. commeandum erat. Illis itaque per hanc Epiſtolam reſpondit Pontifex, unde præſens Decretalis extracta eſt, agendi cum Venetis rationem edocens, atque præſcribens.

Q. II. *Qualis ſit ergo modus iſte præſcriptus a Pontifice communicandi Venetis excommunicationis vinculo adhuc innodatis?*

R. Illum ita ſe habere: Si Veneti potuerint ad ſatisfactionem induci, & abſolutionis beneficium meruerint obtinere, tunc ſecure, ac ſine conſcientiæ offenſione poſſent cum ipſis Franci Cruce-ſignati jam abſolutis navigare. Si autem nec ſatisfacere voluiſſent, nec abſolvi curarent, tunc permittitur Cruce-ſignatis reliquis, ut cum ipſis Venetis, uſque ad Terram Saracenorum, vel Hieroſolymitanam Provinciam, navigio tranſire poſſent, juxta quod inter ipſos jam conventum fuerat, vel honeſte conveniri potuiſſet; communicantes tamen cum ipſis, quanto minus poſſent in itinere, cum dolore etiam atque amaritudine cordis, ac *ſub venia*. Quod triplici etiam argumento ex antiquioribus Canonibus de-

du-

ducto probat, ac confirmat; uti mox videbimus.

Poſtquam autem in Terram Saracenorum, vel ad Hieroſolymitanam Provinciam perventum fuiſſet, ac de navibus deſcendiſſent; tunc niſi Veneti ad ſatisfaciendum, atque ad recipiendum juxta formam Eccleſiæ abſolutionis beneficium, potuiſſent induci, aut compelli; nullatenus præſumerent, aut auderent reliqui Cruce-ſignati conjuncti cum ipſis præliari Prælium Domini. Ne, ſi cum ipſis Venetis habentibus aliquid de anathemate in Crucis inimicos inſurrexiſſent, non prævaluiſſent, ſed potius terga vertentes fugiſſent, ac cecidiſſent; quemadmodum acciderat Iſraelitis pugnantibus adverſus Habitatores Hai, a quibus debellati fugæ ſe dedere propter Achan, qui pollutus fuerat anathemate; h. e de anathemate aliqua ſurripuerat, abſconderat, ſecumquę habebat. *Joſue Cap.* 7. At vero res non eo uſque deducta fuit, ut Veneti excommunicatione innodati perveniſſent Hieroſolymas; ſiquidem expugnata, atque capta Conſtantinopoli (Vide *Synopſ. Hiſtoric. n.* XLIV.) iidem Veneti nuntios miſere ad Legatum Pontificium Petrum de Capua, ut abſolutionis munere dignarentur, qui per Delegatum recepto ab ipſis juramento juxta Eccleſiæ praxin, ab excommunicationis ſententia ſoluti fuere anno. 1204.

Q. III. *Quibus argumentis innixus*

Innocentius III. permiſit Cruce-ſignatos Francorum rem habere, atque communicare cum Venetis excommunicatis.

R. Triplici argumento deducto ex vetuſtioribus Canonibus. 1. Ex cauſſa utilitatis. 2. ex cauſſa neceſſitatis. 3. Ex cauſſa cujuſdam ſubjectionis.

Prima itaque cauſſa communicandi cum Venetis erat *Utilitas*. Etenim cum Venetia a Cruce-ſignatis Francorum majorem nauli receperint quantitatem; uti refert in hac Decretali laud. Pontifex, & nos etiam in noſtra *Synopſ. Hiſtoric. n.* XLI. retulimus; nec poſſent Veneti induci ad eam reſtituendam, aut coarctari; idcirco permittendum fuerat Cruce-ſignatis Francorum, ut cum Venetis poſſent communicare; ne viderentur ipſi ex poenitentia damnum, Veneti autem ex ſua contumacia præmium reportare. Præterea ipſi Veneti Cruce-ſignatis Francorum remanſerant adſtricti propter prætium receptum cauſſa conductionis navium; cum autem ab excommunicatis exigi poſſit, ac recipi quod debetur; atque in judicio hac de cauſſa valeant conveniri (*Cap.* Cum inter. 5. *De Except.* Et *Cap.* Intelleximus. 7. *De Judiciis*) idcirco permittendum erat Cruce-ſignatis Francorum cum Venetis communicare ad recipiendum, quod ipſis debitum erat.

Secunda cauſſa fuit *Neceſſitas*. Etenim cum Jure antiquo fuerat conſtitutum; ut ſi quiſquam per terram Hæreticorum, aut

aut quorumlibet excommunicatorum, tranſierit, neceſſaria ab illis emere, ac recipere poſſit (*Can.* Quoniam multos 103. *Cauſſ.* 11. *qu.* 3. Quod poſtea etiam confirmavit Gregorius IX. *Cap.* Cum voluntate 14. *De Sentent. Excommunicat.*) permittendum hac de cauſſa fuerat Cruce-ſignatis Francorum, ut cum Venetis communicare poſſent, a quibus annona, cibaria, aliaque hujuſmodi neceſſaria, juxta quod conventum fuerat, erant toto itinere ſuppeditanda.

Tertia demum cauſſa fuit *Quadam ſubjectionis ſpecies*. Quemadmodum enim, cum Pater familias domus fuerit excommunicatione innodatus, a participatione, ac communicatione cum ipſo familia excuſatur. Laud. *Can.* Quoniam multos, quod eſt Gregorii VII. reſponſum; ita quoque quamvis Dux Venetorum, dominus navium, in excommunicatione perſiſteret, Cruce-ſignatos Francorum, tamquam ipſius familiam, quamdiu in navibus fuiſſent, ipſius Ducis Venetorum excommunicatio non contingebat, & excuſabiles erant apud Dominum, ſi in excommunicatorum navibus exiſtentes, cum dolore cordis atque *cum venia*, ſi excommunicatis ipſi communicaverit, in quibus communionem nequibant evitare.

Atque hæ ſunt cauſſæ allatæ in laud. Decretali, unde memoratus Innocentius deducit, Cruce-ſignatos Francorum poſſe communicare juxta modum præſcriptum

cum Venetis in excommunicatione tum adhuc perſiſtentibus. De ceteris vero cauſſis excuſantibus a communicatione cum excommunicatis adeantur Theologi, atque Cl. Gonzalez *Comment.* in *Cap.* Sacris. 5. *De His quæ vi metuſve cauſſa* &c.

Q. IV. *Num ille, qui metu gravi adactus communicaverit cum excommunicato, incurret & ipſe excommunicationem, & peccatum?*

R. Primo in memoriam revocandum: communicationem cum excommunicato prohibitam eſſe Jure tantum Eccleſiaſtico; uti recte docet Gonzalez *Comment.* in laud. *Cap.* Sacris; & in *Cap.* Significavit 18. *De Sentent. Excomm.* quamvis hujuſmodi lex, ſive interdictum communicandi cum excommunicatis, adeo antiquiſſima fuerit in Eccleſia, ut merito ab Apoſtolis dicatur ſancita; quam etiam probant, ac confirmant Canones innumeri, ac præſertim *Cap.* Nuper. 29. cum aliis *De Sentent. Excommunicat.* Huic etiam communicationi adnexa fuit poena minoris excommunicationis; exceptis tamen caſibus illis, quos paſſim recenſent Theologi ex *Cap.* Significavit. 18. *De Sentent. Excommunicat. Cap.* Sacris 38. *Cap.* Nuper 29. *tit. eodem.* in quibus ſolum major excommunicatio contrahitur. Hæc tamen lex non communicandi cum excommunicatis intelligenda eſt de ſolis excommunicatis *Vitandis* juxta

ta Conſtitut. *Ad evitanda*; uti jam diximus.

Secundo hujuſmodi communicatio cum excommunicatis *Vitandis* poterit haberi vel in rebus ſacris, vel in civilibus. Ubi autem communicatum fuerit cum excommunicato in rebus ſacris, mortalis peccati reatus incurratur oportet, tum quia materia gravis ſit; tum etiam quia valde repugnat fini cenſuræ, auctoritati Eccleſiæ, ac dignitati rerum ſacrarum. Idem quoque dicendum, ſi communicet cum excommunicato in crimine, & in cauſſa excommunicationis, aut hoc faciat ex contemtu; quæ omnia B. Thom. comprehendit ſub nomine *directæ communicationis*, quam docet eſſe mortale: Si autem communicet in civilibus; puta in cibo, in verbo, & in his, quæ ſunt humanæ converſationis, non peccabit mortaliter, quia magis operatur præter præceptum Eccleſiæ, quam contra præceptum; niſi faciat ex contemtu, aut in eo ſcandalum aliis ingeneretur Ita D. Thom. in *IV. Sentent. Diſtinct.* 18. *qu.* 2. *art.* 4. Et *Quodlib. XI. qu.* 8. *art.* 9. Et Natal. Alexand. *In de Cenſur. Cap.* 2. *art.* 5. *Reg.* 21. Utroque tamen in caſu incurritur minor excommunicatio. Laud. *Cap.* Nuper. ſi fuerit excommunicatus *Vitandus*.

Hiſce itaque poſitis dico: Si quis per coactionem, aut violentiam attractus excommunicato communicaverit, nullo pec-

cati

cati reatu, neque excommunicationis etiam minoris vinculo involvetur; cum magis pati, quam agere convincatur. Innocentius III. Laud. *Cap.* Sacris. *De His, quæ vi* &c.

Si quis autem metu gravi adactus excommunicato communicaverit, præſertim in illis, quæ ad humanæ vitæ ſocietatem pertinent, neque etiam peccati reatum incurret, neque excommunicationis minoris vinculo ſiet innodatus; niſi forte interveniat ratio contemtus. Quia Lex humana Eccleſiaſtica quidquam præcipiens, aut prohibens communiter, aut regulariter non adſtringit, cum propria vita ſit in diſcrimen adducenda, aut aliud graviſſimum detrimentum aliter eſſet ſubeundum; quandoquidem nec ipſa lex poſitiva in hiſce rerum circumſtantiis ſolet adſtringere. Quod patet ex facto Davidis *Lib. I. Reg. Cap.* 21. de quo Dominus apud *Matth. Cap.* 12. Ex facto Apoſtolorum, atque Machabæorum. *Lib.* 1. *Cap.* 2. Hinc in *Cap.* Quod non eſt licitum. 4. *De Reg. Juris* dicitur. *Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum; nam & Sabbatum cuſtodiri præceptum eſt: Machabæi tamen ſine culpa in Sabbato pugnabant; ſic & hodie qui jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.*

Atque hinc nobis aditus patet ad rectam, atque germanam interpretationem *Cap.* Sacris. *De His, quæ vi* &c. ubi edoceri videtur; quod ſi quis communicet

cum excommunicato per metum gravem inductus, & peccet letaliter, atque excommunicationis labe inquinetur; cum metus licet attenuet culpam, illam tamen haud prorſus excludat; ac pro nullo metu debeat quis peccatum mortale operari. Etenim Decretalis iſthæc ádſertioni ſuperius traditæ non refragatur; quandoquidem primo illa eſt intelligenda de communicatione *in Divinis*; uti recte interpretatur D. Thom. *loc. cit. in IV. Sentent.* & patet ex collatione hujuſce *Cap.* cum *Cap.* Sacris 38. *De Sentent. Excommunic.* ubi continetur altera pars hujuſce Decretalis hic relatæ. Deinde ita erit illius ſententia accipienda; quando nempe communicatio cum excommunicatis cedat in contemtum Religionis Chriſtianæ, atque Eccleſiæ Clavium poteſtatis. Cum enim univerſum Anglicanum Regnum interdicto ſubjectum fuiſſet ab eodem Innocentio III. vi, & minis adigebantur Sacerdotes excommunicatorum cadevara Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ ritu conſueto in contemtu cenſurarum, atque Eccleſiaſticæ poteſtatis; qua in hypoteſi millies mors erat ſubeunda, quam per hujuſmodi communicationem efficere, ut Eccleſiaſtica Clavium poteſtas in contemtum adduceretur. *Cap.* Sicut ſatius 8. *Cauſ.* 32. *qu.* 4. Et *Cap.* Non ſolum 85. *Cauſ.* 11. *qu.* 3. Quapropter conſultus Pontifex recte reſpondit, hujuſmodi mortis metum non eximere a reatu gravis peccati, quod admit-

mittebatur per hujuſmodi communicationem *in Divinis* extortam in contemtum Eccleſiaſticæ Clavium poteſtatis; illis verbis *Cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere*. Atque hanc quidem interpretationem eo magis tradere, atque ſectari peroptavimus; cum illam non obſcure indicare videatur B. Thomas *loc. cit. Quolib.* 11. Vide etiam Cl. Gonzalez. *Comment. in Cap.* Sacris. *De His quæ vi* &c. Huc etiam facit Hiſtoria Eleazari, ac Puerorum Machabæorum, qui glorioſam mortem potius elegere, quam veſci carnibus porcinis, quod eis in contemtum Maſaicæ legis præcipiebatur. Machab. *Lib. II. Cap. 6. & 7.*

Q. V. *Num excommunicatio contracta propter communicationem habitam cum excommunicato, poſſit a quolibet Confeſſario abſolvi?*

R. Cum Diſt. Si communicatio cum excommunicato interceſſerit in oratione, oſculo, menſa, aliiſque conſimilibus caſibus, qui paſſim recenſentur per Theologos, atque in illo notiſſimo verſiculo continentur: *Os, orare* &c. atque inde contracta fuerit minor excommunicatio, iſta poterit abſolvi a Proprio etiam Sacerdote; uti reſpondet Innocentius III. *Cap.* Nuper. 29. *De ſententia Excomm.* Licet autem *Proprii Sacerdotis* nomine Parochus intelligatur; uti patet ex *Cap.* Omnis utriuſque ſexus. 12. *De Poenitent. & Remiſs.* aliiſque ex juribus; hoc tamen in-

intelligendum erit ſine detrimento juris Epiſcopalis, atque Sacerdotum, qui ab eodem adprobati fuerint ad Confeſſiones excipiendas; etenim univerſa Dioeceſis eſt una Parochia reſpectu Epiſcopi, cum totius plebis animæ ſint eidem commiſſæ. *Can.* Quæcumque. 5. *Cauſs.* 10. *qu.* 1. & *Can.* Præcipimus 24. *Cauſs.* 12. *qu.* 1. Ac proinde non a ſolo Parocho; ſed a quolibet alio Confeſſario adprobato iſthæc minor excommunicatio poterit relaxari.

Si vero major excommunicatio contracta fuerit in tribus illis caſibus, qui vulgo recenſentur a Theologis, non poterit a quolibet Confeſſario abſolvi. Quandoquidem, ſi iſtam excommunicationem contraxerit Clericus, quia ſcienter, & ſponte communicaverit in ſuis Divinis Officiis cum eo, qui nominatim a Pontifice fuerat excommunicatus; atque iſthæc excommunicatio non poterit abſolvi, niſi ab eodem Romano Pontifice. *Cap.* Significavit 18. *De Sentent. Excommunic.* (De conditionibus vero requiſitis ad incurrendam hujuſmodi excommunicationem legendi ſunt Gonzalez in laud. *Cap.* Significavit. Et Cl. Suareſius in *De Cenſuris*) Si autem major excommunicatio fuerit contracta propter communicationem, aut participationem ſcienter habitam cum criminoſo eodem in crimine, propter quod lata fuerit excommunicatio; tunc iſtiuſmodi excommunicationis abſolutio erit im-

pen-

pendenda, vel ab eo, qui excommunicationem protulit contra principalem, vel ab ejus Superiore; quia communicans ſcienter cum criminoſo excommunicato in eodem crimine, propter quod lata fuit excommunicatio, cenſetur damnatus de eodem ipſo crimine. *Cap.* Nuper 29. *De Sentent. Excommunic.* Idem quoque dicendum, ſi excommunicatio fuerit contracta ab eo, qui ſcienter communicaverit cum eo, qui cum omnibus participibus, & fautoribus ſuis excommunicationis vinculo eſt ſententialiter innodatus; cum enim iſte eamdem excommunicationis ſententiam incurrerit, ac principalis, uterque proinde ab eodem, qui excommunicationem tulerat erit abſolvendus; cum hic agatur de excommunicatione lata per ſententiam particularem, ut patet. *Cap.* Quod in dubiis 30. Et *Cap.* Sacris *De Sentent. Excommunicat.*

Q. VI. *Num hujuſmodi excommunicationes majores contractæ in caſibus ſupra relatis, ac reſervatæ, poſſint a Confeſſario electo virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ abſolvi?*

R. Ita rem iſtam definiendam arbitramur, ſalvo meliori, ac maturiori judicio. Si excommunicatio iſthæc contracta fuerit a Clerico communicante in *Sacris* cum excommunicato nominatim a Papa, poterit iſta relaxari a Confeſſario electo virtute Bullæ Cruciatæ. Si autem excommunicatio fuerit contracta per communica-

cationem habitam cum criminoſo in crimine; non poterit hac in hypotheſi abſolvi a Confeſſario electo virtute Bullæ Cruciatæ. Idemque dicendum de excommunicatione ab eo contracta, qui communicaverit cum excommunicato poſt latam ſententiam excommunicationis contra participantes. Quorum omnium ratio facile patet. Etenim cum prior excommunicatio a Clerico forte contracta in caſu ſuperius allato, ſit reſervata Summo Pontifici, poterit a Confeſſario electo virtute noſtræ Bullæ Cruciatæ relaxari, per quam Confeſſarius electus facultate potitur abſolvendi a peccatis, & cenſuris *Apoſtolicæ Sedi* reſervatis. In poſterioribus vero excommunicationibus, cum iſtæ ſint reſervatæ Epiſcopis illas ferentibus; qui ſolum poſſunt abſolvere principalem, ſoli etiam communicantes, participantes, & fautores in caſibus ſupra notatis, poterunt ab excommunicatione inde contracta abſolvere; cum hujuſmodi excommunicationes ſint, uti patet, per ſententiam particularem.

Decretalis XIV.

Penultima iſthæc Decretalis, quæ proſtat in *tit. De Parochiis, & Alien. Parochian. Lib. III. Decretal.* habet initium: *Significavit nobis*. Porro de illa prius quærendum nobis, a quo Pontifice auctore illa prodierit, qua occaſione fuerit edita, quidque in illa contineatur. Sed prius diſpiciendum nobis erit de qua Ci-

vitate præſens Decretalis ſit intelligenda; inde enim pendet primæ quæſtionis reſolutio.

Q. I. *De quanam Civitate hic loquatur Pontifex?*

R. Cum in Palæſtinæ Provinciis facti ſpeciem, de quo hic quæritur, contigiſſe ſatis aperte oſtendat Pontifex; quandoquidem mentio fit Terræ S. aliarumque Civitatum Regni Hieroſolymitani, unde incolæ diſceſſerant, perquam meritiſſimo retinenda erit lectio, quam auctor Gloſſæ emendando reſtituit; *Epiſcopus* ſcilicet *Aconenſis*, ſive *Acon*; ibi enim per errorem legebatur: *Anconitanus Epiſcopus*, quæ cum ſit Urbs totius Piceni celebratiſſima ad litus maris Adriatici, nihil commune habere poterat cum aliis Civitatibus Regni Hieroſolymitani, quibus hic adnumeratur. *Acon* itaque, ſeu *Acco* Urbs eſt in Syria, a Demetrio, & Ptolomæo Syriæ Regibus frequentata, quæ inde *Ptolemaidis* etiam nomen ſortita fuit. Hanc autem præclaram Urbem pluribus ſæculis a Saracenis occupatam, atque poſſeſſam; h. e. ab anno 638. ad initia uſque Sæcul. XII. Balduinus hujus nominis I. Hieroſolymorum Rex Chriſtianæ libertati reſtituit. Chriſtianis iterum ereptam ſuæ ditioni ſubegit Saladinus Ægypti, ac Syriæ Rex, exeunte fere eodem Sæcul. XII. Deinde Chriſtianorum armis iterum partam anno 1191. per Philippum Galliæ Regem, & Riccardum Angliæ, inter varia rerum diſcrimina

Chri-

Chriſtifideles retinuerunt integro Sæculo, quo acto; h. e. anno 1291. a Saracenis iterum expugnata fuit, atque funditus everſa. Confer huc, quæ per nos dicta fuere in noſtra *Synops. Hiſtor.* n. VI. n. XXIII. n. XXXIV. n. XXXVI. n. LXXIII. & LXXIV.

Q. II. *Quem auctorem habeat memorata Decretalis?*

R. Licet epigraphe, ſive inſcriptio hujuſce *Cap.* præ ſe ferat nomen Clementis III. Pontificis; mendoſa tamen iſthæc lectio eſt, nec ei ulla ex parte adhærendum, quod luculentiſſime patet ex ipſo temporum ordine. Etenim, uti jam dictum fuit, Urbs iſthæc *Aconenſis*, ſive *Ptolemaidis* poſt Saladini expugnationem, atque occupationem, Chriſtianorum armis recuperata non fuit, niſi Menſe Julio anno 1191. quo tempore Clemens III. jampridem e vivis exceſſerat; quippe qui vitam cum morte jam commutaverat Menſe Martii ejuſdem anni 1191. Quapropter hac mendoſa lectione rejecta, atque exploſa, verus auctor ejuſdem Decretalis erit inquirendus, atque inveſtigandus. Gonzalez in *Not.* ad hanc Decretalem Gloſſam ſecutus tribuit Cœleſtino III. qui jam inde ab ineunte Menſe Martii ejuſdem anni 1191., quo Pontifex fuit electus, Petri Cathedram moderabatur, cum Urbis iſtius recuperatio evenit; ac proinde recte poterat ad ipſum facti ſpecies,

cies, quæ hic narratur, deferri, ſuo oraculo reſolvenda.

Alii vero, uti Pithaeus apud Pontas Dictionar. *Caſ. Conſcient.* Verb. *Impedimentum Clandeſtinatis caſ.* 4. tribuunt Innocentio III. qui cum ab anno 1198. ad Summi Pontificatus apicem fuiſſet evectus, hujuſce Decretalis etiam auctor eſſe potuit, ſi facti ſpecies, de qua hic quæritur, diu poſt recuperatam Ptolemaidem contigiſſe fingatur. At contra res evenerat, uti non obſcure indicant verba laud. Decretalis; ſiquidem fideles illi, ex quibus Perſonales Decimæ quærebantur a Prælatis illorum locorum unde diſceſſerant, *aliquantam* tantummodo *reſidentiam* in Aconenſi iſta Civitate feciſſe dicuntur. Quare aut ſtatim, aut non diu poſt recuperatam hanc Urbem, hæc quæ hic narrantur, contingerunt; ac proinde ſub ipſo Pontificatu Coeleſtini III. qui eo potitus eſt ab anno 1191. uſque ad initia anni 1198. Igitur præferenda eſt hac in re ſententia Gloſſæ, & Cl. Gonzalez., qui recte Coeleſtinum III. hujus Decretalis auctorem faciunt.

Q. III. *Qua occaſione edita fuerit præſens Decretalis?*

R. Facti ſpeciem, quæ huic Decretali edendæ occaſionem præbuit, in hunc modum contigiſſe narrat laud. Decretalis: Cum poſt recuperationem Civitatis Aconenſis factam a Philippo Galliarum, & Richardo Angliæ Regibus, uti jam dictum eſt,

eſt, quamplurimi fidelium ad habitandum in ea ſeſe contuliſſent, Prælati illarum Civitatum, ubi prius morabantur, & unde diſceſſerant, eoſdem compellebant ad Eccleſiaſtica jura ſibi ſolvenda; h. e. Decimas ab illis exigere contendebant. Iſtis autem renuentibus contraverſia delata fuit per Aconenſem Epiſcopum ad ſupremum Summi Pontificis judicium, unde memorata Decretalis prodiit, per quam remotis diſſenſionibus jus ſancitum fuit.

Reſpondit itaque Pontifex in hunc modum: cum nemini liceat, juxta Sacra Eloquia, terminos a SS. Patribus conſtitutos tranſilire *Deutoron. Cap.* 29. nec in meſſem alienam falcem immittere; idcirco diſtrictione Eccleſiaſtica compellendos jubet Prælatos dictarum Civitatum, a quibus illi Chriſtifideles receſſerant, atque in Aconenſem Civitatem ſeſe receperant, ut ſibi nullam in prædictos Aconenſes habitatores juriſdictionem uſurpent, nec ab eis exigant temporalia, quibus ſpiritualia non miniſtrabant. Hac tamen adhibita exceptione; quod ſi memorati Aconenſes habitatores de agris conſtitutis in Parochiis illorum Prælatorum fructus perciperent, & in Ultramarinis Regionibus ratione prædiorum Decimæ perſolverentur, tunc deinceps hujuſmodi Decimas eiſdem Prælatis cum integritate perſolverent; de ceteris vero; h. e. de Decimis perſonalibus, memorato Aconenſi Epiſcopo reſpondere cogerentur.

Hactenus laud. Decretalis ; ad eam autem illuſtrandam pauca pro more hic adjiciantur oportet.

Q. IV. *Quo jure Decimæ miniſtris Eccleſiæ ſint pendendæ?*

R. Decimæ, quibus nihil notius ac pervulgatius, tum in Veteri Moſaica lege, tum in Eccleſiaſticis Sanctionibus (lege D. Thom. *Quæſtione* mox laudanda Cl. Gonzalez *Comment*, in *Cap.* Decimam. 1. *De Decimis* &c. Ac titulum Decretalium in Collectione Gregorii IX. & in Collectione Bonifacii VIII. Lib. VI. *De Decimis* &c.) Decimæ inquam nihil aliud ſunt, quam *Decima pars bonorum mobilium juſte adquiſitorum*, *Eccleſiæ Miniſtris exſolvenda* juxta ſententiam *Cap.* Ex transmiſſa 23. *De Decimis* &c. De iſtis ergo inquirendum, quonam Jure ſint conſtitutæ, ac debeantur. Itaque

Adſero: *Decimæ ſpectatæ materialiter, ac ſecundum ſubſtantiam, quatenus ſunt neceſſarium ſtipendium Eccleſiæ Miniſtris, inde dictæ:* Decimæ ſuſtentationis, *a jure Naturali, ac Divino deſcendunt. Secundum vero determinationem, &, ut ajunt, quotam, ex Jure Poſitivo Divino exolvendæ erant tempore Moſaicæ Legis Sacerdotibus, ac Levitis; in Novo vero Foedere Lege tantum Eccleſiaſtica id præſcribente, debentur.*

Adſertionem iſtam per ſingulas partes berviter probemns oportet. Decimæ itaque ſpectatæ *ſecundum ſubſtantiam, ac quatenus*

tenus ſint neceſſarium ſtipendium Miniſtrorum Eccleſiæ, deſcendunt ex Jure Naturali, ac Divino. Etenim ipſa naturalis ratio, atque lex juſtitiæ dictat, & Deus ipſe jubet, ut laborantibus, atque ſpiritualia miniſtrantibus neceſſaria vitæ ſubſidia ſuppeditentur. *Dignus eſt operarius mercede ſua*, ait Chriſtus apud Matthæum *Cap.* 10. adeo ut, qui hanc præſtat mercedem Sacris Miniſtris, non de ſuo donat, ſed, quod debet, exſolvit. Præclara ſunt exempla, atque argumenta quæ profert Paulus Apoſtolus, I. *Ad Corinth. Cap.* 9. ad probandum hoc jus Sacrorum Miniſtrorum. Ubi & Legis quoque præceptum hac de re attulit inculcatum in illis verbis: *Non alligabis os bovi triturati*. Et Dominum ita ordinaſſe teſtatur iis, *qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*. Quare rectiſſime D. Thomas docet præceptum de ſolutione Decimarum eſſe partim quidem morale, inditum naturali rationi: *Quod* enim, inquit, *eis qui Divino cultui miniſtrabant ad ſalutem populi totius, populus neceſſaria victus miniſtraret, ratio naturalis dictat; ſicut & illis, qui communi utilitati invigilant; ſcilicet Principibus, ac militibus, & aliis hujuſmodi, ſtipendia victus debentur a populo*, 2. 2. *Qu.* 87. *art.* 1.

Quod vero ſpectat ad II. Partem Adſertionis; nempe quod *Decimæ ſecundum determinationem, & quotam ex Jure Divino poſitivo tempore Legis Moſaicæ, erant*

exſolvendæ Sacerdotibus, ac Levitis; id patet ex pluribus Sacrarum Litterarum, iiſque luculentiſſimis teſtimoniis; quæ habentur Exodi *Cap* 22. & 29. *Levitic. Cap.* 27. *Numeror. Cap.* 18. *Deuteron. Cap.* 12. Cujuſmodi præceptum ſæpe etiam per ſuos Prophetas Dominus inculcavit; uti *Malach. Cap.* 3. *Inferte omnem decimationem in horreum meum, ut ſit cibus in domo mea.* Hoc autem præceptum Decimas ſolvendi Judaico Populo Divina juſſione impoſitum, Judiciale ne fuerit, an Coeremoniale expendit D. Thomas *loc. cit.* atque Judiciale illud fuiſſe probat, ac docet; licet ex conſequenti; propterea autem, quod aliquid ſignificabat in futurum, cum Coeremonialibus conveniebat. Lege Laud. B. Thomæ Quæſtionem.

Illud etiam hic obiter obſervandum; Decimas Judaeis præſcriptas multiplicis fuiſſe generis. Primum genus erat illarum, quas ceteræ tribus Levitis in ſubſtentationem vitæ, atque ſtipendium laboris in accurandis rebus ſacris penſitabant; ipſis enim nihil accipientibus in funiculo diſtributionis Terræ Promiſſæ, Dominus pollicitus fuerat, ſe illis futurum partem, atque Hæreditatem; uti habetur *Numeror. Cap.* 18. *v.* 20. Atque de hujuſmodi Decimis intelligenda ſunt verba laud. *Cap. Numeror. v.* 21. Secundum genus erat illarum, quas ipſi Levitæ ex Decimis hiſce receptis præſtabant Pontifici, reliquiſque Sacerdotibus. De qui-

quibus intelligenda ſunt verba *laud. Cap. Numeror. v.* 29. Tertium genus erat illarum Decimarum, quas ſinguli Patres familias debebant quotannis apud ſe ſervare, & poſtea cum Levitis comedere in Templo, tribus anni temporibus recurrentibus; nimirum, Paſchate Pentecoſte, ac Feſto Tabernaculorum. De quibus Decimis intelligenda ſunt verba *Deuteronom. Cap.* 14. *v.* 22. Quartum tandem genus erat illarum Decimarum, quas tertio quoque anno ſinguli ſeparabant in propriis domibus, ut cum Levitis, peregrinis, pupillis, & viduis poſſent communicare; de quibus agit *laud. Deuteron.* Liber *Cap.* 14. *v.* 28. At de his omnibus lege, ſi lubet, B. Hieronymum relatum in *Cap.* Decimam. 1. *De Decimis.* Et Cl. Gonzalez *Comment. in laud. Cap.* 1. Et D. Thomam. *laud. Qu.* 87.

Demum quantum ad III. Adſertionis Partem; quod nempe Chriſtiani in Novo foedere ex ſola Lege Eccleſiaſtica Decimas ſolvere adſtringantur, ſatis per ſe id patet. Etenim Chriſtifideles non tenentur illas exſolvere vi Legis Moſaicæ jamdiu abrogatæ per mortem Chriſti, per quem Lex evacuata fuit; neque ex Divino Legis Evangelicæ præcepto; ſiquidem Chriſtus in Evangelio ultra Legem Naturæ, nihil præſcripſit, niſi quæ ſunt Fidei, quæque ſpectant ritus ſubſtantiales Sacrificii, ac Sacramentorum. Ergo

ex ſola Lege Eccleſiaſtica , eaque antiquiſſima , & Apoſtolica D. Th. *loc. cit.*

Atque hic apertiſſima nobis ratio patet explicandi Eccleſiaſticos Canones , per quos oppoſitum ſuaderi videatur ; quod nempe illæ h. e. Decimæ a Domino inſtitutæ, Divina Conſtitutione debeant exſolvi ; uti in *Cap.* Parochianos 14. *Cap.* Tua nobis 25. *Cap.* In aliquibus 31. *Cap.* Cum non ſit 32. *De Decimis.* Memoratæ enim loquendi rationes intelligendæ ſunt , uti loquantur Theologi , *occaſionaliter*, & *remote* ; quia ſcilicet ad imitationem & ſimilitudinem Veteris Divinæ Legis, Eccleſiaſtica propria ſanctione Decimæ fuerint decretæ. Lege etiam Cl. Gonzalez *Comment. in laud. Cap.* In aliquibus.

Q. V. *Quænam ſint Jura illa Eccleſiaſtica, quas Prælati exigere contendebant a ſuis ſubditis, qui alio ſeſe contulerant inhabitandi gratia?*

R. Fuiſſe Decimas Perſonales. Ita Auctor *Gloſſæ* , & Cl. Gonzalez in *laud. Cap.* Significavit. *De Parochiis* &c. Dicuntur autem *Eccleſiaſtica Jura* ; quia Eccleſiæ Paſtores , in locis ubi non ſint contraria conſuetudine abrogatæ , habent verum , ac proprie dictum jus illas exigendi , iiſque ex vera juſtitiæ obligatione ſunt exſolvendæ ; adeo ut , qui illas non ſolverit , damnandus ſit velut injuſtus , ac quodammodo in Deum ſacrilegus. *Cap.* Decimæ 66. *Cauſ.* 16. *qu.* 1. Tridentinum *Seſſ.* 25. *Cap.* 12. *De Reformat.*

Sunt

Sunt autem Decimæ Perſonales, illæ quæ proveniunt ex artificio, & induſtria perſonæ; uti ex mercatura, piſcatione, venatione. Laud. *Cap.* Decimæ *Cauſ.* 16. & *Cap.* Poſtoralis 27. *De Decimis* &c. Hujuſmodi autem Perſonales Decimæ, ubi vigent, ſolvendæ ſunt illi Eccleſiæ Parochiali, ad quam quiſque fidelium pertinet, & in qua intereſſe Divinis Officiis, ac Sacramenta percipere teneatur. *Cap.* Ad Apoſtolicæ 20. *De Decimis* &c. quod eſt Lucii III. reſponſum ad Epiſcopum Strigonienſem in Hungaria. Quare recte poſtea factum eſt, ut Cœleſtinus III. in laud. *Cap.* Significavit *De Parochiis* &c. reſponderit Aconenſi Epiſcopo, jura hujuſmodi Eccleſiaſtica, ſive Decimas Perſonales, non deberi illis Prælatis, unde Parochiani, ſive ſubditi diſceſſerant, & quibus ipſi ſpiritualia non amplius miniſtrabant.

Q. VI. *Quænam eſſent Decimæ ſolvendæ ratione prædiorum, de quibus pariter mentio ſit in laud. Cap.* Significavit?

R. Eſſe Decimas, quæ dicuntur *Prædiales*. Etenim Decimas in tria genera, ſeu claſſes dividi compertiſſima res eſt; ſcilicet in *Perſonales*, de quibus egimus ſuperiori Quæſtione; in *Prædiales*, quæ debentur ex fructibus prædiorum, quæ forte poſſidentur. *Laud. Cap.* Ad Apoſtolicæ. *Cap.* Ex parte 21. *De Decimis*, atque in *Mixtas*, quæ ſcilicet partim *Prædiales*, partim *Perſonales* ſunt, quæque ex fructibus pecorum, aut ovium

in propriis prædiis, concurrente hominum induſtria, pendantur, atque exſolventur.

Hujuſmodi autem Decimæ *Prædiales*, ſpectato jure Communi, & Eccleſiarum recepta conſuetudine, ſolvendæ ſunt illi Eccleſiæ Parochiali, intra cujus confinia prædia ſita ſunt. Quod ſane docet D. Thomas laud. *Qu.* 87. *art*, 3. *ad* 2. & confirmant complures Eccleſiæ Canones. *Cap.* Quoniam 13. *Cap.* Cum contingat 27. *Cap.* Cum in tua, 29. *De Decimis* &c. *Cap.* Ad Decimas 2. *De Reſtit. Spoliator. in* 6. *Cap.* Si quis Laicus 42. *Cauſſ.* 16. *qu.* 1. Vide Cl. Gonzalez *Commentar.* in *Cap.* Cum ſint 18. *De Decimis* &c.

Q. VII. *Quid ſi quis in una Parochia inhabitet, & Sacramenta percipiat, in alia vero ejuſdem Dioeceſis prædia poſſideat, utrinam Parochiali Eccleſiæ Decimæ debeantur?*

R. Hac in hypotheſi nihil deciſum in Jure Pontificio occurrit cuinam Parochiali Eccleſiæ Decimæ ſint ſolvendæ; ſed Canones jubent hac in re reſpiciendam eſſe conſuetudinem locorum peculiarem, eique ſtandum. *Cap.* Cum ſint 18. & *Cap.* Ad Apoſtolicam 20. *De Decimis* &c. Quo poſito verba laud. *Cap.* Significavit; in cujus elucidatione verſamur, ita videantur explicanda: *Quod ſi agris in eorum Parochiis* (unde jam diſceſſerant; uti jam dictum eſt) *conſtitutis fructus percipiant, & in Ultramarinis partibus ratione prædio-*

diorum Decimæ perſolvantur; h. e. ſi in illis Regionibus conſuetudo obtineret, ut Decimæ Prædiales deberentur, atque illi Parochiæ exſolverentur, ubi prædia ſita erant, licet illorum poſſeſſores alibi inhabitarent; tunc Decimæ hujuſmodi cum omni integritate erant perſolvendæ Prælatis illarum Eccleſiarum, unde ſubditi diſceſſerant; cum prædiorum poſſeſſionem ibidem retinerent. Aut etiam dici poterit hic Coeleſtinum III. voluiſſe dirimere illam quæſtionem (ut verba *laud. Cap.* non obſcure videntur indicare) quæ temporibus Alexandri III. & Lucii III. a quibus prodiere Canones ſupra laudati, adhuc indeciſa manebat; h. e. uſque ad an. 1185, quo defunctus vita fuit Lucius III. quare ad locorum conſuetudinem recurrendum juſſere memorati Pontifices.

Q. VIII. *Num ſola inhabitatio facta in aliquo loco, etiam ſine animo permanendi, ſufficiat, ut quis efficiatur ſubditus illius loci, quantum ad recipienda Sacramenta?*

R. Ex verbis laud. Decretalis *Significavit*, ubi dicitur, quod illi, qui ad Aconenſem Civitatem ſeſe contulerant, in eaque *aliquantam reſidentiam* fecerant, coguntur ad ſolvendas Decimas Perſonales Aconenſi Epiſcopo, hanc eliciunt Juris Interpretes concluſionem; nempe quantum ad Eccleſiaſtica munera, Sepulturam, Matrimonium, ceteraque ferme Sacramenta, ut quis efficiatur Parochia-

 nus;

nus, ſufficit, quod degat in aliquo loco, etiam abſque animo permanendi. Ita Gonzalez in *Not. ad laud. Cap.* Et Cl. Fagnanus Jur. Canonici conſultiſſimus, quem ſummopere commendat, atque ſequitur Cl. Pontas in *Dictionar. Caſ. Conſc.* Verb. *Imped. Clandeſtin. Caſ.* 4. qui ibidem docet ac probat Matrimonium contractum ab eo, qui a paucis tantummodo diebus in aliqua Paræcia inhabitare incæperat, coram Parocho ejuſdem, validum eſſe; modo bona fide ea in re procedat, licet animum non habeat ibi diu permanendi. Quorum omnium illa affertur ratio; quia quis efficiatur Parochianus (h. e. ſubditus alicujus Paræciæ) non requiri formalem translationem domicilii, ſed ſufficere ſimplicem habitationem de præſenti, ut quis recipiatur ad Eccleſiaſtica Sacramenta; nam ad hunc effectum ibi quis dicitur habere domicilium ubi inhabitat; uti docet Auctor *Gloſſæ.* Hoc idem docet Cl. Sylvius *Suppl. III. Par.* D. Th. *Cap.* 45. *ar.* 3. *quæſt.* 5. Atque adhæret Cl. Sanchez. *De Matrim. Lib. III. Diſp.* 23. *n.* 13. Aliter tamen ſe res habet in Sacramento Ordinis, ac in Civilibus. Sanch. ibid. Sed his ſatis ſuperque. Longiuſcula fortaſſe videbitur iſthæc Append. ſed argumenti amplitudo, & rerum dicendarum copia inde ſuborta brevioribus limitibus contrahi, atque coarctari non poterat. Interim alia poſtrema ſupereſt elucidanda Decretalis, quæ cum oc-

occaſionem præſtiterit extricandi caſus non paucos pertinentes ad noſtrum propoſitum circa Bullam Cruciatæ S. ſine piaculo prætermittenda non erat.

Decretalis XV.

Decretalis iſthæc legitur in *tit. De Simonia* cujus initium eſt: Ex *inſinuatione*, atque auctorem præ ſe fert Clementem III. qui Pontificia dignitate auctus, atque conſecratus fuit Die 19. Menſis Decembris anno 1187. juxta accuratam chronologiam Cl. Pagi in *Critica Baronii*. Die autem 28. Menſis Martii anno 1191. e vivis ereptus eſt. Hic Pontifex valde pro ſua parte promovit Sacras Expeditiones adverſus Turcas pro recuperatione Terræ Hieroſolymorum; ipſe enim auctor fuit *Friderico* I. dicto *Ænobardo* Imperatori, *Philippo* Auguſto Galliæ, & *Riccardo* Angliæ Regibus, ut Sacram hujuſmodi Expeditionem ſuſciperent. Conſule quæ de hoc Pontifice dicta fuere hac ipſa II. Appendice §. 1. *n. XXXV. & XXXVI.* Verum cuinam Prælato reſcribat Pontifex in hac Decretali penitus ignoratur, quia nullibi id indicatur.

Q. I. *Quænam fuerit facti ſpecies huic Pontifici propoſita, cui per laud. Decretalem reſponſum adhibuit?*

R. Facti ſpecies hunc in modum ſeſe habebat: Quidam Pater interveniente pecunia ſuo filio Præbendæ beneficium comparavit; cum autem filius ad annos diſcretionis poſtmodum perveniſſet, Do-

minicæ Crucis ſignum accipiens ſuper exceſſu poenitentia ductus, dictam Præbendam in manu Præpoſiti, & Fratrum libere reſignavit. At idem Præpoſitus, ac Fratres compatientes, ac commiſerantes vicem ipſius, denuo ipſum in ſuum Canonicum elegerunt; ita tamen, quod ſecundum electionem iſtam poſtremum locum in Choro, & in aliis locis obtineret. His tamen non contentus memoratus Canonicus ad Pontificem acceſſit, ab eoque enixe, atque humiliter poſtulaverat, ut declarare, ac decernere dignaretur, utrum juxta priorem electionem, ac receptionem locum ſibi debitum recuperare valeret. Huic autem reſcripſit Pontifex, ut indulgentiæ, quam Fratres ſibi feciſſe miſericorditer noſcebantur, contentus exſiſtens, ratione primæ receptionis nihil auderet in ipſa Eccleſia vindicare.

Cum eo itaque in Canonicum ſimoniaca pecuniæ datione interveniente recepto, uti patet ex adducta Decretali, aliquanto indulgentius actum fuit; quia tactus dolore cordis intrinſecus, atque animi pœnitudine ductus pro tam enormi ſcelere Sacræ Expeditioni nomen dederat Crucis, aſſumto ſignaculo; quæ ſane res cum infinitis propemodum periculis, atque incommodis erat obnoxia, pro ingenti, atque, ut ita dicam, abundantiori ſatisfactione reputabatur.

Q. II. *In quo ſita ſit hujuſmodi Indulgentia, quæ ex Apoſtolico præcepto con-*

ten-

tentus eſſe jubetur memoratus Canonicus ?

R. Ut liquido pateſcat, ac recte percipiatur, quænam eſſet iſthæc indulgentia, quam cum iſtiuſmodi Canonico adhibitam memorat Pontifex, opus eſt, ut prius innoteſcat quid antiquorum Canonum ſeveritas hac in re cum iſtiuſmodi hominibus ſimoniaca labe infectis præſcribat exequendum.

Primo quidem omnibus notum eſſe debet, in iſtiuſmodi homines ſimoniaca labe fœdatos Eccleſiaſtica lege ſtatutam fuiſſe pœnam depoſitionis, ſive decretum fuiſſe irritum ac inane illud omne, cui ſimoniaca peſtis aditum præbuiſſet, ac viam paraſſet. Hæc Eccleſiaſtica lex antiquiſſima eſt; ſtatim enim ac hujuſmodi vitium invaleſcere incœperat, ſeveritate poenarum, ut illud compeſceretur, ac penitus exterminaretur, maximopere curavit Eccleſia. Canones Apoſtolici 30. & 31. pœnam depoſitionis, atque excommunicationis decreverant in Epiſcopos, Præbyteros, ac Diaconos, qui per pecunias hanc obtinuiſſent dignitatem: *Dejiciatur*, inquit, *ipſe, ac Ordinator ejus, & abſcindatur a communione*. Eaſdem poenas innovavit, ſive confirmavit Synodus Chalcedonenſis anno 451. celebrata, illas ſimul extendendo ad Ordines Minores, tum ad ipſa Eccleſiaſtica Officia. *Can.* 2. Lege Cl. Thomaſſinum in *Nova & Veteri Eccleſia Diſciplina Part. III. Lib. I. Cap. 49. n. 1. & ſeqq.*: Hunc Chalce-

cedonenſem Canonem innovarunt, etiam & confirmarunt Synodus Aurelianenſis II. anno 536. *Can.* 4. Aurelianenſis. V. anno 549. Turonenſis II. anno 567. Cabillonenſis anno 650. Trullana anno 692. *Can.* 22. Rhemenſis anno 992. Synodus Nicoena II. anno 787. lecta, & probata Epiſtola S. Taraſii Patriarchæ Coſtantinopolitani, in qua hujuſmodi poena aperte adſeritur, ac decernitur. Et Leo IV. Pontifex medio Seculo IX. Haſce autem Ordinationes adeo deteſtata fuit Eccleſia, atque adeo, quacumque etiam præmiſſa pœnitentia hujuſce ſceleris ſontes ac reos ad miniſterii executionem admittere olim noluit Eccleſia, ut etiam irritas, & inanes illas diceret, atque haberet Ordinationes, veluti ſubſtantialiter nullas; revera tamen quantum ad effectum, atque executionem; uti adverſus Morinum probat Chriſtianus Lupus. Vide Van Eſpenium *Part. II Sect. III. tit.* 13. *Cap.* 6. *tom. II. Editionis Neapolitanæ.*

Quamvis autem memorati Canones loquantur de illis, qui per Simoniam ad Ordines aſcenderint; eo quod juxta illorum temporum diſciplinam, cum Beneficia non adhuc diſcreta eſſent, atque ſejuncta ab Ordinibus, per ſolam Ordinationem ad Eccleſiaſticos gradus aſcenderetur; indubitatum tamen eſt, eos etiam comprehendiſſe, qui mutata Eccleſiæ diſciplina, ad Sacra Miniſteria, ac Dignitates Eccleſiaſticas non quidem per Ordina-

tio-

tionem, ſed per Beneficiorum inſtitutionem ſimoniace acceptam promoverentur. Quod diſertis verbis expreſſit Alexander II. qui ſedit medio fere Seculo XI. & refertur a Gratiano *Cauſ.* 1. *q.* 3. *Can.* 9. Calixtus II. qui ſedit Seculo XII. ceterique ſubſecutis ætatibus Pontifices; præſertim Paulus II. *Extravag.* Cum Deteſtabile De *Simonia* inter Extravagantes Communes. Martinus V. *ſeſſ.* 43. Concilii Conſtantienſis. Et S. Pius V. in *Conſtitut.* Ut ſimoniacæ. Quod etiam extenſum fuit ad illos, qui per Simoniam ab aliis admiſſam, etiam ipſis ignorantibus, ingreſſum ſibi paraverant ad Beneficia, ſive Miniſteria Eccleſiaſtica; hujuſmodi etiam deponendos eſſe *Sancti Canones teſtantur*, inquit Urbanus II. in *Can.* Præſentium. 3. *Cauſ.* 1. *q.* 5. Quod patet etiam ex aliis canonibus poſtea adducendis. Etenim de hujuſmodi etiam conſtat, quod non per *Oſtium*; h. e. Chriſtum, intraverint in Ovile ovium, ſed aſcenderint *aliunde*, quos omnino a Sacris Miniſteriis removendos decernit, atque jubet Eccleſia.

Depoſitionis iſthæc poena abſolutam, ac perpetuam, ac nulla pœnitentia delendam irregularitatem deſignabat; etenim, *Depoſitio*, ut advertit Chriſtianus Lupus *ex natura ſua, eſt perpetua, ac irreparabilis.* Quare per integrum ſpatium undecim Seculorum vix ullum reperies, aut fortaſſe etiam nullum exemplum diſpenſatio-

tionis adhibitæ cum illis, qui eſſent hoc crimine inquinati, ut a pœnis a Jure adverſus ipſos ſtatutis eximerentur.

Primus autem qui aliquod diſpenſationis levamen cum Simoniacis adhibendum cenſuit, fuit Nicolaus II. in Synodo Romana anno 1059.; cum iis nempe, qui gratis a Simoniacis ordinati fuiſſent, illos, *non tam cenſura juſtitiæ, quam intuitu miſericordiæ* in acceptis Ordinibus manere permiſit. At vero Urbanus II. in Synodo Placentina anno. 1095. & iterum in Romana anno 1099. aliquid amplius indulgendum putavit, ac detrahendum de ſeveritate Canonum. Etenim præter diſpenſationem, quam adhiberi permiſit cum Ordinatis *non Simoniace* a Simoniacis; ſtatuit etiam moderationem, ſive diſpenſationem adhibendam cum iis, *qui Simoniace* ordinati fuerant his verbis: *Quicumque ſane cupiditate parentum, cum adhuc parvuli eſſent, Eccleſias, vel Eccleſiarum beneficia per pecunias adepti ſunt, poſtquam eas omnino dimiſerant, ſi canonice in iis vivere voluerint, pro magna miſericordia ibidem eos eſſe concedimus*. Imo cum illis etiam, qui per ſe ipſos Simoniam commiſerint, diſpenſari permittit, quibuſdam tamen adhibitis conditionibus, ut ibidem legere eſt. Refertur hoc decretum a Gratiano *Cauſ.* 1. *qu.* 5. *Can.* Quicumque. 1. Hoc tamen ſeſe feciſſe teſtatus eſt ſolius *miſericordiæ intuitu*, *magnaque neceſſitate* cogente; etenim Si-

mo-

moniacæ pravitatis nequitia jam latiſſime patens in Eccleſia quamplurimos infecerat; adeo ut ceſſante neceſſitate, ab ea quoque ceſſandum diſpenſatione doceat. Lege Van-Eſpenium *loc. cit.* Illud vero perquam maxime in laud. Decreto erit cuique advertendum, quod non permittatur adhiberi diſpenſatio, niſi ille, quicum erat diſpenſandum, *Canonice* vivere voluerit, aut promiſerit. Etenim *Canonice* ſive Regulariter *vivere ſecundum temporis illius diſciplinam & praxim idem eſſet, quod vivere in communi: ita ut qui ea diſpenſatione uti vellent, deberent vitam ducere clauſtralem; ita ut quodammodo cauſſa penitentiæ ad Monaſteria retruderentur. Van-Eſpen. Ibid.*

Itaque ut ad Decretalem propoſitam redeamus, quam illuſtrandam ſuſcepimus, dicimus ad hunc modum diſpenſatum fuiſſe cum eo Canonico, de quo in laud. Decretali a Præpoſito, ac Fratribus, Collegis ſuis. Nam I. certum eſſe debet Simoniam commiſſam fuiſſe ignorante promoto Canonico; ſecus enim nec Capitulum, nec etiam Epiſcopus potuiſſet cum eo diſpenſare; uti recte hic adnotat *Gloſſa* Verb. *Tibi.* II. Canonicus memoratus cognita Simoniaca pravitate a Patre admiſſa Canonicalem præbendam ſponte reſignaverat in manu Præpoſiti, ac Fratrum, antequam iſti ad diſpenſandum cum eo adducerentur; quod apertiſſime indicant verba laud. Decretalis. III. Forſitan

etiam

etiam memoratus Canonicus *Canonice* vivebat, & *Regulariter* in Clauſtro, quod exquirebat memoratum Urbani II. Decretum; licet enim reſtituta communis vitæ Clericorum in Cathedralibus, ac Collegialibus Eccleſiis medio fere Seculo XI. pluribus in locis jam ceſſaverat, atque in deſuetudinem abierat Seculo XII. quo exeunte litteris exarata fuit præſens Decretalis, multis tamen in Regionibus illud vitæ communis genus adhuc perſeverabat ea ætate; adeo ut multum vero ſimile ſit, ne dicam pene certum, atque exploratum, Canonicum iſtum, de quo ad præſens loquimur, *Canonice*, & *Regulariter*, ut antea dixeramus in Clauſtro vitam duxiſſe. Conferenda huc etiam erit alia ejuſdem Pontificis Decretalis, quæ incipit *De Regularibus Canonicis. Cap.* 24. ejuſdem *tit. De Simonia*, ubi de hujuſmodi Congregationibus Canonicorum Regularium adhuc vigentibus ea ætate loquitur laud. Pontifex. Ad quam rem magis confirmandam plurimum etiam facit nomen *Præpoſiti*, de quo mentio fit in laud. Decretali, cujuſmodi nomine illi donabantur, qui præerant hujuſmodi Congregationibus Canonicorum Regularium. At de his legatur Cl. Thomaſſinus in ſuo Opere inſcripto *Vetus*, & *Nova Eccleſiæ Diſciplina Part. I. Lib. III. Cap.* 11.

Illud etiam hic adjiciam, paulo nimirum, uti videtur, indulgentius actum fuiſſe cum hujuſmodi Canonico, de quo loqui-

tur

tur laud. Decretalis; ut illud ſcilicet, quod nonniſi *magna neceſſitate* cogente, eaque tantummodo perdurante neque permittendum, neque audendum juſſerat laud. Urbanus II. in ſuo Decreto ſuperius adducto; cum hujuſmodi Canonico, qui in ſinceræ pœnitentiæ argumentum, ac pro expiatione tanti ſceleris Peregrinationem, ſive potius Expeditionem Hieroſolymitanam ſuſceperat, adhibitum pateretur laud. Clemens III. tanta non premente neceſſitate, quanta inſtabat ætate Urbani II. Jam enim inſtitutæ, ſine renovatæ hujuſmodi Canonicorum Regularium Congregationes magna ex parte remedium attulerant & incontinentiæ Clericorum, ac Simonicis pravitatibus, quæ ſuperioribus ætatibus longe lateque per Eccleſiaſticas ditiones divagatæ omnem Clerum miſerandum in modum dehonoſtaverant. Lege Cl. Thomaſſinum *loc. cit. n. 6.*

Atque hiſce ſane ex fontibus, atque ex Juris principiis derivata fuit, atque confecta per B. Raymundum præeunte auctoritate Gregorii IX. notiſſima illa Decretalis relata in *Cap.* Si alicujus. 59. *De Electione*, in qua ſtatuitur, ut in eo, qui ignoranter receperit ſimplex beneficium per ſimoniacam pravitatem, poſt liberam ejuſdem beneficii reſignationem poſſit Epiſcopus diſpenſare quantum ad inhabilitatem ad idem beneficium retinendum, ſive recipiendum. Etenim illud, quod antiquitus per Urbanum II. ſtatutum fue-

rat

rat de diſpenſatione concedenda hujuſmodi ſimoniaca labe infectis in favorem vitæ Communis, ſive Regularis, ad cujus laudabilis vitæ genus poſt reſtauratas Congregationes Canonicorum Regularium per eam ætatem maximopere curabant Pontifices hujuſmodi promiſſa diſpenſatione invitare, atque allicere Clericos (Lege Thomaſſinum *loc. cit.* Et *Cap.* 1. *&* 2. apud Gratianum *Cauſ.* 1. *qu.* 5.) id poſtea per Gregorium IX. Pontificem in laud. Decretali extenſum fuit ad omnes hujuſmodi Simoniacos per ignorantiam ex alieno facto, etiam nullo impoſito onere diſciplinæ Regularis, ſive vitæ Clauſtralis amplectendæ.

Q. III. *Num in diſpenſatione adhibita cum hujuſmodi Canonico, de quo Clemens III. in laud. Decretali auctoritas Epiſcopi intervenerit.*

R. Utrumque recte dici poſſe docet *Gloſſa* in laud. Decretalem *Ex inſinuatione*, vel quod Capitulum diſpenſarit cum hujuſmodi Simoniaco, ad retinendum illud idem beneficium, ſive ad illud elegerit, ad quod evaſerat inhabilis ratione admiſſæ ſimoniacæ pravitatis; Etenim licet Epiſcopus jure communi ſit Ordinarius Collator omnium beneficiorum in propria Diœceſi exiſtentium; poteſt tamen aliis competere illorum collatio, vel ex Apoſtolica conceſſione, vel ex immemorabili conſuetudine, vel præſcriptione. Uti do-

cet

cet Van-Eſpenius *De Ordinar. Benefic. Proviſion. Part. II. Sect. 3. tit. 4. c. 1.* vel quod Capitulum elegerit per diſpenſationem Epiſcopi. Etenim Epiſcopus de conſenſu Capituli cum talibus diſpenſat. *Gloſſa laud.* Ad Verbum *Elegerunt.*

Q. IV. *Quænam ſint poenæ adverſus reos ſimoniacæ pravitatis ſancitæ Canonico Jure?*

R. Nemini omnium, qui Moralium Diſciplinam vel leviter attigerit, incompertum aut ignotum eſſe poteſt pœnas adverſus Simoniacos ſtatutas Canonica auctoritate, non incurri, niſi tribus tantum in Caſibus 1. In Ordine. 2. In ingreſſu Religionis. 3. In Beneficiis. De pœnis autem ſancitis adverſus reos Simoniæ admiſſæ in Ordinationibus ſatis ſuperque diſputatum fuit ſuperiori Appendice; ubi & illud, quod noſtra maximi intererat, & argumenti noſtri ratio neceſſario exigebat, ſedulo inveſtigavimus, an pœnæ hujuſmodi poſſent remitti, ac relaxari per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ. Quare hoc idem hoc loco ſupereſt inquirendum de pœnis ſancitis contra Simoniam admiſſam aut in Beneficiis, aut in Ingreſſu Religionis. Primo itaque quæramus oportet, quænam ſint hujuſmodi poenæ; ac dein quid poſſit circa illas Confeſſarius electus facultatibus Bullæ noſtræ Cruciatæ.

Q. V. *Quænam ſint pœnæ ſancitæ contra Simoniam admiſſam in Beneficiis?*

R. Eſſe ſequentes. 1. Excommunicatio

Pon-

Pontifici reſervata, quam ipſo facto incurrunt illi, qui beneficium ſimoniace contulerint, ſuſceperint, aut quovis modo procuraverint. *Extravag.* Cum Deteſtabile. 2. *De Simonia*.

II. Invaliditas actus ſimoniaci; ita ut proviſus etiam occultus fructus non faciat ſuos, ac teneatur in conſcientia tam fructus eoſdem, quam beneficium reſtituere laud. *Extravag.* Cum deteſtabile.

III. Inhabilitas ſimoniace electi ad idem beneficium; adeo ut, nec ipſo Epiſcopo diſpenſante, poteſt illud beneficium obtinere, in quo admiſſa eſt ſimonia. *Cap.* Nobis fuit. 27. *De Simonia.* Et *Cap.* Penultim. *De Election.*

IV. Inhabilitas ad alia beneficia in poſterum obtinenda, durante ſaltem cenſura excommunicationis. Vide Cabaſſutium in Sua *Theor. Et Praxi Juris Canon. Lib. V. Cap.* 8.

Adverſus autem Simoniam Confidentiariam eaedem fere poenæ ſancitæ fuere, quemadmodum & nos data occaſione diſtinctius notabimus inferius.

Q. VI. *Ob quam Simoniæ ſpeciem ſubeundæ ſint recenſitæ poenæ?*

R. Cum plures Simoniæ ſpecies enumerentur a Moralium rerum tractatoribus, illud inquirendum nobis occurrit, quæ Simoniæ ſpecies requiratur, ut recenſitis poenis fiat obnoxia. Qua in re hæc pro certis habeantur oportet. I. Pro Simonia Mentali nulla prorſus incurritur poena

Ca-

Canonica; cogitationis enim pœnam nemo patitur; nec habent latentia peccata vindictam, ſcilicet in humano judicio. *Cap.* Chriſtiana 23. *Cauſs.* 32. *q.* 5. Et *Cap.* Cogitationis 13. *De Pœnitent. Diſtin.* 1. Confer huc etiam *Cap.* Tua Nos 33. 1. Et *Cap.* Sicut 32. *De Simonia*. Adeo quidem ut, de hujuſmodi Simoniacis recte pronuntiaverit Gregorius IX. homines *pro Simonia hujuſmodi non teneri*, poenis ſcilicet Eccleſiaſticis Sanctionibus ſancitis; ſedl *delinquentibus ſufficit per pœnitentiam ſuo ſatisfacere Creatori. Cap.* Mandato *Ultim. De Simonia*.

II. Certum eſt pro Simonia Reali, quæ dicitur *a Manu* utrinque completa ſaltem inchoate; uti cum pro recepto beneficio pretii pars ſoluta fuerit, Canonicas pœnas contrahi. Etenim verba legis cum effectu ſunt accipienda, ut Jura decernunt. Quare aut pro Simonia Reali utrinque completa dicendum erit Canonicas pœnas contrahi, aut nullam ſimoniacam pravitatem Canonicis poenis affici. Hinc in laud. *Extravag.* Cum deteſtabile. dicitur: *Qui quomodolibet dando, vel recipiendo Simoniam commiſerint*, incurrere excommunicationis ſententiam. Quæ verba juxta Navarrum deſignant Simoniam Realem utrinque completam, per *dationem, & receptionem*.

III. Certum quoque, atque exploratum eſſe debet, quod per Simoniam Conventionalem Confidentialem Canonicas pœnas in-

incurrantur; id enim expreſſe, ac diſerte decernitur in Bulla Pii V. his verbis: *Omnes, & ſinguli, qui beneficia, penſiones, hoc intercedente pacto, receperint, vel quidquid tale admiſerint.*

IV. Pro ſimonia mixte Conventionali, at citra Confidentiam, num Canonicæ poenæ incurrantur, non leve hac de re fervet diſſidium Thologos inter, ac Canonum Interpretes. Cl. Van-Eſpenius loquens de invaliditate proviſionis Simoniaca labe infectæ docet, opinionem hujuſmodi, qua ſola Simonia Realis ſubjciatur Canonicis poenis, fuiſſe inductam contra mentem, & verba Pontificum, & Synodorum; cum Simonia Conventionalis, æque ac Realis, ſit vera, ac formalis Simonia. *Part. II. Sect.* 3. *tit.* 13. *Cap.* 6. Garcias innumera refert Sacræ Rotæ reſolutiones, & Eccleſiaſticos Canones, quibus probat proviſiones Simoniacas per ſolam etiam Simoniam Conventionalem fuiſſe invalidas declaratas. *Part. VIII. De Beneficiis. Cap.* 1.

At vero Cl. atque Juris conſultiſſimus Vir Martinus Navarrus tum in ſuo *Manuali*, tum in *Conſiliis* ſæpe, eumque ſecuti innumeri Scriptores oppoſitam potius tuentur ac tradunt ſententiam; ob Simoniam nempe Conventionalem non incurri Canonicas pœnas neque cenſurarum, neque invaliditatis actus, in quo Simonia fuiſſet admiſſa. Priorem ſententiam, licet magis veram de Jure fateamur,

ut

ut poſteriorem magis veram de conſuetudine adſerimus; quapropter ab hac poſteriori, quæ magis communis videtur, recedere animus minime patitur, quam & ſequitur Romana Curia, & Sacra Pœnitentiaria. Vide Navarrum in ſuo *Manuali Cap.* 23. *n.* 104. *& ſeqq.*

Q. VII. *Num Simonia admiſſa in Eccleſiaſticis Penſionibus Canonicis pœnis ſit obnoxia?*

R. Illum, qui pretio recepto Clericalem Penſionem in alium transfert, aut per anticipatas ſolutiones privata auctoritate extinguit; licet graviſſime peccet, atque actum invalidum facit, Eccleſiaſticas tamen cenſuras non contrahit. Etenim Pauli II. *Extravagans* Cum deteſtabile; excommunicatione tantummodo plectit committentes Simoniam in Ordine, ac Beneficiis; Penſio autem neque Beneficium eſt, neque Ordo. Ita laud. Navarrus *loc. cit. n.* 111. Gabaſſutius in ſua *Theoria*, *& Praxi Jur. Can. Lib. V. Cap.* 8. *n.* 4. Bonacina *De Simonia Diſp.* 1. *qu.* 7. §. 2. *n.* 5., aliique communiter. Secus vero dicendum quando emeretur, vel redimeretur Penſio ad quærendum, vel renunciandum aliquod beneficium; quia tunc videretur committi Simonia, eo quod datur pretium ad dandum, vel quærendum jus ſpirituale; aut quando agitur de Simonia Confidentiali; h. e. cum Penſiones acceptæ fuerint ex bene-

ficiis ob Simoniam Confidentialem. Ita Bonacina, Navarrus *ll. cit.*

Q. VIII. *Num committentes Simoniam in Prælaturis Regularium ſubjiciantur, Canonicis poenis ſtatutis adverſus Simoniacos?*

R. Affirmative. Ita communiter Theologi contra Bonacinam, qui tum *loc. cit.* tum alibi h. e. *De Excommunicat. in particular. Diſp. II. qu.* 3. *Punct.* 24. *n.* 4. in contrariam hac in re abiit ſententiam; ſed non recte, uti patet. Cum enim Prælaturæ Regularium; uti ſunt Abbatum, Priorum, Guardianorum &c. ſint officia jurisdictionem ſpiritualem adnexam habentia, hinc recte inter Beneficia computantur, & nomine Beneficiorum comprehenduntur etiam in hac materia pœnali, & odioſa. Hinc recte Cl. Thomaſſinus In *De Nova, & Veter. Eccleſiæ Diſciplin. Part. III. Lib. I. Cap.* 53. *n.* 1. inquit. In Beneficiorum album relatæ ſunt Abbatiæ, non aliter quam Epiſcopales Cathedræ. Quod ſane Viri Cl. dictum veluti ex pentiſſima rerumEccleſiaſticarum ſcientia pronuntiatum, indubitanter tenendum eſt. Imo licet prædicta Regularium munia nomine beneficiorum non comprehenderentur, haud tamen Simonia in illis admiſſa ab Ecclaſiaſticis poenis eſſet immunis; quod apertiſſime colligitur ex verbis laud. *Extravagant.* Cum deteſtabile. ubi hæc habentur: *Per electiones vero, poſtulationes, confirmationes,* *pro*

proviſionos, ſeu quaſvis alias diſpoſitiones, quas Simoniaca contigerit labe fœdari, & quæ viribus omnino careant in Eccleſiis, Monaſteriis, Dignitatibus, Prioratibus, Officiis Eccleſiaſticis, & quibusvis Beneficiis : Deinde paucis interjectis, ſtatim ſubjungit excommunicationis poenam, cujus abſolutionem ſibi, ac ſuis Succeſſoribus reſervat Pontifex contra eos omnes, qui in hujuſmodi Prælaturis obtinendis aliquid hujuſmodi attentare auſi fuerint. Quin & eaſdem excommunicationis pœnas etiam incurrent, qui ad hujuſmodi Prælaturas Simoniace obtinendas mediatores extiterint. Ita Cabaſſutius Laud. *Lib. V. Cap.* 8. *n.* 5. Navarrus in ſuo *Manuali laud. Cap.* 23. *n.* 111. Suarez. *De Cenſur. Diſp.* 22. *Sect.* 5. *n.* 24. Ceterique communiter.

Q. IX. *Num poena ſtatutæ adverſus hujuſmodi Simoniacos in Beneficiis poſſint relaxari, aut remitti per Confeſſarios eligendos virtute noſtræ Cruciatæ?*

R. Et dico. Excommunicationis pœnam irrogatam reis hujuſmodi Simoniae, poſſe abſolvi per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ nullatenus dubitandum reor. Ratio autem eſt; quia nulla eſt cauſſa, cur dicatur hujuſmodi excommunicationem non poſſe abſolvi per facultates nobis in Bulla noſtra conceſſas, cum nulla in hujuſmodi cenſura conſtituenda adſit ſpecialis reſervatio, nulla ſpecialis derogatio privilegiorum Cruciatæ S. ſed tantummodo di-

 catur

catur ; *Sententiam excommunicationis incurrant , a qua , nonniſi a Romano Pontifice pro tempore exſiſtente abſolvi poſſunt.* laud. *Extravag.* Cum deteſtabile. Et licet Caſus *Simoniæ realis ſcienter contractæ* connumerentur inter Caſus ſpecialiter reſervatos nobis *extra Urbem intra Italiam* ex Decreto Clementis VIII. adhuc tamen illum poſſe abſolvi per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ definivit noſter Eminentiſſimus Commiſſarius ; quod & nos fuſius probavimus in Priori Appendice . Imo poſſe quoque eumdem Caſum abſolvi per facultatem *Cap. Liceat.* Quod & nos *Additionib. ad* Elementa &c. *tom. V. Append. V.* oſtendimus.

Dices : In Coſtitutione Xyſti V. *Sanctum & Salutare* poenæ latæ contra Simoniacos reſervantur Summo Pontifici cum expreſſa derogatione privilegiorum Cruciatæ S. Ergo per facultatem Bullæ Cruciatæ S. non poteſt prædicta excommunicatio abſolvi.

R. Negando Conſequentiam ; quia Xyſtus V. laud. *Conſtitutione* non loquitur , niſi de Simoniæ crimine in Ordine admiſſo , pro quo quidem crimine poenæ impoſitæ non poſſunt abſolvi per facultates Cruciatæ S. quibus expreſſe derogatum fuit , quod & alibi a nobis fuſe probatum fuit . Hic autem loquimur de Simonia commiſſa in beneficiis , in cujus excommunicationis conſtitutione , cum nulla adſit ſpecialis derogatio privilegio-

rum

rum Cruciatæ S. non eſt cur dicatur non poſſe prædictam excommunicationem per privilegia hujuſmodi Cruciatæ S. abſolvi.

Imo in ea ſum ſententia, qua credam illos, qui mediatores exſtiterint ad committendam Simoniam in Ordine, licet excommunicationem incurrant; uti patet ex *Extravag.* Cum deteſtabile. illis verbis: *Aut quod illa fiat* (h. e. Simonia) *mediatores exſtiterint*; nihilominus per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ poſſe abſolvi. Quia Xyſtus V. laud. Bulla *Sanctum & Salutare.* non reſervat cum ſpeciali derogatione privilegiorum Cruciatæ S., niſi tantummodo Simoniam commiſſam tam ex parte Ordinantis, quam Ordinati, non vero ex parte eorum, qui ad illam committendam mediatores acceſſerint.

Q. X. *Num idem dicendum ſit de excommunicatione contracta ob Simoniam Confidentialem?*

R. Affirmat. Hanc pariter excommunicationis cenſuram poſſe abſolvi a' Confeſſariis eligendis virtute Bullæ Cruciatæ S. Etenim in Bulla *Intolerabilis.* quæ eſt S. Pii V. edita anno 1569. quam integram refert Martinus Navarrus in ſuo *Manuali* laud. *Cap.* 23. *n.* 110. ubi crimen hujuſmodi graviſſimis pœnis ſubjicitur, in ſancienda poena excommunicationis nulla prorſus occurrit ſpecialis derogatio privilegiorum Cruciatæ S. Imo ſi fuerit delictum hujuſmodi occultum poterit

etiam Confeſſarius prædictus facultatibus *Cap. Liceat* Tridentini ab excommunicatione inde contracta abſolvere. Porro *Caſus Simoniæ Confidentialis Beneficialis* recenſetur etiam inter Caſus ſpecialiter reſervatos a Clemente VIII. in ſuo Decreto. Attamen poſſe illum abſolvi per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ, & *Cap. Liceat.* Tridentini merito arbitramur, quod & antea oſtenſum eſt.

Q. XI. *Num ab aliis pœnis ob hujuſmodi crimen Simoniæ in beneficiis impoſitis, poterit Confeſſarius abſolvere virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ?*

R. A poena inhabilitatis ad beneficia in poſterum obtinenda, quam incurrit Beneficiarius, qui beneficium receperit per ſimoniacam pravitatem, poterit abſolvi per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ. Ratio autem eſt, quia iſthæc inhabilitatis poena conſequitur ex cenſura excommuuicationis, ſitque ejus effectus; etenim excommunicati majori excommunicatione inhabiles evadunt ad quæcumque Eccleſiaſtica beneficia obtinenda *Cap. Poſtulaſtis, 6. De Cleric. Excommunicat. Miniſtrant.* Quare ſublato excommunicationis vinculo per legitimam abſolutionem collatam virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ, inde ſequatur oportet, quod hujuſmodi inhabilitas ceſſet, atque evaneſcat. Secus vero dicendum erit de inhabilitate impoſita a Pio V. in ſua Conſtitutione *Intolerabilis*, adverſus committentes Simoniam

Con-

Confidentialem in beneficiis; hæc enim cum ſit pœna diſtincte impoſita, neque excommunicationis effectus, hinc eſt, quod illa ſaltem in locis, ubi quantum ad hanc pœnam perpetuæ inhabilitatis, recepta fuit prædicta Pii V. Bulla, non poteſt auferri, niſi per diſpenſationem Pontificiam; adeoque ad eam remittendam, ſive relaxandam nihil ſibi juris adrogare poterit Confeſſarius eligendus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ, cui non diſpenſandi facta eſt poteſtas, ſed tantummodo abſolvendi a Reſervatis Pontificiis. Vide Bonacinam *In De Simonia Diſp. 1. qu. 7. Punct. 2. Difficult. 2. n.* 4. qui recte etiam docet nec etiam Epiſcopum per facultatem *Cap. Liceat.* Tridentini in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, poſſe diſpenſare in hujuſmodi inhabilitate ad beneficia in poſterum obtinenda; cum iſthæc inhabilitas non ſit irregularitas.

Idem prorſus dicendum erit de illa inhabilitate, in quam incidet Simoniacus, ad obtinendum illud idem Beneficium, in quo commiſſa fuit Simonia. Etenim hujuſmodi etiam inhabilitas non poterit auferri, niſi per Pontificiam diſpenſationem, *Cap.* Nobis fuit 27. *De Simonia.* Et *Cap. penultim. De Electionib.* Nec poteſt ipſe etiam Epiſcopus *pro ea vice* in hujuſmodi inhabilitate diſpenſare, etiamſi Simoniæ crimen fuiſſet admiſſum ipſo proviſo ignorante, nec ratum habente. Laud. *Cap. penultim. De Electionib.* Vide ibi Cl. Gon-

zalez. Et licet cum eo, qui ignoranter ſimplex beneficium receperit poſt liberam reſignationem Epiſcopi diſpenſatio admittatur, & locum habeat juxta laud. *Cap. penultim. De Electionib.* attamen neque hoc in caſu cum hujuſmodi Simoniaco in hac inhabilitate ad eam tollendam vel in ea diſpenſandi quidquam juris habet Confeſſarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ, cum nulla diſpenſandi eidem fuerit per noſtram Bullam attributa poteſtas.

At quid dicendum ſit de poena invaliditatis collationis, ac proviſionis beneficii?

R. Norunt omnes quemcumque actum juriſdictionis, aut adminiſtrationis, quæ ordinatur ad obtinendam beneficii proviſionem eſſe irritum, & inanem jure ſaltem Eccleſiaſtico; & conſequenter ipſam Beneficii proviſionem. Cap. Matthæus 22. *De Simonia. Cap.* Sicut tuis 32. *tit. eod.* Atque *Extravag.* Cum Deteſtabile. Hinc in *Cap.* Ea quæ 5. *Cauſs.* 1. *q.* 3. quod eſt Urbani II. in Synodo Placentina decernitur, ut *quidquid vel in Sacris Ordinibus, vel in Eccleſiaſticis rebus, data, vel promiſſa pecunia adquiſitum fuit, irritum eſſet, ac nullas vires haberet.* Vide Bonacinam *In De Simon. Diſp.* 1. *qu.* 7. *Punct.* 2. *Prop.* 2. *n.* 10. Neque ab hac poena excuſare poterit ignorantia quamvis invincibili, ut collatio, aut proviſio fiat valida, ut communiſſime docent Theo-

Theologi, ac Canonum Interpretes contra Navarrum qui *Conſilio* 95. *De Simon.* tuetur iſtiuſmodi proviſionem, aut collationem Beneficiorum non eſſe ipſo Jure nullam; Cujus ſane contrarium patet ex laud. Canonibus aliiſque adductis. Excipitur tantummodo caſus, quando quis per injuriam circumventus fuit data pecunia in ejus odium *Cap.* Nobis fuit 26.; ac dum quis ſuſpicans de Simonia expreſſe contradicat, prohibens ne pro ſua nominatione aliquid detur, nec poſtea ratum habeat pactum Simoniacum *Cap.* Sicut nobis. 33. De Simon.

Ab hac itaque poena invaliditatis collationis; ſive proviſionis beneficii nemo poteſt ſolvere, atque collationem convalidare niſi ſolus Romanus Pontifex, qui in jure ſupra jus, ut Canones decernunt, diſpenſare valet; qui licet diſpenſare non poſſit cum Simoniacis in ipſo vitio Simoniæ, ita ut vitium Simoniæ alias incurrendum virtute ipſius diſpenſationis auferretur, ſive purgaretur; poteſt tamen cum eiſdem Simoniacis diſpenſare quantum ad poenas a Jure decretas. (Vide Van Eſpenium *De Simonia circ. Beneficia Part. II. Sect.* 3. *tit.* 13. *Cap.* 7.) Invaliditas autem collationis, ſive proviſionis Beneficii eſt poena a Jure decreta adverſus Simoniacos, uti patet. Neque in hac pœna relaxanda, ſive convalidanda collatione quidquam juris, ſive poteſtatis adrogare ſibi poterit Confeſſarius

virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ; quoniam cum iſtiuſmodi poenæ relaxatio ſit pura puta, ac mera diſpenſatio, ac in materia diſpenſationis non ſufficiat illam non prohiberi, ut credi poſſit conceſſa, uti in cenſurarum negotio communiſſime docent Theologi; ſed omnino requiritur illam diſerte, atque expreſſim concedi, ut in ea impertienda poteſtas ſit; & in noſtra Bulla Cruciatæ circa diſpenſandi poteſtatem nihil omnino juris Confeſſariis eligendis fuerit attributum, inde facili negotio quivis deducere debet nihil omnino per noſtros Confeſſarios audendum in hac poena, aut conſimilibus relaxanda. Vide Salmanticenſes *Tract.* 10. *Cap.* 7. *Punct.* 4. *n.* 66. qui hoc principio uſi omnem denegant diſpenſandi poteſtatem Confeſſariis electis virtute Bullæ Cruciatæ Hiſpanicæ, quod multo magis locum habere in Bulla iſthac pro noſtris Neapolitanis Regnis conceſſa.

Q. XII. *Num Simonia Realis privet beneficiis antea rite obtentis; & quis poſſit in hac poena diſpenſare?*

R. Negat. Etenim nulla ejuſmodi poena adverſus Simoniacos in univerſo Jure decernitur; neque in poenalibus fieri debet extenſio ab una delicti ſpecie ad aliam, juxta *Cap.* Poenæ. 18. *De Poenitentia. Diſtinct.* 1. *Cap.* Odia 15. *De Reg. Jur. in* 6. Et *Leg.* Interpretatione 42. *ff. De Poenis.* Quare licet in Hæreticos decreta ſit hujuſmodi poena in Jure, haud inde

inde tamen illa extendenda erit ad Simoniacos; etenim licet in Jure Simoniæ ſcelus appelletur *Hæreſis Simoniaca*, reapſe tamen proprie loquendo Simonia Hæreſis non eſt. Quare poenæ Hæreticorum non ſunt Simoniacis imponendæ. Ita Eximius Suareſius *De Simonia Cap.* 58. *n.* 3. Cabaſſutius in ſua *Jur. Canon. Theor. & Prax. Lib. V. Cap.* 8. *n.* 7. Bonacina *De Simon. Diſp. I. qu.* 7. *Diſp.* 1. *Difficult.* 1. *Punct.* 2. aliique communiter.

Excipienda tamen erit in hac Adſertione Simonia Confidentialis, cujuſmodi ſcelere, qui ſeſe obſtringet præter alias ſancitas Canonicas poenas ex Bulla Pii V. quæ incipit. *Intolerabilis*: ipſo facto privatione multantur omnium aliorum beneficiorum, licet antea rite fuiſſent obtenta. Quemadmodum etiam eadem poena privationis beneficiorum incurritur propter Simoniam commiſſam in electione Summi Pontificis ex Bulla Julii II. quæ incipit: *Cum tam Divino*; & propter Simoniam commiſſam in examine futurorum Parochorum, ſi Examinatores occaſione examinis ad Paræciam quidquam acceperint, ſive antea, ſive poſt examen uti clare patet ex Tridentino *Seſſ. XXIV. Cap.* 18. *De Reformat.* De quibus lege Cabaſſutium *loc. cit. n.* 17. & Bonacinam De Simonia *loc. cit. n.* 4.

Q. XIII. *Num iſthæc poena privationis beneficiorum in adductis caſibus ſubeunda*

ſit ante Judicis ſententiam declaratoriam criminis?

R. Poenam privationis beneficiorum in adductis caſibus decretam minime incurri ante ſententiam Judicis opinatus eſt Cl. Leſſius, qui docet in adductis omnibus caſibus videri uſu receptum, ut non teneatur quis ſua beneficia dimittere ante Judicis ſententiam. *De Simon. Cap. 35. Dubit. 16.* At Cabaſſutius *loc. cit.* profitetur nihil ſe decernere velle de hac quæſtione. Nos vero controverſiam iſtam ita definiendam, ac dirimendam arbitramur.

Vel ſermo ſit de poena privationis beneficiorum decreta propter Simoniam Confidentialem; & dico eam minime incurri ante Judicis ſententiam criminis declaratoriam. Ratio eſt, quia poenæ poſitivæ, quæ actionem rei exquirunt, qua ſe privet jure aliquo legitime quæſito, non obligant regulariter ante Judicis ſententiam; licet in lege decernitur, ut *ipſo facto*, *ipſo jure* contrahantur hujuſmodi poenæ; Nimis enim durum eſſet homines non auditos bonis antea legitime comparatis ſemet ſua ſponte expoliare ante Judicis ſententiam. Privationem autem beneficii antea legitime poſſeſſi, eſſe poenam poſitivam, quæ exquirat actionem rei, qua ſeſe privet jure quæſito, nemo non videt. Ita Leſſius *loc. cit.* Layman *De Simonia Cap. ult. §. 8. n. 77.* Aliique communiter.

Si autem ſermo ſit de privatione beneficio-

ficiorum, quæ incurritur propter Simoniam commiſſam in examine ad Paræciam juxta Tridentini ſanctione, dico hujuſmodi poenam incurri ante Judicis ſententiam declaratoriam. Ratio autem eſt; Quia licet poenæ poſitivæ, quæ executioni demandari non poſſunt ſine difficili executione ipſius rei, non incurrantur ante Judicis ſententiam declaratoriam; ſecus tamen ſeſe res habet, quando hoc ipſum lex expreſſe, aut tacite mandet. Hujuſmodi autem eſſe legem Tridentini decernentem dictam privationem beneficiorum in adducto caſu, quivis facile dignoſcet, ſi vel leviter attenderit. Etenim cum Tridentina Synodus expreſſe prohibeat, ne ſimoniacæ pravitatis rei, ab hujuſmodi crimine, pœniſque ei impoſitis abſolvantur, niſi dimiſſis beneficiis, quæ antea quomodocumque obtinuiſſent, his verbis *qua* (ſcilicet Simonia) *abſolvi nequeant, niſi dimiſſis beneficiis, quæ quomodocumque etiam ante obtinebant*; aperte ſignificat voluiſſe hanc poenam privationis beneficiorum incurri in adducto caſu ante quamcumque Judicis ſententiam; neque enim dimitti jubetur, niſi quod juſte retineri non poteſt, & ad quod retinendum nullum præferri jus poſſit *Cap.* Matthæus 22. Et *Cap.* Sicut nobis. 32. *De Simonia.* Et laud. Bulla Pii V. *Intolerabilis* &c. Cum ergo Tridentini laud. lex ſatis aperte mandet, aut potius ſupponit, dictam privationem beneficiorum

in

in propoſito caſu incurri ante quamcumque Judicis ſententiam, nihil eſt, quod ab ea incurrenda eximere, ac liberare poſſit; Valet enim lex per ſe ipſa præſtare, quod poteſt per Judicem; ut quemadmodum declaratio Judicis privet in poenam beneficiis antea rite obtentis, ita potiori jure declaratio legislatoris. Hæc porro ſententia nimiæ ſeveritatis accuſari minime poteſt; quandoquidem ipſe Bonacina, qui rigidioribus Theologis nunquam acc enſitus fuit, illam doceat, atque tueatur. *De Simon. Diſp.* 1. *Punct.* 2. *qu.* 7. *Difficult.* 1. *n.* 5.

Q. XIV. *Quinam incurrant poenam hanc dictæ privationis beneficiorum tum in Simonia Confidentiali, tum in Simonia commiſſa in examine ad Parœciam?*

R. In Simonia Confidentiali ii ſolum, qui receperint beneficium intercedente Confidentia, ſive pacto Confidentiali ſubjiciuntur huic poenæ dictæ privationis beneficiorum; quod apertiſſime patet ex ipſa Bulla Pii V. ubi hæc poena dictæ privationis beneficiorum, atque inhabilitatis perpetuæ in futurum ad ea obtinenda decernitur tantummodo adverſus *Omnes, & ſingulos, qui beneficia, aut penſiones hoc intercedente vitio receperint.* Vide Bonacinam, qui *in Tract. De Simonia Diſp. I. qu.* 7. *Punct.* 1. §. 1. *Prop.* 1. 3. id probat, ac docet de ipſa excommunicatione, quam contendit incurrere ſolum recipientes hujuſmodi beneficia per Con-

Confidentialem conventionem, minime vero illa reſignantes. At rectius Cl. Cabaſſutius laud. *Lib. V. Cap.* 8. *n.* 12. poſt Navarrum in ſuo *Manuali Cap.* 23. *n.* 110. docuit non ſolum recipientes beneficia per Confidentialem conventionem; verum etiam reſignantes, & eos, qui mediatores extiterint ad illam, incurrere excommunicationem Pontifici reſervatam; licet poena dictæ privationis beneficiorum, atque inhabilitatis perpetuæ ad ea in poſterum obtinenda, ſoli recipientes dicta beneficia afficiantur. Ratio eſt, quia licet Pii Conſtitutiones adverſus Confidentiam loquantur de ſolo recipiente quantum ad incurrendas poenas inibi ſancitas; quia tamen Confidentia eſt quædam ſpecies Simoniæ in beneficio, ſtatuendum videtur, omnes hujus criminis reos, & participes ſubjici poenis generalibus, quibus a Jure Communi afficiuntur Simoniaci circa beneficia; uti eſſet pœna excommunicationis. Etenim recentes poenales Conſtitutiones non abolent antiquas, niſi eis palam derogent. Secus tamen ſentiendum circa beneficiorum quorumcumque, aut penſionum privationem, aut vacationem. Hæc enim poena non decernitur a Jure Communi, & veteri contra reſignantes, niſi ratione ſolius beneficii per realem Simoniam reſignati, & aliunde Conſtitutiones Pii IV. & Pii V. poenas novas non ſuperaddunt ratione Confidentiæ, niſi contra illum ſolum, qui per Confidentiam pro-

prohibitam beneficium recipit, ut ex illarum lectione perſpicuum eſt, & patet ex adductis verbis.

R. II. In Simonia commiſſa in examine ad Paræcias poenam dictæ privationis beneficiorum incurri non ſolum ab Examinatoribus beneficiorum in Synodo conſtitutis, aut electis, qui occaſione dicti examinis aliquid acceperint, verum etiam ab aliis, qui dederint ob dictam cauſſam. Id perſpicue colligendum videtur, niſi mea me fallit opinio ex verbis ejuſdem Synodi: *Caveant*, inquit, *ne quidquam prorſus occaſione hujus examinis nec ante, nec poſt accipiant; alioquin Simoniæ vitium, tam ipſi, quam alii dantes incurrant, a qua abſolvi nequeant, niſi dimiſſis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia in poſterum inhabiles reddantur.* laud. *Seſſ. XXIV. Cap.* 18. *De Reform.* Et ſane cum laud. Concilii verba eadem prorſus ratione loquantur de Examinatoribus recipientibus quidquam occaſione dicti examinis, ac de dantibus; inde, inquam, colligendum videtur; utroſque eadem omnino poena dictæ privationis affici per allatam Tridentini ſanctionem.

In hac porro pœna privationis Beneficiorum propter memoratas Simoniæ ſpecies incurſa, poſſe Summum Pontificem diſpenſare dubitandi locus non eſt, quippe quem ſupra oſtendimus ex ſententia graviſſimorum Juris Canonici Conſultorum,

poſſa.

poſſe diſpenſare juſta cauſſa intercedente in pœnis a Jure decretis adverſus Simoniacos. Poteſt etiam Epiſcopus ex facultate *Cap. Liceat* Tridentini in eadem pœna diſpenſare; ſiquidem ex Sacræ Congregationis declaratione, quam refert Garcias *Part. VIII. Cap.* 1. *n.* 84. & poſt ipſum Bonacina, licet Epiſcopus ex dicta facultate non poſſit rehabilitare Simoniacum ad beneficia in futurum obtinenda, aut ad ea retinenda, quæ per Simoniam occultam obtinuit; poteſt tamen abſolvere ſuum ſubditum in Simonia occulta, & rehabilitare ad Ordines, & beneficia antea obtenta. Vide Bonacinam *In De Simon. Diſp. I. qu.* 7. *Punct.* 1. §. 6. *Prop.* 5. *n.* 11.

At vero Confeſſarius electus virtute Bullæ Cruciatæ hoc ipſum præſtare non poterit, neque in prædicta poena diſpenſare; cum enim ei tantummodo abſolvendi a peccatis, atque etiam a cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis tributa ſit poteſtas; uſque eo illa non pertingit, ut poſſit Simoniacos illos rehabilitando, aut diſpenſando a prædicta poena liberare.

Poſſe etiam Pontificem diſpenſare in ipſo vitio Simoniæ, adeoque vendendo Beneficia non poſſe in ipſum cadere vitium Simoniæ adſerere non formidarunt aliqui ex Theologis, ac Canonum Interpretibus; ſed hanc opinionem, ſive potius errorem, uti eam merito appellat Cajetanus *Tract. IX. De Simonia* duce

D.

D. Thoma 2. 2. *qu.* 100. *art.* 1. *ad* 7. communiter reprobarunt Theologi, atque efficaci argumento confutat Martinus Navarra in ſuo *Manuali Cap.* 23. *n.* 108. & graviter exagitant Chriſtianus Lupus, Fagnanus, aliique. Vide Van-Eſpenium *Part. II. Sect.* 3. *tit.* 13. *Cap.* 7. *n.* 1.

Q. XV. *Quænam ſint poenæ in Jure ſtatutæ adverſus committentes Simoniam in Religionis ingreſſu, & a quonam poſſint abſolvi?*

R. Cum Status Religionis definiente Angelico Præceptore D. Thoma ſit *quædam diſciplina, vel ſpirituale exercitium ad perfectionem perveniendi.* 2. 2. *qu.* 186. *art.* 2. *in corp.* inde ſane planiſſime liquet Statum Religionis eſſe quiddam ſpirituale; ac proinde Simoniæ ſcelus admitti, ſi contingat aliquid dari, aut accipi temporale, ut quis ad Statum Religionis admittatur. Qua de re legi poterit D. Thomas 2. 2. *qu.* 100. *art.* 3. *ad* 4. & Cl. Van-Eſpenius *In Diſſertatione Canonica De Vitio Simon. circa Ingreſs. Religion. Cap.* 1. *Tom. V. Neapolit. Edition.* His accedit & alia ratio non minus efficax, quæ hoc idem evincat. Cum enim Monachi, & Moniales in Beneficiariorum claſſes referantur, iiſque accenſerentur, quemadmodum per pecuniam viam ſibi parare ad Beneficium; ita ad Monaſticam Profeſſionem Simoniæ ſcelus reputandum erit. Vide Cl. Thomaſſinum *De Nov. & Vet.*

Vet. Eccleſ. Diſciplin. Part. III. Lib. I. Cap. 53.

Hinc profecto factum eſt, ut ſtatim ac Monaſteria exſtrui, atque frequentari coepere, pecuniarum exactiones extorqueri ab illis, qui intra Coenobia recipi volebant, quo tutius ſuæ æternae ſaluti conſultum irent; graviſſime interdictum fuerit. Cum vero poſt annum milleſimum hujuſmodi exactionum abuſus latius ſerpere cœpiſſent, & indignius frequentarentur, atque avaritia, atque impotens pecuniæ cupiditas Prælatos Monaſteriorum adeo ſnvaſerat, ut nullum in Cœnobia recipi paterentur, niſi perſoluta pecunia, veluti ſuæ receptionis, atque admiſſionis pretio, pluribus Conciliorum Canonibus tum particularium, tum Oecumenicorum, quos ordine refert Cl. Thomaſſinus *loc. cit.* inſudatum fuit, ut tam dira lues avaritiæ Chriſtianæ pietati tum adverſa, tum exitialis eliminaretur. Exſtant hac de re in corpore Juris Canonici Decreta Conciliorum Lateranenſium III. & IV. relata in *Cap.* Monachi 2. *De Statu Regular.* Et *Cap.* Quoniam 39. *De Simonia*, ubi & poenæ canonicæ decretæ fuere contra hujuſmodi tranſgreſſores. Huc etiam facit *Cap.* Veniens 18. ſub eodem *tit. De Simonia*, quod Alexandri III. reſponſum eſt.

Verum quoniam nec ſalutaribus hiſce Eccleſiæ ſanctionibus, atque adhibitis remediis tam exitiale malum curari potuerat;

rat, ac depelli, ad efficaciora recurrenrendum fuit, ut gravium ſaltem pœnarum timore ab hujuſmodi facinore homines poſſent deterreri. Quod præſtitit Urbanus V. non IV. ut notant accuratiores Scriptores, qui in Romanum Pontificem electus anno 1262. Petri Cathedram moderatus eſt uſque ad annum 1270. Is itaque Conſtitutione edita, quæ refertur inter *Extravag. Communes tit. De Simon. Cap.* Sane 1. ubi poſtquam recenſuiſſet hujuſmodi abuſiones Religioſis Inſtitutis apprime contrarias, quod ab iis, qui Religionis obſervantiæ dicare ſe vellent, paſtus, ſeu prandia, pecunias, aut jocalia exigebant, eaſdem graviſſime prohibet, ac præter poenas a Jure ſancitas adjungit poenam excommunicationis contra ſingulares perſonas, aut ſuſpenſionis contra Capitulum, & Conventum. Verum antequam inquiratur, a quonam hujuſmodi poenæ remitti poſſint, ac relaxari, pauca quædam ad cumulatiorem rei elucidationem breviter hic nobis expedienda erunt.

Q. XVI. *Num ab ingredientibus aliquid exigere titulo ſuſtentationis Simonia ſit, adeoque obnoxia hiſce Canonicis poenis?*

R. Omnes ad unum Theologi fatentur, & docent, quod dare, vel accipere aliquid temporale pro ingreſſu Religionis, pro ſacri habitus ſuſceptione, ac pro Monaſtica Profeſſione Simoniæ ſcelus ſit ſacris Canonibus adeo adverſum, ut nihil ſupra. Quod quidem mirifice, ac luculen-

lentiſſime patet ex rationibus ſupra indicatis. Verum ut magis eluceſcat hujuſce rei veritas, hoc aliud adjiciatur argumentum. Nemini dubitandum, qui in Eccleſiaſticis monumentis hoſpes plane non ſit, quin loca Monachorum, & Monialium Beneficiis ſint adſcribenda, aut pro Beneficiis computanda, hinc & *Præbendæ Monialium* vocantur in Eccleſiaſticis monumentis; quemadmodum autem Simoniacæ reus juxta ſacros Canones habendus eſt Clericus, qui ſua bona tradidit Eccleſiæ cum pacto, ut in Canonicum reciperetur. *Cap.* Tua nos. 33. *De Simonia*; ita etiam qui bona ſua tradit Monaſterio, ut in illud recipiatur, Simoniam committit. Lege Cl. Thomaſſinum *Part. III.* L*ib. I. Cap.* 53. *In De Nova*, *&* *Veter. Eccleſ. Diſciplin.* & Van Eſpenium De *Vitio Simon. circa Relig. Ingreſſum. Part. II. Cap.* 1. §. 4. Et Cabaſſut. *In ſua Theor. Et Praxi Jur. Can. Lib. V. Cap.* 4. *n.* 4.

Propoſitæ itaque quæſtioni ut ſatisfaciant hunc in modum reſolvunt, atque diſtinguunt Theologi. Tempore Novitiatus Ins licitum eſt pretium exigere pro victu, & veſtitu Novitii; modo nihil ultra impendia ad id neceſſaria exigatur, aut quocumque prætextu tribuatur. Id enim apertiſſime decernit Trident. Synodus *Seſſ. XXV. De Regular. Cap.* 16. & B Carolus fidiſſimus Tridentini Concilii interpres jubet hujuſmodi impenſas, ſeu pecuniæ modum æſtimandum, definiendumque eſſe ar-

bitrio

bitrio Epiſcopi. In Concilio Mediolanenſi II. *Cap.* 2. Quod quam recte fuerit ſancitum nemo eſt, quin perſentiſcat, ſi animadvertet Novitium nullum jus habere, ut ex communibus Monaſterii bonis alatur, cum non adhuc membrum Communitatis fuerit effectus per Profeſſionem. Pro aliis vero temporibus poſt emiſſam Profeſſionem licitum quoque erit aliquid juſtum exigere titulo ſuſtentationis perſonæ recens Profeſſæ, ſi Monaſterium egens ſit, ac tenues habeat reditus, qui ſatis non ſint ad alendam, ac ſubſtentandam perſonam recipiendam in Monaſterium. Id enim aperte permittunt Sacri Eccleſiæ Canones, aut ſaltem non prohibent; dum enim vetant aliquem ultra definitum numerum intra Monaſterium recipi, non prohibent, uti recte deducit Cl. Thomaſſinus, ut ſi quis ultra definitum numerum recipi deſideret, a Prælatis Monaſteriis libenter ſuſcipiatur, dummodo congruum pecuniæ modum atque ſubſidium offerat, quæ ſuæ inſerviat ſubſtentationi. (Vide Thomaſſinum *loc. cit. Cap.* 53. *n.* 7. Et *Cap.* 54. *n.* 2.). Quare rectiſſime hanc ſententiam unanimi conſenſione tradidere ſumma Eccleſiæ lumina B. Thomas. 2. 2. *qu.* 110. *art.* 3. *ad* 4. D. Bonaventura in *Libello Apologetic. adverſus eos, qui Ordini Minorum adverſantur*. Beatus Raymundus De Pennafort ſcientiſſimus Sacrorum Canonum Interpres in ſua *Summa*, quos ſequuntur ceteri Theologi, ac Canonum

nonum Interpretes. Cujus rei ratio eſt, quia quando Monaſterium egeſtate prematur, illud quod exigitur, pro ſubſtentatione recipiendi recipitur, quæ cum ſit pretio æſtimabilis, Simoniæ vitium non incurritur. Vide Cabaſſutium in ſua *Theor. ac Prax. Jur. Can. Lib. V. Cap.* 5.

Demum ſi Monaſterium locuples ſit, ac reditibus abundet, unde Religioſis quibuſcumque alimenta ſuppeditentur, atque hac in hypotheſi ſubſtentationis titulo aliquid exigere velle ab ingredientibus Simoniæ ſcelus admittitur a Sacris Canonibus tanta ſeveritate punitum. Tunc enim temporale quod exigitur, non pro ſuſtentatione illius, qui in Monaſterium eſt recipiendus, ſolvitur, atque exigitur, ſed pro ipſa Profeſſione, aut admiſſione; ideoque graviſſimis poenis ab Eccleſia id fuit interdictum. Concilium Nicænum II. an. 787. habitum *can.* 19. *Cap.* Veniens 18. & *Cap.* Monachi 2. *De Statu Monachor.* & *Cap.* Quoniam 40. *De Simonia*, quæ ſunt decreta Concilii Lateranenſis III. & IV. Lege Van-Eſpenium *Diſſert. laud. Part. II. Cap.* 1. §. 4.

Dices cum Bonacina, aliiſque: Simoniæ ſcelus minime incurri, quoties temporale quod detur, impendatur ad aliquid temporale comparandum. Sed per pecuniam, quæ in caſu propoſito exigitur comparatur jus ad vitæ neceſſaria alimenta recipienda; quod ſine dubio inter temporalia computatur, ac pretio æſtimabilia. Ergo

Ergo &c. Ita Bonacina *De Simonia Diſp. I. qu. 7. §. 4. n. 4. 5. & 6.* Leſſius, Layman, aliique.

R. Licet jus ad vitæ neceſſaria alimenta recipienda temporale videatur, ac ſit; proindeque pretio æſtimabile; eſt tamen, uti patet, adnexum rei ſpirituali; h. e. Profeſſioni Religioſæ. Etenim cum bona iſtiuſmodi collata fuerint in Monaſteriu m, ut ex iis primo, ac principaliter alantur Religioſi Divinis obſequiis mancipati; hoc ipſo, quod aliquis in Religionem admittitur, jus adipiſcitur ut ſibi neceſſaria ad victum, ac veſtitum ſuppeditentur, non ſecus ac Clericus in Canonicum adlectus jus ad temporalem Præbendam ſibi comparat. Quare cum jus ſuſtentationis ſit *conſequenter* adnexum rei ſpirituali, ſive Statui Religioſo; vendi non poteſt, quin ſimul vendatur ſpirituale *Rebus iſtis* (ſpiritualibus conſequenter adnexis) *venditis*, inquit. D. Thom. 2. 2. *qu.* 100. *in corp. intelliguntur etiam ſpiritualia venditioni ſubjici; quia quiſquis horum alterum* vendit, teſte Paſchali II., *ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. Cauſ.* 1. *qu.* 3. *Can.* 7. Lege Van-Eſpenium *loc. cit.* §. 3. & 4. & Cl. Cabaſſutium *laud. Lib. V. Cap.* 5.

Ab hac tamen lege excipiuntur Monaſteria Monialium, de quibus uſus invaluit, ut dotis ſubſidia ſolvantur a puellis Monaſterium ingredientibus. Etenim cum hu-

hujuſmodi Puellarum Coenobia novis ſemper ſint obnoxia ſuorum redituum detrimentis, quibus cum gravi Religioſæ vitæ diſpendio ad inopiam redigerentur, niſi novarum dotium acceſſione hujuſmodi quotidiana detrimenta reparentur; idcirco conſuetudine jam ubique fere obtinente tandem prudentiſſime conſtitutum fuit; ut nullæ deinceps veſtirentur Moniales, neque ad habitum admitterentur, niſi prius parentes, vel illi, ad quos earum cura ſpectat, promtam habuerint pecuniam, vel eleemoſynam conſuetam, quam offerant in vitæ, aut ſuſtentationis ſubſidium. Et licet Sacra Concilii Congregatio in hujuſmodi controverſia diu anceps hæſerat, tandem nihilominus omnibus maturius perpenſis firmiter amplexata eſt hac de re B. Caroli Borromæi decreta edita in Concilio Mediolanenſi II. anno 1565., quibus dotem ſolvendam ſtatuit alimentorum nomine. Reſolutiones S. Congregationis Concilii refert Benedictus XIV. aliique paſſim Theologi. Lege *Synod. Diœceſan. Lib. XI. Cap. 6.*

Mirum quidem eſt, quantum antea deſudaverint Theologi, atque Canonum Interpretes ad hujuſmodi dotium ſolutiones cohoneſtandas, eaſque a ſimoniaca labe purgandas. Cl. Thomaſſinus *loc. cit.*, qui ingenue fatetur ſeſe diu hac perplexitate contortum, atque exagitatum fuiſſe, cui extricandæ Sacros Eccleſiæ Canones attentius perſcrutabatur, recurrit ad

conſuetas eleemoſynas, quarum nomine docet penſitari quidquid a Puellis dotis nomine affertur ad neceſſaria vitæ ſubſidia, atque id in Tridentino Decreto ſatis indicatum fuiſſe docet, dum *Seſs. XXV. Cap. 3. De Regular.* præcipit præfigi numerum Religioſorum pro quolibet Monaſterio, qui ex Monaſterii bonis, aut *conſuetis eleemoſynis* commode ſuſtentari poſſet. Per conſuetas enim eleemoſynas intelligit Parentum eleemoſynas, & ſpontaneas dotes Monialium; idque probat potiſſimum auctoritate B. Caroli Borromæi ſtatuentis penſitationem dotis in receptione Puellæ ad Monaſterium in Concilio Mediolanenſi II. *Nemo*, ait, *tam expers, ac rudis erit poſterioris hujus aevi Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, qui vel ſuſpicari poſſit B. Carolum Decreta Concilii Tridentini vel intelligendo, vel exequendo adſecutum non eſſe. loc. cit. Cap.* 54. *n.* 3. Idem etiam docuit Cl. Cabaſſutius Laud. *Lib. V. Cap.* 5.

Alii autem confugiunt ad diſpenſationes Pontificias, quibus a poenis per dictam Extravagantem inflictis immunes declaratæ fuere Moniales de dote convenientes cum recipiendis in Monaſterium. Hujuſmodi autem fuere declarationes Innocentii VIII. Martini V. Clementis VII. & Clementis VIII. quas memorat Cabaſſutius *loc. cit.*

Alii demum, ut hiſce nodis ſeſe extricarent confugiendum ſibi putarunt ad quamdam ſpeciem tranſactionis, ubi Mona-

naſteria dotem exigentes, jus hæreditatis adquirendæ, quod in ſe transfertur ratione perſonæ Profeſſæ juxta legum Civilium præſcripta a Juſtiniano edita (*Leg.* 55. & 56. *Cod. De Epiſcop.* & in *Authentic.* Si qua mulier. *Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.*) jus inquam hereditatis adquirendæ conſanguineis Religioſi recipiendi condonantes, aliquid ab eis expoſcunt, atque exigunt dotis nomine in vim tranſactionis. Ita Cl. Chriſtianus Lupus *Part. II. Schol. ad Can. 19. Concilii Nicæni II.* Verum hoc recens inventum ad cohoneſtandam praxim Monaſteriorum dotem exigentium, eamque purgandam a vitio Simoniæ, uti ingenioſe excogitatum, ita ſolido, cui innitatur, carere fundamento egregie pro ſuo more oſtendit Cl. Van-Eſpenius Laud. *Diſſertatione Canonic. De Vitio Simoniæ* &c. *Part. II. Cap. 2.*

At vero idem Cl. Van Eſpenius laud. Diſſertatione hujuſmodi praxim exigendi dotalia ſubſidia etiam ſuſtentationis titulo a Puellis præſertim Religionem ingredi peroptantibus apertiſſime improbat, ac damnat veluti ſimoniacam Juri Divino, & Naturali contrariam, ſi Monaſterium locuples ſit, atque opulentum, quod per ſe ſuis ex reditibus ſuppeditare valeat neceſſaria vitæ ingredientibus. Tenues autem Monaſterii reditus, atque impares alendis Religioſis in Monaſterium recipiendis haud ſatis effugii præſtare valent

ad cohoneſtandam hujuſmodi praxim, atque ad evertendum Simoniæ vitium, aut periculum; atque hinc factam fuiſſe ait, ut perpetua Eccleſiæ prohibitione ſemper hujuſmodi exactiones interdictæ fuiſſent, etiamſi Monaſteria inopia premerentur atque ſumtibus neceſſariis deſtituerentur, quibus alimenta præberi poſſint noviter admittendis in Religionem, quod diſcurrendo per Eccleſiaſticas Sanctiones ab ipſa ætate Concilii Nicæni II. h. e. a medio fere Seculo VIII. uſque ad Tridentini Concilii tempora, ac deinceps, quibus hujuſmodi prohibitiones renovatæ fuere, probare adnititur.

Profecto non ii nos ſumus, ut Cl. Viri dicta ad trutinam revocando recenſitam opinionem penitus convellere ſtudeamus. Quare ſufficiat Eruditos Lectores remittere ad Eruditiſſimum Pontificem Benedictum XIV., qui in ſuo aureo Opere *De Synod. Diœceſana Lib. XI. Cap. 6.* hanc provinciam ſibi ſuſceptam cumulatiſſime explevit.

Hiſce itaque tanti Pontificis dictis, ſi quid adjicere liceat, adnectenda ad rem arbitramur verba Cl. Thomaſſini, quem plus aequo hac re laxiorem, aut de laxitate ſuſpectum immerito traducit Van Eſpenius laud. *Diſſert. Part. II. Cap 4. §.* 3. Is itaque adductis B. Caroli, ac Conciliorum Mediolanenſium, quæ antea innuimus, hac in re Statutis, in hæc verba prorumpit: *Inſaniat neceſſe eſt, qui ſe*

Con-

Concilii Tridentini mentem ſperet adſecutum felicius eſſe, quam B. Carolum, qui totus in eo fuit, ut illud animo, illud pectori, moribus ſuis, Eccleſiæque ſuæ inſcriberet, executioni mandaret, eoque præſtantiſſimus deinceps audiret Sacræ Diſciplinæ reſtaurator. Thomaſſinus laud. *Part. III. Lib. I. Cap.* 54. *n.* 4.

Illud etiam hic adjungam, quod Canones Eccleſiaſtici Simoniacum ſcelus uſquequaque averſantes, damnantes, atque pœnis ſeveriſſimis inſectantes, ſimul etiam juſſerunt Laudabiles Conſuetudines obſervari, ac cuſtodiri. Ita Concilium Exonienſe in Anglia anno 1222. tempore Honorii III. celebratum. Et *Cap.* Ad Apoſtolatus 41. *De Simon.* quod Innocentii III. in Concilio Lateranenſi IV. Decretum eſt, dum loquuntur de Sepultura Mortuorum, Benedictione nubentium, aliiſque Eccleſiaſticis Sacramentis. (Lege Cl. Gonzalez. *Commentar.* in *Cap.* Cum in Eccleſiæ 8. *De Simon.*). Quæ autem Laudabilior Conſuetudo, quam Epiſcopus ſanctiſſimus, cui maxime omnium cordi erat exacta obſervantia Decretorum editorum in Tridentino Concilio, & cui probe perſpecta eſſe poterat mens Tridentinorum Patrum, primus induxit; Sacra Concilii Congregatio ſuis Decretis pluries confirmavit, Pontifices probavere, atque omnes ubique terrarum recepere? At Van-Eſpenium hanc communem memoratam praxim, quam antea tradidimus, velu-

veluti adlatrantem jam dimittamus, diutius enim nos detinuit, atque ad noſtra redeamus.

Itaque licet in exactione pecuniæ titulo etiam ſuſtentationis in Monaſteriis opulentioribus Simoniæ vitium incurritur; ſecus vero dicendum de Monaſteriis Monialium dotale ſubſidium exigentibus ab ingredientibus ad illorum ſuſtentationem, uti jam oſtendimus. Secus tamen dicendum exiſtimat Bonacina ſi aliquid a Monialibus ultra congruam ſuſtentationem exigatur, niſi aliud ferat aut loci conſuetudo, aut liberaliter detur. *De Simon. Diſp.* 1. *Punct.* 1. *qu.* 7. §. 4.

Q. XVII. *Num per Simoniacum in Religionem ingreſſum incurrantur prædictæ poenæ ſtatutæ ab Urbano V. in laud. Extravagante* Sane?

Non paucos fuiſſe, qui putarunt Extravagantem memoratam non fuiſſe uſu receptam quantum ad ſancitas pœnas excommunicationis, ac ſuſpenſionis. Ita Leſſius Lib. 2. *De Simon. Cap.* 35. *Dub.* 23. aliique. Quidam vero id docent eſſe intelligendum de ſola excommunicatione. Ita Salmanticenſes, Ligorius, Navarrus, qui docent non incurri excommunicationem niſi propter Simoniam in Ordine, ac Beneficiis. Vide Cabaſſutium Laud. *Lib. V. Cap.* 8. *n.* 6.

At merito id non adprobat Bonacina. Illud potius hac in re videtur dicendum ab hujuſmodi pœna excommunicationis ex-

excuſare ignorantiam, quamvis vincibilem; quia illa excommunicationis pœna impoſita fuit contra *præſumentes* aliquid petere vel exigere ab ingredientibus. Quoties enim textus utitur verbo *Præſumant* tunc excuſat ignorantia quantumvis craſſa; niſi adeo craſſa eſſet, ut merito reputari poſſet ingens temeritas; uti docet Cl. Sanchez *In Decalog. Lib. VI. Cap.* 16. *n.* 96. Et In *De Matrimon. Lib. IX. Diſp.* 32. *n.* 38. Vide Salmaticenſes In *De Simon. Cap.* 4. *Punct.* 2. *n.* 12.

Q. XVIII. *Utrum pro ſolo ſimoniaco ingreſſu, ac receptione ad habitum incurrantur prædictæ poenæ?*

R. Pro certo habendum, quod exigere, vel dare aliquid per modum pretii pro ipſa receptione ad habitum Simoniæ ſcelus contineat; uti docent Salmanticenſes; imo etiam tamquam motivum hujuſmodi receptionis, aut in gratuitám compenſationem, juxta theſin proſcriptam ab Innocentio XI. n. 45. Quia ipſa ſuſceptio habitus ordinatur ad Profeſſionem. At inde minime incurri canonicas pœnas donec ſequatur Profeſſio, valde probabiliter opinantur Theologi. Etenim, cum in laud. Extravag. diſtrictius prohibeatur aliquid dari, aut exigi *in receptionem* alicujus perſonæ in Religionem, ac donec ſecuta non fuerit Profeſſio, ipſa receptio non cenſeatur conſummata, ac perfecta; hinc eſt, quod pro actu hujuſmodi; h. e. pro ſola receptione ad habitum, qui non cen-

ſetur conſummatus, ac perfectus ante Profeſſionem canonicas poenas non incurri docuerunt. Ita Cl. Suareſius *Lib. IV. Cap.* 56. Salmanticenſes. *In De Simonia Cap.* 4. *Punct.* 2. *n.* 12. Paulus Layman. *De Poen. Simon.* §. 8. Bonacina *Diſp.* 1. *qu.* 7. *Punct.* 1. §. 4. *n.* 11. Piiſſimus ac Illuſtriſſimus Ligorius *Lib. III. Tract.* 1. *De Prim. Decalog. Præcept. Cap.* 2. *De Irreligioſ. Dub.* 3. *art.* 2. *n.* 108. Unde deducunt, quod ſi receptio ad habitum fuerit ſimoniaca, ſi poſtea factum retractatur, & pecunia non recipiatur, vel reſtituatur, & gratis admittatur Novitius ad Profeſſionem, canonicis pœnis locus non erit. Horum autem ſententiam ad veritatem propius accedere arbitramur; ſiquidem recenſitæ poenæ impoſitæ fuere illis, qui recipientes aliquas perſonas ad Religionem temporalia exigebant; aut ab iis, qui ingredi vellent ipſorum Religionem paſtus, prandia, pecunias exquirebant, exigebant, extorquebant; Id conſtat ex ipſa lectione Extravagantis laud. Sed receptio non cenſetur perfici, ac conſummari, niſi per Profeſſionem, & *Ingreſſus* nomine in Jure deſignatur ipſa Profeſſio Religioſa; uti docent Juris Conſulti in *Authent.* Ingreſſi. *Cod. De Sacroſanct. Eccleſ.* Et in *leg.* 55. & 56. *Cod. De Epiſcop. & Cleric.* Vide Van-Eſpenium *laud. Diſſertat. Canon. Part. II. Cap.* 2. §. 4.

Q. XIX. *Cujuſmodi ſit iſthæc ſuſpenſio*

lata

lata in Capitulum, ſeu Conventum recipientem aliquem per Simoniam ad Religionem?

R. Nemini dubitandum, deſignatam hanc ſuſpenſionem eſſe veram cenſuram. Illud vero inter Theologos controverti videtur, quem ſcilicet effectum pariat iſthæc ſuſpenſio. Nonnulli interpretati ſunt de ſuſpenſione receptionis ad Religionem; ut in eo quis puniretur, in quo deliquit, juxta ſententiam *Cap.* Poſtulaſti. 7. *De Clerico Excomm. Depoſ. Interd. Miniſtrant.*

At merito id rejicit Bonacina; & licet ipſe hujuſmodi ſuſpenſionem conatus ſit interpretari de ſuſpenſione ob officio, ac beneficio; communior tamen, ac probabilior ſententia docet hanc ſuſpenſionem eſſe intelligendam ab omni actu, ſeu officio capitulari, & communi, quod juriſdictionem, vel adminiſtrationem Eccleſiaſticam requirit. Ab hac ſententia nec ipſe Bonacina abhorret, imo in eam magis propendere videatur. *De Simon. Diſp.* 1. *qu.* 7. *Punct.* 2. §. 4. *Prop.* 2. Vide Suarez tom. I. De Relig. *Lib. IV. De Simon. Cap.* 56. *n.* 8. Salmanticenſes, *loc. cit.* Leſſius *In De Simon. Lib. I. Cap.* 35. *Dub.* 23. Ligorius, Aliique.

Q. XX. *In quam poenam incurrent dantes, aut accipientes aliquid a Parentibus, & Conſanquineis Novitii ultra victum, & veſtitum ipſius Novitii?*

Decretum hac de re a Tridentino edi-

tum primum ante oculos ponendum eſt, unde pendet deciſio propoſitæ quæſtionis. Tridentinum itaque *Seſs. XXV. Cap.* 16. *De Regularib.* decrevit: Ne ante Profeſſionem, excepto victu, & veſtitu Novitii, vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocumque prætextu, a Parentibus, vel Propinquis, aut Curatoribus ejus, Monaſterio aliquid ex bonis ejus tribuatur; ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam, vel majorem partem ſuæ ſubſtantiæ Monaſterium poſſideat; nec facile, ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit. Quin potius præcepit S. Synodus ſub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne ullo modo hoc fiat. Et licet Tridentina Synodus loquatur tantum de bonis Novitii, idem tamen obtinet, & locum habet in bonis Parentum, vel Conſanguineorum: uti declaravit Sacra Concilii Congregatio referente Fagnano; atque etiam de oblatione gratuita facta ab ipſo Novitio Dei amore præter victum, & veſtitum. Vide Van-Eſpenium *Laud. Diſſertat. Canonic. Part. II. Cap.* 5. §. 2.

Pœnam itaque a Tridentino impoſitam dantibus æque ac accipientibus eſſe, uti patet, pœnam anathematis, ſive excommunicationis. Qua de pœna ita loquitur Bonacina: *Concilium non ferre excommunicationem ipſo facto, ſed comminatoriam. De Simon. Diſp. I. qu.* 7. *Punct.* 2. §. 4.

Q. XXI.

Q. XXI. *Quinam poſſit abſolvere a recenſitis pœnis ?*

R. Certum exploratumque eſſe debet Confeſſarium, cui Epiſcopus commiſerit, atque concesserit facultates *Cap. Liceat* Tridentini, poſſe ſubditos ejuſdem Epiſcopi in ipſius Diœceſi abſolvere ab hac excommunicationis pœna, in quam forte inciderint, qui rei facti ſint Simoniæ in alicujus admiſſione ad Religionem modo delictum fuerit occultum. Hæc extra dubitationis aleam eſſe debent, cum conſtent ex ipſo tenore conceſſionis laud. *Cap. Liceat.*

Certum quoque eſſe debet poſſe Confeſſarios electos per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ abſolvere ſuos Pœnitentes ab iſthac excommunicationis pœna. Cum enim reſervata ſit Pontifici per clauſulam illam communem, ac generalem adhiberi ſolitam in omnibus fere reſervationibus; ut nempe ab illa *abſolvi nequeant (præterquam in mortis articulo) abſque Sedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia*; dubitare nemini fas erit, quin abſolvi poſſit ac dimitti tum iſtiuſmodi criminis reatus, tum vinculum memoratæ cenſuræ reſervatæ per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ, per quam in peccata, & cenſuras Summo Pontifici reſervatas, ut dimitti, ac relaxari poſſint per Confeſſarios ad id electos, conceſſa fuit poteſtas. Et licet Caſum hujuſmodi velimus referre inter Caſus ſpecialiter reſervatos a Clemente VIII.

in ſuo Decreto; cum in eo indefinite, atque indiſtincte ſpeciali reſervationi ſubjiciatur *Caſus Simoniæ realis ſcienter contractæ*, adhuc tamen Confeſſarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ poterit ab illo abſolvere; quemadmodum etiam virtute facultatum *Cap. Liceat* Tridentini. Quæ cum alibi fuerint per nos probata, hic tantum illa indicaſſe ſit ſatis.

Q. XXII. *Num idem adſerendum ſit de ſuſpenſione Capitulis, & Conventibus inflicta propter idem Simoniæ peccatum?*

R. Negat. Etenim ſuſpenſiones hujuſmodi Communitatibus, & Conventibus irrogatæ, ab eo ſolum tolli, ac relaxari poſſunt, qui habet juriſdictionem in foro contentioſo in eaſdem Communitates. Quare a Parocho, vel alio Confeſſario, cujus poteſtas intra ſolum forum conſcientiæ limitatur ac reſtringitur, nec etiam per conceſſiones Bullæ Jubilæi, aut Cruciatæ S. hujuſmodi ſuſpenſiones poterunt remitti, ac relaxari. Præterea privilegia Bullæ Cruciatæ S. non conceduntur locis, ac Communitatibus, ſed perſonis peculiaribus; uti conſtat ex formula ipſa conceſſionis adhibita in Bulla noſtra cujus hæc ſunt verba: *Necnon Chriſtifidelibus prædictis . . . . facultatem præterea, ut ipſi bis in toto vitæ eorum decurſu, ac etiam in mortis articulo, valeant ſeligere ſibi Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario loci, qui &c. . . . . tribuimus, & impertimur*. Quæ profecto, uti patet, non

non locis, ac Communitatibus, ſed perſonis peculiaribus convenire poſſunt. Quare cum Capitula, Communitates, Collegia hujuſmodi ſint, ut ejuſmodi abſolutionis privilegia iiſdem convenire non poſſint, per facultates Bullæ Cruciatæ S. ſolvi, ac liberari non poterunt ab hujuſmodi ſuſpenſionibus. Ita Salmanticenſes. In *Appendice De Bull. Cruciat. S. Cap.* 6. *Punct.* 3. *n.* 189. Et in *De Suſpenſion. Cap.* 5. *Punct.* 5. *n.* 52.

Allata porro argumenta probant prædictam adſertionem intelligendam eſſe de quibuslibet Collegiis Communitatibus, Conventibus, etiam non Regularibus. Ceterum cum hic agamus de ſuſpenſione impoſita in Capitulum, & Conventum Regularem, illa etiam efficacior ratio evincit laud. adſertionem; ſiquidem cum Privilegia Cruciatæ S. non ſuffragentur Regularibus, quantum ad poteſtatem conceſſam eligendi ſibi Confeſſarium, qui eos abſolvat a a peccatis, & cenſuris Summo Pontifici reſervatis; uti pluries declaratum fuit per Summos Pontifices; quod & nos non ſemel antea monuimus; inde potiori jure ſequitur, quod nec Regularibus Conventibus dicta privilegia Cruciatæ S. prodeſſe ac ſuffragari poſſint quantum ad prædictum caput.

Cum non ſemel dixerimus privilegia Bullæ Cruciatæ S. non prodeſſe, nec ſuffragari Regularibus quantum ad articulum eligendi Confeſſarium, qui ipſos a Reſer-

vatis

vatis Summo Pontifici abſolveret, viſum eſt nunc peropportunum eamdem doctrinam firmare teſtimonio, & auctoritate Salmanticenſium, qui in *Tractat. De Privileg. Cap.* 4. *Punct.* 2. §. 7. *n.* 128. *&* *ſeqq.* hanc quæſtionem fuſius pertractant; ac ſententiæ a nobis propoſitæ rectiſſime adhærent propoſitis tum variis hac de re R. Pontificum Conſtitutionibus, tum ſaniorum Theologorum ſententiis. Qui tamen in eo peccant 1. quod hanc doctrinam, tantum *probabiliorem*, ac *ſecuriorem* dicunt; cum tamen ſolam veram, atque unice ſectandam dicere debuiſſent, ſi præ oculis habuiſſent Conſtitutionem Benedicti XIV. quæ incipit *Indulta Apoſtolica* in hanc rem a nobis productum. 2. Quia juxta probabiliſticum Syſtema Viro Theologo cane pejus, & angue evitandum permittunt Regularibus, ut poſſint ſe conformare contrariæ opinioni, utpote *Probabili.* En tibi Probabiliſtica benignitas, quæ totius Chriſtianæ Moralis dira pernicies fuit. Ceterum idem ipſi docent, hoc licere Regularibus; eligere nempe Confeſſarium, qui ipſos a Reſervatis abſolvere poſſet, dummodo præceſſerit licentia ipſius Prælati, quod videtur conforme menti Pontificum, qui voluerunt Regulares ſubeſſe diſpoſitioni ſuorum Prælatorum quantum ad Reſervata.

Q. XXIII. *Num etiam memorata ſuſpenſio per facultatem Cap.* Liceat *Tridentini ſolvi ac remitti non poſſit?*

R.

R. Probabilius mihi videtur poſſe illam remitti, nec a veritatis tramite longius aberrare fortaſſe cuiquam videbimur; modo tamen ipſum Simoniæ crimen fuerit occultum, ut expoſcit neceſſario Tridentinum. Etenim licet in laudato Tridentini Capite ſermo ſit de Epiſcopis, iisque tantum contentæ in eo facultates impertiantur, qui Diœceſes habeant; uti patet ex ejuſdem verbis: *Liceat Epiſcopis . . . Delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos, in Diœceſi ſua*; ac docent communiter Theologi, atque a Sacra Concilii Congregatione deciſum fuiſſe teſtatur Garcias. *De Beneficiis* (Vide Salmanticenſes *In De Sacrament. Pœnitent. Cap.* 13. *Punct.* 3. *n.* 33.) quare inde dicendi ſunt excluſi Prælati Regulares; nihilominus ex conceſſione S. Pii V.; cujus verba huc ſpectantia legere eſt apud eoſdem Salmanticenſes *loc. cit.* iidem Prælati Regulares idem poſſunt præſtare, atque expedire in Fratres, ac Moniales ſibi ſubditos quantum ad abſolvendi, ac diſpenſandi auctoritatem, ac Epiſcopi ex *laud. Cap.* Tridentini. Salmanticenſes *loc. cit.* Ligorius *De Cenſur. Lib. VII. Cap.* 1. *Dub.* 5. *n.* 101.

Quare cum Tridentinum facultatem impertiatur Epiſcopis diſpenſandi in omnibus ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, atque idem poſſint Prælati Regulares ex Pontificia conceſſione, non videtur iſtis deneganda poteſtas, ac jus di-

dimittendi, ac relaxandi memoratam ſuſpenſionem ab actibus Capitularibus propter ſimoniacam receptionem alicujus in Religionem contractam. Nec etiam Prælatis Regularibus deeſt poteſtas ac juriſdictio in foro externo, quæ multum ſimilis eſt poteſtati, ac juriſdictioni Epiſcoporum in ſuos ſubditos.

Q. XXIV. *Quandonam pœna detruſionis in arctius Monaſterium incurratur a ſimoniaco Profeſſo, & quinam ab illa ſolvere poſſit?*

R. Omnes norunt in eos, qui ſimoniace profeſſi fuerint Religionem hanc pœnam decretam fuiſſe in Jure Canonico, ut ipſi in aliud tamen Monaſterium ejuſdem Ordinis, ac Profeſſionis tranſmitterentur. *Cap.* Veniens 18. *De Simonia.* Cum vero iidem Profeſſi Simoniæ fuiſſent participes in aliud Monaſterium arctioris vitæ detrudi jubebantur ad agendam perpetuam pœnitentiam. *Cap.* De Regularibus 24. Et *Cap.* Quoniam. 29. *De Simonia*. Vide etiam Gonzalez in *Notis ad Cap.* Veniens *laud.* Haud tamen inde invalida evadit Profeſſio; uti conſtat ex laud. Canonibus, atque univerſim docent Theologi. Vide Layman, *In D. Simonia Cap. ult.* §. 7. Quapropter minime adſentiendum arbitramur Cl. Cabaſſutio, qui ſæpius laud. *Lib. V. Cap.* 9. *n.* 4. opinatur, ac docet laud. Canonibus derogatum fuiſſe per *Extravag.* Sane *D. Simon.* quod permittat ſimoniace Profeſſos remanere

in

in eodem Monaſterio. Etenim Urbanus V. in laud. *Extravag.* diſerte profitetur ſe nolle derogare pœnis ab antiquo Jure ſtatutis; ſed tantum *pœnam adjicere graviorem; aliis pœnis a Jure inflictis in ſuo robore duraturis*. Quod autem in fine dictæ *Extravag.* miſericorditer diſpenſando concedat, ut ſimoniace Profeſſi in eodem Monaſterio licite valerent permanere; hoc non fuit ſtatutum, niſi de benignitatis gratia, & pro ea vice tantum, de illis tantum, qui labe ſimoniacæ pravitatis jam inquinati reperiebantur; ut ex ejuſdem *Extravag.* verbis apertiſſime patet.

Nec etiam cuiquam latere poteſt, niſi plane hoſpes ſit in Theologica Facultate, hanc pœnam non obligare, neque incurri, niſi poſt Judicis ſententiam ſaltem declaratoriam criminis, ut communiter docent Theologi. Etenim cum valida fuerit Profeſſio, uti jam oſtendimus, atque ex valida Profeſſione jus adquiſitum ſit, ut Profeſſus ſuſtentationem vitæ accipiat ex communibus proventibus Monaſterii, in quo Profeſſionem emiſit, licet non ſine labe ſimoniacæ pravitatis, uti contra Navarrum oſtendit Cl. Layman. *loc. cit.* hujuſmodi jure quæſito per detruſionem in arctioris vitæ Monaſterium minime expoliatus cenſendus ſit, niſi per legitimam Judicis auctoritatem aut damnetur ad hanc pœnam, aut ſaltem crimen ad-

miſ-

miſſum declaretur, unde debeatur pœna, a lege ſancita.

At quiſnam ab hujuſmodi pœna ſolvere poſſit?

R. Cl. Læyman *loc. cit.* docet Poſt condemnationem Profeſſi ad hanc pœnam, neminem Pontifice inferiorem poſſe ab ea diſpenſare, ſeu reſtituere in priſtinum Monaſterium, in quo emiſſa fuerit Profeſſio. Ut enim quis contra Canonum præſcripta, qui hujuſmodi pœnam in perpetuum decernunt, uti patet ex adductis verbis, poſſit in priſtinum Monaſterium reſtitui, illius erit neceſſaria auctoritas, qui de Jure ſupra Jus poteſt diſpenſare; h. e. Pontificis; niſi forte ignorantia interceſſerit Profeſſi, aut neceſſitas aliud poſtulet; qua in hypotheſi permittitur, ut in iiſdem Monaſteriis diſpenſative recipiantur *mutatis prioribus locis, & poſterioribus adſignatis*; juxta præſcriptum in *Cap.* Quoniam; & *Cap.* De Regularibus *laud. tit. De Simon.* At nobis idem adſerendum videtur de hujuſmodi pœna etiam ante Judicis condemnationem, aut declarationem; etenim neque tunc poterit inferior Judex hujuſmodi pœnam remittere, aut minorem decernere; ſiquidem, uti Jura decernunt: *Facti quæſtio arbitrio eſt Judicis, pœnæ autem proſecutio non ejus mandatur voluntati, ſed Legis auctoritati reſervatur. Leg.* 1. *ff. Ad Senatus Conſult. Turpilian.* Quod aper-

tiſ-

tiſſime etiam docet D. Th. 2. 2. *q.* 67. *art.* 4.

Quæ cum ita ſe habeant, nihil omnino Confeſſarius electus virtute noſtræ Bullæ Cruciatæ S. poterit circa hujuſmodi pœnam aut relaxandam, aut minuendam, cum in diſpenſationis negotio nulla omnino Bullæ noſtræ conceſſionibus ei attributa fuerit poteſtas.

Finis Secundæ Appendicis.

MO-

MONITUM AUCTORIS

AD LECTOREM.

CUm Prima Appendix in hoc II. Tomo contenta typis jam eſſet demandata, & Secunda ſub Typographorum prælo jam ingemere cœpiſſet, nova iſthæc Quæſtio, in cujus tractationem jam ſumus ingreſſuri, animo occurrit. De ea autem nihil fere in univerſo hoc noſtro Opuſculo dixiſſe doluimus; neque enim oſcitantiæ notam effugere poſſe videbamur, ſi Caſum hujuſmodi, quod argumentum præſtat præſenti Quæſtioni, maxime omnium pertinentem ad conceſſionem Bullæ noſtræ Cruciatæ injuſto ſilentio obvolutum, atque Eruditiſſimorum Lectorum examini ſubductum, a noſtra iſthæc elucubratiuncula longe eliminaſſemus. Cum enim per hanc noſtram Bullam Cruciatæ S. Apoſtolica benignitate facultas nobis directe impertita fuerit ad abſolvenda peccata Summo Pontifici reſervata, in cenſuras vero tantum per connexionem ad peccata reſervata, ac per quamdam conſequentiam,

tiam ; quis inficiari nobis poterit Caſum hujuſmodi ſine cenſura reſervatum ad noſtram iſtiuſmodi tractatiunculam maxime omnium pertinere ? Quare non immerito nobis vitio verti poterat , ſi ab illius diſcuſſione omnino abſtinuiſſemus . Porro licet emenso, haud brevi curriculo o labore , atque itinere non leviter fatigati ad metam ardentius properare videremur, & receptui jam canere deliberatum, ſtatutumque nobis eſſet ; nihilominus & publicæ utilitatis ſtudium , atque munus ſuſceptum enucleandi , atque illuſtrandi Bullæ privilegia haud paſſa fuere , quo ab iſtiuſmodi tractatione capeſſenda ſuperſederendum judicaremus. At quoniam folia Primæ Appendicis, & partim etiam Secundæ jam fuerant impreſſa, atque typis excuſa , nullus occurrebat locus , quo apte, atque accomodate hujuſmodi Quæſtio inſerenda videretur. Hinc ne Eruditos Lectores hujuſce tam neceſſariæ tractatiunculæ emolumento defraudaſſe, ac noſtro muneri deeſſe videremur, hoc conſilii cepimus, ut hunc in locum illam rejiceremus, atque hanc Mantiſſam ad calcem noſtri Opuſculi adnecteremus , ubi illa commode , ac breviter pertractari poſſet . Sane occulta Summi Dei O. M. conſilia haud ſatis demirari poſſum, quibus factum eſt , ut dum typographi injuſte moram traherent, atque huic noſtro Opuſculo excudendo , nobis indeſinenter reclamantibus, quam lentiſſime incumberent;

rent; totum hoc locum daret novis hujuſmodi quæſtionibus ad noſtri inſtituti rationem vel quam maxime pertinentibus in dies excitandis, atque expediendis, quas partim, cum locus pateretur in Primam Appendicem inſeruimus, partim in Secundam, & Quæſtionem hanc, quam pertractaturi ſumus, in hanc Mantiſſam, quo nullus accommodatior locus, rejiciendam judicavimus. Accipe igitur Humaniſſime Lector, quæ in hac Mantiſſa de propoſita Quæſtione breviter dicturi ſumus, eaque æquo animo, ut cetera, quæ in hoc Opuſculo occurrunt percurrito; quæ unice tuis utilitatibus ſtudendo litteris exaravimus; fortaſſe haud te pœnitebit pauculum temporis in hiſce lectitandis inſumſiſſe. Sed de tua benignitate, atque humanitate ne diffidere videremur, haud ultra progrediemur inania verba accumulando. Vale itaque, meque Deo commenda.

BRE-

BREVIS MANTISSA

De Caſu illo Reſervato, In quem incurrunt recipientes munera a Regularibus. Quidque in eo poſſit Confeſſarius virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ.

Sive

BREVE COMMENTARIOLUM

In Partes Decretalis *Monachi*. 2. Et *Cum Ad Monaſterium*. 6. titulo. *De Statu Monachorum*.

Monachi non pretio recipiantur, nec peculium permittantur habere..... Qui vero peculium habuerit, niſi ab Abbate fuerit ei pro injuncta adminiſtratione permiſſum a Communione removeatur Altaris. Laud. *Cap.* Monachi.

Nec æſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Manacho diſpenſare; quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere laud. *Cap.* Cum ad Monaſterium.

Religioſæ vitæ Profeſſio adumbrata in Lege Naturæ ipſis etiam antidiluvianis temporibus, expreſſa in ipſa Moſaica Lege, perfectius vero explicata, atque inſti-

ſtitu ta tempore Apoſtolorum, nihil aliud eſt, quam *Status hominum ad Chriſtianam perfectionem per Paupertatis, Obedientiæ, & Continentiæ vota tendentium.* Ita Theologicarum rerum tractatores duce D. Thoma 2. 2. *qu.* 186. *art.* 2.

Hujuſmodi autem vitæ genus, quod feliciter ipſo Apoſtolorum ævo ipſi Apoſtoli, ceterique Chriſtifideles ſub ductu Apoſtolorum caritate inflammati initiarunt, atque ſuo exemplo edocuerunt, *quibus erat cor unum, atque anima una. Omnia erant communia. Et dividebatur ſingulis, prout cuique opus erat. Actor. Cap.* 4. ab ipſis Eccleſiæ initiis in uſu eſſe cœpiſſe, ac frequentari compertum eſt; uti probat Cl. Bellarminus In ſuis Controverſiis *Lib. II. De Monachis Cap.* 5. contra Centuriatores Magdeburgenſes.

Jam vero ad Religioſum Statum conſtituendum plures expoſci, atque exquiri conditiones univerſim docent Theologi.

I. Ad veræ & propriæ Religionis ſubſtantiam requiri Paupertatem, Caſtitatem, Obedientiam certa, atque explorata res apud omnes: quæ tria adeo ſunt adnexa, ſive eſſentialia Statui Religioſo, ut ſine illis conſiſtere nequeat. Cum enim Status Religioſus ſit Status hominum ad perfectionem anhelantium, eique adipiſcendæ totis viribus incumbentium, inde ſane conſequitur, quod ſint removenda ab eo Statu hæc tria, quæ ſunt maximo impedimento ad perfectionem adſequendam

dam, uti ſunt: concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. *Ep. I. Joann. Cap.* 2. quibus profecto animi morbis medemur per ſtudium, atque exercitium Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ. Lege D. Thomam. 2. 2. *qu.* 186. *art.* 3. 4. & 5. & 7.

II. Ut hæc tria ſint voto confirmata: Etenim cum ad Religioſos pertinet, quod ſint in ſtatu perfectionis; ſive ut ad ſtatum perfectionis tendant, & incumbant; ad ſtatum autem perfectionis requiritur obligatio ad ea, quæ ſunt perfectionis; quæ quidem Deo fit per votum. D. Thomas *laud. qu.* 186. *art.* 6.

III. Ut hæc vota emittantur in aliqua Religione per Sedem Apoſtolicam adprobata; nec ſatis eſt, ut modus vivendi ab illa fuerit adprobatus, niſi tamquam vera Religio ſit adprobata. Vide Navarrum Commentario I. *De Regularibus n.* 18. §. Vigeſimum tertium. Hinc rectiſſime Benedictus XIV. docet, ac decernit Virgines quaſdam Anglicanas Conſervatorii Mindelhemii in Diœceſi Auguſtana, non eſſe Veras Religioſas, ac promiſſiones, quæ ab illis fiebant, non eſſe ad ſummum, niſi vota tantum Simplicia; non vero Solemnia. Quia licet illarum vivendi modus, & Regulæ, quas profitebantur, fuerint adprobata per Summum Pontificem Clementem XI. nempe; vota tamen ab illis emiſſa non poterant dici conjuncta cum expreſſa, aut ta-

tacita profeſſione in aliquo Ordine per Sedem Apoſtolicam in Statu veræ Religionis adprobato. *Conſtitutione*, quæ incipit. *Quamvis juſto*. edita anno 1749. §. 13. & 14.

IV. Demum, ut hæc vovens conſtituatur ſub alterius juriſdictione, & poteſtate. Quod non ex vi, & natura votorum conſurgit; ſed derivatur a Pontifice erigente aliquem Ordinem in Religionem. At de his omnibus lege ſi lubet Cl. Sanchez *In Decalog. Lib. V. Cap.* 1. *n.* 24. & *ſeqq.*

De hoc itaque Religioſo Statu nonnulla nobis inquirenda ſunt, quæ ut valeant illuſtrare partes, ſeu ſegmenta, ſeu partes Decretalium, quas initio præpoſuimus, atque attulimus, ita etiam viam nobis ſternunt, atque aperiunt ad propoſitam Quæſtionem elucleandam. Ad rem itaque, ut veniamus ſit.

Q. I. *Num vota neceſſaria ad conſtituendum Statum Religioſum Solemnia ſint oportet, an ſufficiant tantum Simplicia?*

R. Gravem hac de re controverſiam inter Theologos intereſſe. Antiquiores Theologi innixi loquendi rationibus quas Canones tenuere (Ut *Cap.* Religioſo. 21. De *Sentent. Excommunicat. in 6.* Et *Cap.* Porrectum 13. *De Regularib.*) Vota Solemnia eſſe de eſſentia Status Religioſi edocuere. Ita D. Thomas. 2. 2. *qu.* 189. *art.* 2. *ad* 1. Navarrus in *Cap.* Non dicatis. *Cauſs.* 12. *qu.* 1. *n.* 15. D. Antoninus, Sylvius, Sotus, aliique.

At

At vero recentiores Doctores, præſertim Profeſſores Societatis jam abolitæ poſt Extravagantem *Aſcendente*, editam a Gregorio XIII. qua decernitur emittentes Vota Simplicia in Societate Jeſu, eſſe vere, ac proprie Religioſos, magna animorum contentione decertant pro hac ſententia, qua edocetur Vota tantum Simplicia ſatis eſſe ad conſtituendum Statum Religioſum. Imo aliqui decernunt id ad dogma Catholicæ Fidei pertinere ex prædicta Conſtitutione Gregorii XIII. Nec ſane mirum quod tanto ſtudio pro hac ſecunda ſententia fuerit decertatum per Profeſſores Societatis J. cum res ipſorum, uti patet, ageretur; ſecus enim ipſi nec vere, & proprie Religioſi reputandi fuiſſent, nec Societas vera Religio, aut Ordo. Controverſiam iſtam propoſitam habes apud Cl. Sanchez, qui probationes, atque argumenta accumulat pro ſecunda ſententia tuenda. *Lib. V. Cap.* 1. *n.* 22. *& ſeqq.*

At cum Societas prædicta, quæ ſola erat exceptio a communi regula Apoſtolica auctoritate jam fuiſſet abolita, ſtandum atque adhærendum ſententiæ B. Thomæ, aliorumque veterum Theologorum; præſertim cum illa ſit conformior Sacrorum Canonum ſanctionibus; ſcilicet quod ſolum Votum Solemne faciat *hominem Monachum, aut Fratrem alterius Religionis, quod vocatur Profeſſio.* Per Votum autem Simplex neminem fieri Monachum,

aut Religioſum. Quare, quidquid ſit de propoſita controverſia, rejecta poſteriori ſententia, etenim peculiaris illa conceſſio, ſive privilegium una cum ipſa Societate deſiit, evanuit, noſtra hac ætate firmiter nunc retinendum, quod vetuſtiores Theologi hac in re docuere; ſcilicet Vota tantum Solemnia efficere hominem Religioſum, atque in Statu Religioſo illum conſtituere.

Q. II. *Num valeat Summus Pontifex legitima occurrente cauſſa in hiſce Solemnibus Religioſis Votis diſpenſare?*

R. Apertiſſime negare id videtur Summus Pontifex Innocentius III, in adducta Decretali *Cum ad Monaſterium*; dum ait: *Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*. Atque ex hac Decretali, ut mihi pro certo videtur, B. Thomas hauſit ſuam doctrinam, quam tradidit 2. 2. *qu.* 88. *art.* II. dum ait; *Debitum Caſtitatis eſſe eſſentiale Statui Religioſo*. Quemadmodum enim quod ſanctificatum eſt Domino non poteſt in humanos uſus converti, ita non poteſt facere aliquis Eccleſiæ Prælatus, ut id, quod eſt ſanctificatum, ſanctificationem amittat. Unde multo minus poteſt facere aliquis Prælatus, ut homo Deo conſecratus per Vota Deo nuncupata, quamdiu vivit, conſecratus eſſe deſiſtat. Solemnitas Voti conſiſtit in quadam conſe-

ſecratione ſeu benedictione voventis. Et ſimili ratione Papa non poteſt facere, quod ille, qui eſt profeſſus Religionem, non ſit Religioſus; licet quidam Juriſtæ ignoranter contrarium dicant. Hactenus D. Thomas:

At nihilominus plerique magni nominis Theologi, & Juris Canonici Periti in contrariam abierunt ſententiam. Et Fagnanus Juris Canonici conſultiſſimus ad dictum *Cap.* Cum ad Monaſterium, ait. *Hodie hanc ſententiam eſſe communem Theologorum, ac fere omnium Canoniſtarum, quam etiam tacite approbavit Eccleſia Romana, dum ſuper hoc diſpenſavit cum multis Religioſis.*

Quæ ſane poſterior ſententia ita breviter probari poteſt. Solemnitas Voti ex ſola Eccleſiæ Conſtitutione fuit inventa, atque inſtituta. *Cap.* Unic. *De Voto.* in *6.* (Vide Sanchez *In Decalog. Lib. V. Cap. 1. n. 6.* Et *Lib. VII. De Matrimon. Diſp. 25. n. 2.*). Quemadmodum enim Eccleſia ſua Conſtitutione effecit, ut per adnexam Voti ſolemnitatem homo redderetur inhabilis ad quoſdam actus alioquin legitimos; uti E. G. ad adquirendum, ad contrahendum Matrimonium; ita etiam poteſt ſua auctoritate in aliqua peculiari hypotheſi auferre hanc ſolemnitatem, & per legitimam diſpenſationem hominem reſtituere in priſtinam libertatem. Præterea Votum Solemne, ac Simplex non differre per ſe, eſſentia-

liter, ex ipſius Voti natura; ſed tantum accidentaliter ex Eccleſiæ ordinatione, atque utrumque eſſe ejuſdem ſpeciei; cum Votum Simplex non minus obliget apud Deum, quam Votum Solemne; ut ait Cæleſtinus Pontifex *Cap.* Rurſus. 6. *Qui Clerici, vel Vovent.* Quemadmodum ergo Pontifex poteſt diſpenſare in Votis Simplicibus, ita etiam in Solemnibus. Lege Sanchez *In De Matrimon. Lib. VIII. Diſp.* 8. *n.* 7. qui innumeros affert Theologos, ac Canononum Interpretes id ipſum ſentientes, atque hanc poſteriorem ſententiam docet ac probat eſſe probabiliorem.

Neque poſteriori huic ſententiæ quidquam officit auctoritas adducta Decratalis Innocentii III. aut D. Thomæ. Siquidem ipſi Auctores hujuſce ſententiæ reſpondent, allegatas auctoritates eſſe veras *in ſenſu compoſito*; ſecus vero in *ſenſu diviſo*; h. e. Votum Solemne Continentiæ adeo eſſe intrinſecum, & eſſentiale Statui Religioſo, ut Summus Pontifex efficere non poſſit, ut quis remaneat Monachus, & uxorem ducat; quamvis diſpenſatione ſua efficere poſſit, ut ex Monacho, fiat non Monachus, adeoque ſolutus Solemnibus Votis, & conſecrationem tollere, quæ Sacramentalis non eſt, ſed Ritualis, nec Divini Juris, ſed Eccleſiaſtici. Atque hoc illud eſt, quod ſenſerat B. Thomas in *IV. Sentent. Dict.* 38. *qu.* 1. *at.* 4. dum docuit, veluti probabilius, quod

quod expoſcente communi utilitate Eccleſiæ totius, aut unius Regni, ac Provinciæ poſſit convenienter & in Voto Continentiæ, & Religionis diſpenſari. Vide Natalem Alexandrum *In De Impedim. Matrim. Cap. 4. art. 4.* Salmanticenſes *De Statu Religioſo Cap. 1. Punct. 3.* Cardinalem Cajetanum, alioſque.

Si quem autem invadat cupido noſcendi in quo conſiſtat Solemnitas iſta Votorum Eccleſiæ ordinatione conſtituta, legat potiſſimum Cl. Sanchez. laud. *Lib. V. Cap. 1. In Decalogum. n. 10. & ſeqq.*

Q. III. *Num hoc idem liceat in Solemni Paupertatis Voto?*

R. Quæſtio propoſita ſatis apte reſolvi potuiſſet ex dictis in ſuperiori Quæſtione; ſed quia peculiarem præ ſe fert difficultatem, idcirco de ea diſtincte quærendum fuit. Et ſane Navarrus, qui docet Pontificem diſpenſare poſſe in Solemnibus Votis; negat tamen id fieri poſſe in Solemni Paupertatis Voto; non quidem defectu poteſtatis, ſed defectu cauſſæ ſufficientis, quæ poteſt intervenire ad diſpenſandum in Voto Continentiæ, minime vero in Voto Paupertatis. *Commentar. II. De Regularib. n. 17.* At omnino dicendum eamdem cauſſam, quæ ſufficit ad diſpenſandum in Voto Caſtitatis cauſſa contrahendi Matrimonii, ſufficere quoque ad diſpenſandum in Voto Paupertatis. Etenim non eſt conveniens ſtatui conjugali, & diſpoſitioni neceſſariæ inter

liberos, ut ille ligatus maneat Voto arctiſſimæ Paupertatis, quale fuerat emiſſum in Religione. Sanchez *In Decalog. Lib. V. Cap. 2. n. 9.*

Q. IV. *Quid ſit Solemne Paupertatis Votum, & quem præſtet effectum in iis, qui illud emiſerint?*

R. Votum Paupertatis nihil aliud eſſe, quam *abdicationem proprietatis* circa res omnes temporales, ſive pretio æſtimabiles. Quod quidem ſatis aperte patet ex Decretalibus, quas initio propoſuimus; tum ex *Cap.* Super quodam. 4. *De Statu Monachor.* Atque ex *Cap.* Non dicatis. *9. cauſ. 12. qu. 1.* Paupertatem itaque, quam vovent ii, qui Religioni ſeſe dicant, eſt *nihil proprii* habendi. *Proprii* autem nomine quo ſeſe exuunt Religioſi per Votum paupertatis intelligitur non ſolum rei dominium, & proprietas, ſed etiam uſus, uſusfructus, poſſeſſio, atque adminiſtratio, prout ſunt quid facti. Quia prædicta omnia, prout ſunt quid juris, ſignificant aliquid *proprium*, quod quis poſſidet, atque adminiſtrat nomine proprio, & arbitratu ſuo indepedenter a Superioris voluntate. Vide Sanchez *Lib. VII. In Decalog. Cap. 18. n. 25.*

Effectus autem, quem præſtat emiſſum Solemne Paupertatis Votum eſt, ut impediat dominii adquiſitionem, incapacem reddens ipſum voventem ad dominium alicujus rei ſibi valide adquirendum, ac valide in alium traſferendum.

Q. V.

Q. V. *Quid differant inter ſe Votum Solemne, & Simplex Paupertatis?*

R. In eo ſcilicet inter ſe utrumque differre, quod Votum Simplex, quod dicitur Paupertatis, impedit quidem licitam adquiſitionem, ac translationem dominii in alium; at voventem non reddit incapacem ad adquirendum, aut transferendum in alterum dominium. Quare ſi de facto adquirat, aut transferat quidquam in dominium, & jus alterius abſque legitima Superioris licentia, reus quidem erit voti; ſed tamen factum tenebit, neque ſui roboris firmitate fraudabitur. Secus tamen, uti patet, & nos antea innuimus, dicendum erit de Solemni paupertatis Voto. Hoc quidem diſcrimen inter utrumque prædictum Votum ſatis aperte deducitur ex *Cap.* Unic. *De Voto in 6.* ubi diſertiſſimis verbis idem diſcrimen ſtatuitur inter Solemne, ac Simplex Caſtitatis Votum; ac docent Cl. Navarrus *Comment. I. De Regularib. n.* 19. Et Sanchez. *laud. Lib. VII. Cap.* 18. *n.* 23. Qui etiam docent, hujuſmodi diſcrimen inter utrumque prædictum Votum non ex ipſa natura rei, ſed ex ſola Eccleſiæ inſtitutione repetendum.

Q. VI. *Num Peculii detentio, ac poſſeſſio ſit oppoſita Solemni Paupertatis Voto; quidque de eo in Jure decernatur?*

R. Peculium dicebatur in Civili Romano Jure, *quaſi puſilla pecunia, ſive puſillum Patrimonium*, quod ſervus Domi-

ni permiſſu ac voluntate a rationibus dominicis ſeparatum habebat. *Leg.* Peculii 4. & *Leg.* Depoſiti. 5. *ff. De Peculio*. Hujuſmodi porro vocabulum ex Jure Romano ad Regularium Peculia deſignanda merito poſtea accomodatum fuit; ad deſignandam nimirum illam *puſillam* pecuniam, ſive *puſillum* reditum, aliudve conſimile, quod Monachus ſua parcimonia, vel proprio labore, aut parentum, & conſanguineorum liberalitate ſibi comparavit, atque a rationibus Monaſterii permiſſu Superioris ſeparatum ſervat in ſuos uſus peculiares, non autem in communes totius Conventus.

Peculium porro Regularium triplici ratione accipi poteſt. I. Ut ſit in pleno dominio, & poteſtate poſſeſſoris. II. Ut verſetur in pleno uſu, & uſufructu, de quo quis poſſet ad ſuum lubitum diſponere, atque independenter ab alio. III. Ut ſit in uſu, & adminiſtratione, quæ ad alterius arbitrium poſſit revocari. De Primo, & Secundo Peculii genere nulla hic inſtituitur quæſtio; ſiquidem certo certius conſtat, iſtiuſmodi Peculia proprietatis vitium ſecum ferre, atque involvere; atque proinde aperte repugnare Religioſæ Paupertati. Quod profecto patet apertiſſime ex laud. *Cap.* Non dicatis. 9. *cauſ.* 12. *qu.* 1. *Cap.* Super quodam. 4. & *Cap.* Cum ad Monaſterium *De Statu Monachorum*. Vide Cabaſſutium in ſua *Theor. & Praxi Jur. Canon. Lib. I. Cap.* 22.

San-

Sanchez. *In Decalog. Lib. VII. Cap.* 22.
Tota igitur controverſia verſatur circa Tertium Peculii genus, de quo acriter inter Theologos, atque Interpretes Canonici Juris diſputatur, num illud adverſetur Voto Paupertatis, atque Eccleſiaſtico Jure prohibeatur. Qua quidem in re Cl. Sanchez, docet iſtud Peculii genus poſtremo deſcriptum, modo concurrat juſta, & legitima cauſſa, cur illud concedatur, atque in uſus tantummodo honeſtos, ac neceſſarios indulgeatur, neque adverſari Religioſæ Paupertatis Voto, neque Eccleſiaſtico Jure, tum vetuſtiori, tum recentiori illud prohiberi. laud. *Cap.* 22. Quam ſententiam ſectantur etiam, ac docent peritiores Canonum Interpretes; Innocentius, Joannes Andreas, Navarrus, aliique.

At vero Cl. Van-Eſpenius In *Diſſertation. Canonic. De Peculiaritate* &c. (extat Tom. V. ſuorum Operum *Editionis Neapolitanæ anno* 1766.) Ac *Tom. I. Part. I. tit.* 29. *Cap.* 7. hujuſmodi etiam Peculia ad tertium genus pertinentia oſtendit tum ex Regulis inſigniorum Religionum Fundatorum ubique ac ſemper præcipientibus vitam communem, atque abdicationem rerum temporalium, tum Canonica auctoritate, ac Summorum Pontificum Conſtitutionibus ſemper fuiſſe interdicta; illa Voto Paupertatis eſſe contraria, cum nec re, nec nomine diſcrepent ab idea veræ *Proprietatis*; nec ad

illa cohoneſtanda, atque a culpæ reatu, depurganda ſufficere quamcumque Prælati licentiam, aut diſpenſationem. Idem etiam docuit, ac tuetur Cl. Fagnanus Vir Juris Canonice conſultiſſimus. In *Cap.* Monachi *laud.* Aliique.

In hac autem tam ſalebroſa difficili, ac periculoſa quæſtione, quænam ſententia, veluti veroſimilior, nobis videatur ampleſtenda ſubjectæ Adſertiones protinus indicabunt.

Adſero I. *Jure Decretalium, ac recentiori per Tridentinum firmato Peculia habere etiam de Superiorum licentia, atque ad uſus tantum honeſtos Regularibus fuit interdictum.*

Iſthæc Adſertio mihi explorata, ac certa videtur; eaque probatur, ſive confirmatur ex eodem *Cap.* Monachi laud. quod pro ſua ſententia tutanda affert Cl. Sanchez. Et ſane Decretum Concilii Lateranenſi 5. III. quod refertur in laud. *Cap.* Monachi. ad Superiores Regularium dirigitur; atque hunc in modum incipit: *Monachi non pretio recipiantur, nec Peculium permittantur habere.* Unde hoc eruitur argumentum: Qui licentiam, ſive veniam concedunt ad Peculium habendum, ac retinendum, ii utique illud permittunt, uti patet. Sed hoc Superioribus diſertis verbis per Concilium inhibetur. Ergo Peculia, intercedente etiam Superiorum permiſſu ſunt illicita, ac prohibita Jure Decretalium. Præterea in dicto *Cap.* De-

cer-

cernitur Peculiorum uſum, ac retentionem nullis permittenda Religioſis; niſi Officialibus tantum Monaſterii de licentia Abbatis, pro injuncta ipſis adminiſtratione: Ergo ceteris omnibus Peculii uſus erat ab Abbate denegandus. Etenim exceptio debet eſſe regulæ oppoſita; adeo ut, quod illa concedit, iſtud regula ſuperius propoſita denegare debet. Legantur hac de re Cl. Van Eſpenius laud. *Diſſertat. Part.* 1. *Cap.* 2. §. 1. Et Fagnanus in *laud. Cap.* Monachi.

Dices cum Sanchez. In *Cap.* Inſinuante *final. Qui Clerici, vel voventes* &c. adprobatur Profeſſio emiſſa a Muliere cum adjecta conditione manendi in domo propria *cum omni ſua ſubſtantia*. Ergo Peculii uſus, ac detentio non adverſatur Voto Paupertatis; & cum in dicto *Cap.* a Pontifice non reprobetur dicta conditio, cenſendum eſt permitti Peculium hujuſmodi.

R. Si laud. *Cap. final.* eſſet intelligendum, prout contendunt Adverſarii, de Muliere emittente Votum Paupertatis adjecta memorata conditione manendi in domo propria *cum omni ſua ſubſtantia*; inde deducendum eſſet, quod non ſolum uſus, aut uſusfructus bonorum temporalium, ſed nec ipſum dominium eorumdem adverſetur Voto Paupertatis, cujuſmodi ingens abſurdum nemini adhuc, quod ſcio, in mentem venit. Etenim, qui vovet, ſive Profeſſionem emittit cum adjecta con-

di-

ditione manendi in domo propria *cum omni ſua ſubſtantia*, profecto a ſe, uti patet, nec uſum, nec dominium abdicat, ac deponit ſuorum bonorum. Quare, ne cogamur in hujuſmodi abſurda incidere, allatæ Decretalis ſententiam diſcreta temporum conditione, ac Diſciplina interpretemur oportet illa enim referenda eſt ad illa tempora, cum paſſim liceret vovere Caſtitatem, & Obedientiam, nullo emiſſo Voto Paupertatis, ac manendi ſub Clauſura. Poterat itaque prædicta Mulier, de qua indicto *Cap.* juxta illorum Diſciplinam Profeſſionem Religionis emittere cum adjecta conditione manendi in domo propria *cum omni ſua ſubſtantia*; h. e. nullo edito Voto Paupertatis, ac Clauſuræ, quod ei tunc temporis permittebatur. Unde evidentiſſime conſtat laud. *Cap.* non officere noſtræ Adſertioni. Legendus hac de re Eruditiſſimus Gonzalez in *laud. Cap.* Inſinuante. Cl. Van Eſpenius *Diſſertat. laud. Cap.* 2. §. 2. & nos fuſius id proſecuti fuimus *In Adnotation. Ad Bibliothec.* Cl. Ferrari *Verb.* Legatarius, Legat. *Not.* 9. *tom. V. Editionis Neapolit. an.* 1789.

Item Peculiorum uſum, ac retentionem Jure recentiori fuiſſe interdictam Regularibus evidentiſſime conſtat ex Decreto Tridentini, quod legitur *Seſſ. XXV. Cap.* 2. *De Regularib.* Ibi enim cum præſcribatur, ut nemini Regularium liceret bona cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam nomine

mine Conventus poſſidere; ſed illa ſtatim Superioribus eſſe tradenda, & Conventui incorporanda, hujuſmodi Peculia prohiberi nemo ſane non videt. Si quid autem dubitationis ſupereſſe poterat poſt laud. Tridentini Decretum, illud omne penitus ſuſtulit Clemens VIII. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Nullus omnino*, ubi Tridentini decretum explicatur, ac tanta ſeveritate hujuſmodi Peculia prohibentur; ut nulla Superiorum licentia, aut diſpenſatio prodeſſe valeat ad excuſandos Regulares Peculiorum Poſſeſſores. Legatur Van Eſpenius laud. *Diſſertat. Part. I.* & Piiſſimus Ligorius *Lib. V. De Statu Religios. Cap. 1. Dub. 4. n.* 13. Lucius Ferrari in ſua *Bibliotheca. Verb.* Moniales *art. 2. n. 65. & ſeqq.*

Adſero II. *Ex conſuetudine jam inducta, ac ubique ferme recepta Peculia hujuſmodi Regularibus permittuntur, ac licita ſunt; modo nonnullæ comitentur conditiones.*

Hanc conſuetudinem teſtantur Cl. Sanchez *In Decalog. Lib. VII. Cap. 22. n.* 11. Et Piiſſimus Ligorius *loc. cit.* Hanc quoque non obſcure teſtatur, atque admittit Cl. Cabaſſutius, qui docet excuſari Religioſos habentes hujuſmodi Peculia propter tacitum Superiorum conſenſum ex uſu, qui viget in Monaſterio, vel in ipſo Ordine, in quo iſta Peculia permittuntur, ſive tolerantur a Superioribus, aut longo uſu robur acceperunt. In ſua *Theor. & Prac.*

Prax. Lib. 1. *Cap.* 22. His etiam accedit auctoritas immortalis memoriæ Pontificis Benedicti XIV. in Opere *De Serv. Dei Beatificat. Lib. III. Cap.* 41. *n.* 12. quidum docet Peculii uſum non obſtare, atque officere Servorum Dei Beatificationi; propterea quod *excellentia*, *& major perfectio*, *quæ ex Peculio deſumi non poteſt a ſerie aliarum virtutum derivatur*; cenſet etiam hujuſmodi Peculii uſum minime improbandum, quoties debitæ adſint circumſtantiæ.

Circumſtantias autem, ſive conditiones ad licitum Peculii uſum idem laudatiſſimus Pontifex exſcribit, ſeu recenſet ex Opuſculo quodam Romæ edito 1695. inſcriptum *Trattato della Vita Comune*, quod teſtatur adprobatum fuiſſe a celebrioribus Theologis. Conditiones autem ſunt 1. Ne illud habeant titulo dominii, ſed ſimplicis uſus 2. Ut accedat tacita aut expreſſa Superiorum licentia 3. Ut ſit moderatum, & non ſuperfluum 4. Ut ſit immixtum ceteris Bonis Monaſterii 5. Ut Peculii conceſſio ſit revocabilis ad Superioris mandatum 6. Ut Regularis non utatur, niſi pro rebus licitis, ac neceſſariis 7. Ut peculium non habeat penes ſe; ſed in manibus publici Officialis a Superioribus deputati 8. Ut ſi Religioſus aliquid petat a dicto Officiali, rem exponat; quam ſibi dicit neceſſariam 9. Ut hic vivendi modus ſine ſcandalo immutari non poſſit 10. Ut conceſſio tacita, aut ex-

expreſſa facta ſit ob juſtam & rationabilem cauſſam. Similia fere habet Cl. Lucius-Ferrari loquens de cenſibus vitalitiis, ſeu *Livellis* Monialium, ubi enumeratis quinque neceſſariis conditionibus, quæ ferme eodem recidunt cum ſuperius exſcriptis a Benedicto XIV. concludit, *quod expoſita Theorica poſſit tuto practicari, ac tolerari, prout tolerari poſſe declaravit Sacra Congregatio in una Cæſenatenſi : Die 12. Martii anno 1693.* In ſua *Bibliothec. Verb.* Moniales *Art.* 2. *n.* 69. 70. & 71. Vide etiam Cabaſſutium eamdem hac de re ſententiam amplectentem. In ſua *Theor. & Prax Jur. Canon. Lib.* 1. *Cap.* 22. *n.* 9. Hæc ſane omnia accurate perpendere debent Confeſſarii præſertim Monialium. Etenim, uti recte ac ſapienter pro ſuo more advertit Natalis Alexander in quibuſdam Monaſteriis Viri Religioſi, ac Sanctimoniales ritualibus quibuſdam obſervantiis, humaniſque legibus ſcrupuloſa adhærent pietate, in multis vero quæ vota ſpectant, Vitæque Monaſticæ ſubſtantiam ac fundamentum, nullum ſæpe ſcrupulum patiantur, colantes culicem, camelum autem glutientes *Appendic. I. Variar. Epiſt. tom. II. Edition. Venet. anno* 1705. *Ep.* 79.

Adſero III. *Peculium iſtiuſmodi comitantibus conditionibus prædictis Paupertati eſſentiali, ad quam omnino tenentur Religioſi, & adverſus quam nulla valet præſcriptio, minime adverſatur.*

Ut autem hujuſce Adſertionis veritas In-

luculentius innoteſcat, tria accurate diſtinguantur oportet. Paupertas eſſenrialis, Perfectio ejuſdem, ac Finis. Eſſentialis Paupertatis ſita eſt in abdicatione omnis Proprietatis, ac Dominii; cum Paupertas Religioſa Voto promiſſa nihil aliud ſit, quam *abdicatio proprietatis*. Laud. *Cap. Cum ad Monaſterium* Paupertatis autem Perfectio eſt, ut Religioſus abdicet a ſe, ſeque exuat uſu etiam, ut ita dicam, *precario* ipſius rei, ſeu revocabili ad Superioris nutum, omniaque plane habeat communia cum ceteris Religioſis, ac veluti Pauper a Superiori exquirat, atque expectet, quidquid ſuæ indigentiæ reparandæ opus habet. Hujuſmodi autem, uti patet, eſt Paupertatis perfectio. Quare, licet illam aperte præſcribere videantur Eccleſiaſtici Canones, ac Tridentini Decretum ſupra allatum, quod ſcite probat Eruditiſſimus Van-Eſpenius laud. *Diſſertat. Canonic. Part. I. Cap.* 1. præſertim §. 9. ab ea tamen contraria conſuetudine inducta poſſunt Religioſi excuſari. Demum Finis Paupertatis Religioſæ eſt, ut Religioſus expers cujuſcumque ſollicitudinis temporalium minime avocetur a ſpiritualibus ſtudiis, ac perfectioni adquirendæ ſedulo adlaboret, atque toto conatu incumbat, prout tenetur. Porro licet Peculium ſupra deſcriptum hujuſmodi utilitatibus aliqua ex parte privet Religioſum; haud inde tamen Voti tranſgreſſor dicendus erit Religioſus, licet Voti Paupertatis

tis finem, quo ſpectabant Eccleſiaſticæ Leges, non conſequatur. Etenim finis præcepti non cadit ſub præcepto; ut unanimi fere conſenſu nos edocent Theologi. Vide Sanchez, & Ligorium *loc. cit.*

Poſtquam hæc, quæ ediximus, litteris exaravimus, incidit in manus *Theologia Dogmatica*, ac *Moralis* Natalis Alexandri opus multis nominibus commendandum. Ubi *tom. II. Venet. Editionis Append. I. Variar. Epiſtolor. Epiſt.* 70. ex inſtituto plurimis adductis auctoritatibus probat, Superiores Regularium ſubditis ſuis utriuſque ſexus non poſſe permittere, ut Peculium habeant; Peculium nempe illud, quod eſſet in dominio, & poteſtate habentis, & de quo, & de cujus fructibus poſſit pro arbitrio diſponere independenter a Superioris voluntate; quod ſane multum diſcrepat ab ea, quam ſuperius tradidimus, doctrina. Hoc autem dum præſtat Erudítiſſimus, ac Sapientiſſimus Theologus, ea quæ a nobis hic adſerta fuere ſua auctoritate confirmat, adducta etiam Clementis VIII. auctoritate, ut inibi legere eſt. Inter cetera autem, quæ adducit ad propoſitum ſuum finem facientia contra Navarrum, Sanchez, Dianam, nimium hac in re fibulas, ut ipſe ait, laxantes, profert laudatiſſimus Theologus auctoritatem D. Antonini, quem tuto nos ſequi poſſe docet. Sanctiſſimi autem Archiepiſcopi ad rem noſtram facientia hæc ſunt verba. *Proprium*, inquit, *dicitur*, *quid-*

quid

quid celatur Abbati , ſeu alii ſuo Prælato, vel tenetur contra voluntatem Prælati. Si autem Abbas quædam Monacho concedit, ut eis uti poſſit ad libitum, non videtur dici proprietas, quando de quantitate, & qualitate nihil celat Abbati , nec ſine ipſius licentia aliquid recipit, vel expendit, paratus totum reddere, ac dimittere ad uſum Abbatis. Cum ergo Religioſus aliquid recipit . . . contra voluntatem Superioris, vel receptum de licentia Prælati non eſt paratus totum ponere in manibus ejus ad placitum , & requiſitionem ipſius Prælati, vel ei alquid celat, ne ab eo accipiat , ut proprietarius peccat, mortaliter. Hæc ſane, ut verum fatear, non mediocri me lætitia affecere; dum in hac controverſia , quæ diu me ancipitem detinuit, atque animum torſit , illam me tenuiſſe ſententiam præſenſi , quæ non ſolum tantorum Theologorum patrocinio gloriari poteſt ; ſed etiam ipſorum Summorum Pontificum auctoritatibus, aut, ut ita dicam definitionibus. Legendae ſunt etiam ejuſdem Natalis Alexandr. *Epiſt.* 72. & 73. Eadem *Append. I.* ubi etiam agitur de aliis caſibus adverſantibus Voto Paupertatis.

Q. VII. *Quale peccatum ſit violatio Voti Paupertatis?*

R. Vitium proprietatis in Religioſis, ſive violationem Voti Paupertatis eſſe peccatum in duplici malitiæ ſpecie conſtitutum communiter; furti nempe, utpote con-

contra juſtitiam , & ſacrilegii , utpote contra Religionem Voti . Prob. Etenim aut Religioſus aliquid uſurpet de bonis Monaſterii , & tribuat alteri abſque expreſſa , aut tacita licentia ; aut rem a Seculari conceſſam retineat quoad propietatem , aut quoad uſum. Sed utroque in caſu peccabitur contra juſtitiam , & contra Religionem . Ergo violatio Voti Paupertatis eſt peccatum in utraque malitiæ ſpecie conſtitutum .

Et 1. Quod ſit peccatum in genere furti contra juſtitiam patet . Etenim rem alienam attrectare , ſive uſurpare invito Domino furti peccatum eſt ; cum in hoc conſiſtat malitia furti , uti tradit Juſtinianus *Leg.* Furtum . 1. & *Leg.* Qui vos 48. §. 2. *ff. De furtis* , atque omnibus probe compertum eſt . Religioſus autem rem uſurpans de bonis Monaſterii , aliiſve tribuens , aut rem ſibi conceſſam ad uſum, aut proprietatem retinens ſine expreſſa , aut tacita Superioris voluntate , invito Domino id facit, uti patet ; h. e. Monaſterio, cui bona illa adquiſita fuere . Furtum ergo committet , ſive peccatum contra juſtitiam .

II. Patet etiam quod peccet contra Religionem ratione Voti Paupertatis . Etenim quemadmodum Religioſus per Obedientiæ votum Superioris ſui voluntati omnes ſuas actiones ſubjicit ; ita ut *velle* , & *nolle* non habeat (*Cap.* Religioſus 2. *De Teſtament.* Et *Cap.* Religioſi . 5. *De Sepul-*

pultur. in 6.). Ita per Votum Paupertatis omnium uſum exteriorum rerum eidem Superiori ſubjicit; ut in hoc ſit omnino dependens ab ejus nutu. Ergo ſi de rebus jam adquiſitis Monaſterio aliquo modo diſponat expendendo, conſumendo, retinendo, alienando ſine ulla Superioris expreſſa, aut tacita licentia, peccabit contra Votum; ac proinde ſacrilegii reus evadet. Poteſt tamen aliquando accidere, ut hoc peccatum ſit tantum proprietatis in Religioſo, minime vero in genere furti; cum ſcilicet aliquid detur Religioſo ea conditione ne Monaſterio adquiratur, aut cum Monaſterium incapax eſt adquirendi. Item poteſt etiam evenire, ut hoc peccatum ſit in duplici malitia furti, ac duplici etiam malitia proprietatis; ut cum Religioſo aliquid detur abſque Superioris licentia, quod etiam abſque illa a Religioſo diſtribuatur; dummodo non adponatur conditio, ne adquiratur Monaſterio, & Monaſterium ſit capax adquirendi. Vide Sanchez laud. *Lib. VII. Cap. 20. n. 8. & 9.*

Q. VIII. *Num in hujſmodi vitio proprietatis, ſeu violatione Voti Paupertatis ſit admittenda parvitas materiæ excuſans a mortali?*

R. Affirmat. Licet nonnulli ex antiquioribus Theologis contrarium fuerint opinati. Etenim quamvis hoc crimen ex genere ſuo ſit graviſſimum mortale adverſus Paupertatis Votum, poteſt tamen

per

per accidens fieri veniale ratione parvitatis materiæ. Et ſane hoc peccatum, uti diximus, involvit duplicem malitiam ut plurimum, tum contra juſtitiam, tum contra Religionem. Sed in utroque iſtorum datur parvitas materiæ excuſans a mortali; h. e. tam in furto, quam in ſacrilegio. Ergo & in violatione Voti Paupertatis. Ita rectiſſime Sanchez In *Decalog. Lib. VII. Cap.* 20. *n.* 1. poſt Navarrum.

Q. IX. *Quænam quantitas requiratur ad conſtituendum mortale in violatione hujuſce Voti?*

R. Diſſentiunt hac de re pro more Theologi. At quoniam hujuſce quæſtionis deciſio Confeſſariis Conſcientiarum Moderatoribus maximopere neceſſaria eſt, ut dignoſcere poſſint, quandonam hujuſmodi peccatum pertingat ad mortale in violatione Voti Paupertatis, & quandonam habeat locum reſervatio conſtituta adverſus recipientes munera a Regularibus; nodum iſtum extricare aliquo modo conemur oportet.

Qua quidem in re Cl. Sanchez eam ſententiam decernit eſſe communem & veriſſimam, eam quantitatem neceſſariam eſſe, & ſufficere ad mortale, quæ neceſſaria ſit, & ſufficiat in hominibus Secularibus ad conſtituendam materiam peccati mortalis furti. Quia hoc proprietatis peccatum ſe habet inſtar furti. Sicut enim in furto res uſurpatur invito Domino,

no, ita in peccato proprietatis uſurpatur res invito Superiore, cui per Votum Paupertatis omnes ſuas actiones quantum ad recipiendum retinendum, aut ad dandum aliquid pecunia æſtimabile Religioſus ſubjecit. Sanchez laud. *Lib. VII. Cap.* 20. *n.* 3. 4. & 5.

At magis arridet, ac placet ſententia Cl. Suareſii, qui ſapienter pro ſuo more, ac ſuſe hac de re differit *tom. III. De Religion. Lib. VIII. Cap.* 6. & *Lib. VII. Cap.* 11. *art.* 24. quam etiam amplectitur Puniliati *Tract. XVI. De Statu Religioſ. Cap.* 2. *de Voto Paupert.* §. 2. Hi itaque docent eam quantitatem, quæ omiſſa in eleemoſyna voto promiſſa, ſufficeret ad omiſſionem gravem, eſſe computandam ſufficientem ad violationem gravem Voti Paupertatis. Hæc pro regula ſit prudenti Confeſſario, ut hujuſmodi caſus valeat diſſolvere ad dignoſcendum quandonam graviter peccetur hoc in genere, & quando reſervatio hujuſmodi peccati locum habeat.

Q. X. *Quibus pœnis fiant obnoxii Religioſi proprietarii?*

R. Triplicem eſſe pœnam a Jure ſancitam. Prima eſt: Religioſus tempore mortis proprium habens inventus in loco Sacro ſepeliri non poſſit, *Cap.* Monachi 2. *De Statu Monach.* ſed ſepeliendus eſt in ſterquilinio cum pecunia per eam poſſeſſa *Cap.* Cum ad Monaſterium 6. *tit. Eod.* quin imo ſi in loco Sacro ſepultus

fuiſ-

fuiſſet, inde erit extumulandus, ſeu de ipſa Eccleſia ejiciendus, ſi ſine maximo ſcandalo potuerit fieri. *Cap.* Super quodam 4. *tit. Eod.*

Secunda pœna eſt, ut Monachus habens proprium de Monaſterio expellatur laud. *Cap.* Cum ad Monaſterium. Sed hanc pœnam correctam eſſe docent per *Cap.* Ne Religioſi *final. De Regularibus.* Vide Sanchez laud. *Lib. VII. Cap.* 20. *n.* 12.

Tertia pœna eſt, ut ſi Religioſus proprium habens deprehenſus fuerit, aut convictus, privatus ſit biennio voce activa & paſſiva, atque puniendus juxta ſui Ordinis Conſtitutiones: Trident. *Seſſ. XXV. De Regularib. Cap.* 5. Cl. Sanchez *loc. cit.* arbitratur, hanc pœnam privationis vocis activæ & paſſivæ poſtulare Judicis ſententiam, ut incurratur; quod deducit ex verbis illis Concilii: *tenere deprehenſus, aut convictus fuerit.* At nobis oppoſitum pro certo potius habendum videtur. Et licet id non videatur aperte colligi ex laudatis Concilii verbis; nihilominus hoc ipſum apertiſſime decernitur, ſeu potius declaratur in Bulla Clementis VIII. quæ incipit *Nullus omnino* edita anno 1601. in qua §. 7. ſic legitur: *Nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia . . . Fratres excuſare poſſit, quominus culpæ, & pœnæ ab eodem Concilii Decreto impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ, obnoxii ſint.* Neque adducta

VIII. ubi decernitur inter cetera de hujuſmodi muneribus, ut qui receperint, *id quod acceperint ſuum non faciant.* §. 9. Vide Cl. Sanchez laud. *Lib. VIII. In Decalog. Cap.* 18. *n.* 23.

Quia tamen hujuſmodi munerum elargitiones frequentiores erant inter Regulares poſthabito Paupertatis Voto; uti refert, ac teſtatur Clemens VIII. in Proœmio ſuæ Conſtitutionis mox afferendæ; §. I. idcirco peculiari lege novis editis Canonicis Conſtitutionibus, ac ſeverioribus propoſitis pœnis ut interdicerentur opus fuit. Quod & reapſe factum fuit: uti mox videbimus.

Q. XII. *In quas pœnas incidant Regulares hujuſmodi munera largientes, ſive qui ab eis receperint?*

R. Circa Regulares elargientes hujuſmodi munera docet Cl. Auctor Opuſculi (*Luce fra le tenebre pag.* 122. *n.* 112.) eos nulla affici, aut innodari reſervatione, ſed peccare tantum adverſus Votum Paupertatis, quod & nos antea oſtendimus, atque incidere in excommunicationem nemini reſervatam irrogatam contra eos, qui alienaverint bona immobilia, aut mobilia pretioſa Eccleſiæ, Monaſterii &c. niſi in caſibus a Jure permiſſis, de qua in Extravagante *Ambitioſæ* Pauli II. *Inter Communes. tit. De Reb. Eccleſ. non alienandis*. Verum, cum de hac excommunicatione merito quis dubitare poſſet; etenim ſi illa in propoſita a nobis ſpecie

locum haberet, reſtringenda eſſet ad donantes tantum bona immobilia, aut mobilia pretioſa; quandoquidem de iſtis tantummodo bonis agit prædicta Extravagans. Cavendum profecto erat præclariſſimo Theologo, ne, dum hæc tam longe remota inveſtigare conatur, deficeret in recenſendis pœnis a Clemente VIII. in ſua Conſtitutione contra hujuſmodi impoſitis. Quod reapſe accidit; uti videre eſt apud Cl. Auctorem *loc. cit.* qui dum excommunicationis poenam ad caſum propoſitum pertrahere ſtudet, de pœnis contra hujuſmodi Religioſos a laud. Clemente VIII. impoſitis penitus ſilet; quæ profecto prætereundæ non erant. Et ſane Clemens VIII. in laud. ſua Conſtitutione decreverat; ut qui ex ſupradictis Regularibus utriuſque ſexus prædictæ ſuæ Conſtitutionis transgreſſores exſtiterint, 1. Ut omnibus, & ſingulis per eos obtentis Dignitatibus, Gradibus, Muneribus, & Officiis eo ipſo eſſent privatis 2. Ut ad illa, atque alia ſimilia, vel diſſimilia in futurum obtinenda inhabiles perpetuo, atque incapaces exſiſterent 3. Ut perpetua infamia, ac ignominia eſſent notati 4. Ut incurrerent ipſo facto, abſque ullo Superioris Decreto, ac miniſterio privationem vocis activæ, ac paſſivæ. Bulla Clementis VIII. §. II. Quæ quidem Bulla quantum ad prædictam non fuit correcta per Urbanum VIII. ut videre in ſua Conſtitutione, quam mox affe-

afferemus. Hæc ſane omnino prætermittenda non erant; mirandum autem nobis eſt, qua ratione factum ſit, ut iſta effugere potuerint ſollertem curam, atque exactam diligentiam Præclariſſimi Theologi. Vide Natalem Alexandrum *laud. Appendic. Epiſt.* 71. & Bonacinam In De *Largition. Munerum*. Punct. 5.

Quærit etiam ibidem Bonacina num recenſitæ poenæ contraherentur ante Judicis ſententiam declaratoriam criminis; quam quidem quæſtionem idem ipſe reſolvit, & recte, utendo hac dictinctione; nempe quod poenæ privativæ, quæ ad ſui executionem exquirunt hominis actionem; uti eſt privatio Dignitatum, aut Officiorum, non incurrantur ante ſententiam declaratoriam criminis; alias vero poenas privativas, quæ ad ſui executionem hominis actionem non requirunt; uti eſt privatio vocis activæ, & paſſivæ, incapacitas, & inhabilitas ad Officia, & Beneficia, incurri ante ſententiam declaratoriam criminis. Hac diſtinctione, cum ageremus de hujuſmodi poenis, & nos uſi ſumus. Vide quæ dicta fuere in expoſitione Decretalis XV. *Ex Inſinuatione.* tit. *De Simonia Cap.* 25. allata Facultatem autem diſpenſandi in hiſce poenis pertinere ad Summum Pontificem, cum res ad forum externum deducta eſt, docet ibid.

Quantum vero ad illos, qui receperint hujuſmodi munera a Regularibus decer-

nitur, ut non ſolum rei ſibi donatæ dominium ſibi comparare non poſſint; verum etiam, ut teneantur ad ejuſdem reſtitutionem; adeo ut reſtitutione ipſa realiter non facta, neque etiam in Foro Conſcientiæ poſſint abſolvi; his verbis: *Id quod acceperint, ſuum non faciant; verum etiam ipſo facto abſque ulla monitione Judicis, Decreto, Sententia, Declaratione ad illius reſtitutionem in utroque Foro teneantur; adeo ut reſtitutione ipſa realiter non facta, neque etiam in Foro Conſcientiæ abſolvi poſſint*. Quibus verbis veram reſervationem hujuſce criminis decerni unanimi conſenſu nos edocent Theologi; adeo ut illius criminis abſolvendi poteſtas ante impletam conditionem reſtitutionis Confeſſariis ademta cenſenda ſit, & abſolutio, ſi qua impendatur contra hanc præſcriptam formam, irrita, ac nulla evadat; licet Pontifex in hac decernenda reſervatione diverſa loquendi ratione utatur, ac in aliis reſervationibus conſtituendis uti ſoleat. Vide Bonacinam In *Tractat. De largition. Muner. Regularib. interdict. Diſp. 3. Punct. 4.*

Q. XIII. *Quid circa hanc largitionem munerum Regularibus interdictam fuerit Pontificio Jure ſancitum?*

R. Binæ hac de re exſtant Pontificiæ Conſtitutiones. Prima eſt Clementis VIII. edita anno 1594. quæ incipit: *Religioſæ Congregationis*. Altera eſt Urbani VIII. quæ incipit: *Nuper a Congregatione*. edita anno

anno 1640. In hac poſtrema rigor prioris Clementinæ Conſtitutionis aliquantisper temperatus fuit. Quænam ergo ex utraque Conſtitutione hac in re tenenda nobis ſint, ac ſive Theologis, ſive Conſcientiarum Moderatoribus neceſſario ſint ſcienda, breviter percenſebimus.

I. Licet Clemens VIII. omnem, & quamcumque largitionem, & miſſionem munerum omnibus, & ſingulis çujuſcumque Ordinis Regularibus, Abbatibus, aliiſque Superioribus penitus interdicat quacumque ex cauſſa; tamen Urbanus VIII. ejuſdem Conſtitutionis rigorem moderando declaravit, ſive permiſit munera a Religioſis utriuſque ſexus tribui poſſe, modo tres iſtæ concurrant conditiones. 1. Ut nempe id fiat ex cauſſis gratitudinis, conciliationis benevolentiæ, ejuſque conſervationis erga ipſam Religionem, vel Conventum, aliiſve cauſſis ex ſui natura actum virtutis, & meriti continentibus. 2. Ut id modeſte, & diſcrete fiat. 3. Ut id non fiat, niſi de Superiorum localium licentia; ac etiam cum conſenſus majoris partis Conventus, ſi talis conſenſus de Jure, vel ex Conſtitutionibus, ſeu conſuetudinibus cujuſque Religionis reſpective in hujuſmodi caſibus requiratur.

II. Declaravit ad leviora eſculenta, & poculenta, ſeu ad devotionem, ac religioſitatem pertinentia munuſcula largienda non requiri conſenſum Conventus; ſed ſufficere Superioris licentiam etiam ore tenus con-

ceſſam. Et licet Clemens VIII. in ſua Bulla §. 2. & 4. etiam ad hujuſmodi decreverat etiam conſenſum Conventus, & licentiam expreſſam & in ſcriptis Superiorum eſſe neceſſariam. Urbanus tamen VIII. declaravit hujuſmodi conſenſum Conventus intelligi debere de conſenſu alias de Jure requiſito, & ubi concurrit ambitionis ſuſcipio, qua ceſſante, nec in his requiri licentiam Superiorum in ſcriptis, ſed ſufficere licentiam etiam oretenus ab eiſdem conceſſam.

Cl. Cabaſſutius in ſua *Theor. & Praxi Jur. Canon. lib. I. Cap. 22. n. 5.* docet laud. Clementis VIII. Conſtitutionem ubique fere per contrariam conſuetudinem videri abrogatam; quod inde etiam probat, quod Bonacina, qui illam commentariis illuſtravit, ſcribat, Regulares nequaquam laud. Conſtitutioni refragari, ſeu contravenire, qui magnam pecuniæ quantitatem in res Divini cultus, aut in pauperum ſubſidium impenderent ex licentia Superiorum ſui Ordinis. Sed Cl. Viri effatum, non ita abſolute, ut prima fronte videtur, accipiendum erit, quaſi ad omnia ſancita in laud. Bulla Clementis VIII. ſit referendum, ſed tantum ad illam partem, in qua præter Superiorum permiſſum expoſcebat ad hujuſmodi munerum largitionem unanimem conſenſum Generalis Capituli, ſeu Conventus: Qua in parte cum fuerit temperata per Bullam Urbani VIII. non inde dicenda erat abrogata per contra-

trariam conſuetudinem; ſed potius illa Clementis VIII. Conſtitutio vigere dicenda erat juxta explicationem, ſive moderationem Urbani VIII. Quæ autem ex Bonacina producit, parum, aut nihil confert ad probandum ſuum adſertum; cum illi caſus, qui memorantur ex Bonacina, ſint excepti in laud. Bulla Clementis; ut videre eſt in §. 5. ejuſdem Bullæ, & Bonacina in Tractatu *De Largition. Muner. Regularib. interdict. Punct.* 1. *Propoſit.* 2. *n.* 10. illos excipiens caſus, nihil aliud facit, quam præſcriptis in laud. Clementis Bulla adhærere. Hæc advertenda ea de cauſſa duximus, ne Cl. Viri effatum cuiquam fraudi eſſe poſſet. Idem Bonacina *loc. cit.* docet *Punct.* 5. quædam eſſe loca, in quibus memorata Clementis Bulla recepta non fuit, aut per diſpenſationem relaxata; uti eſt in Hiſpanis, teſte Sanchez, & in omnibus illis Religionibus, quæ facultatem obtinuere a Summo Pontifice donandi ultra Bullæ diſpoſitionem. Secus autem dicendum eſſe teſtatur de Mediolano, Roma, ac præcipuis Italiæ Regionibus, in quibus prædicta Bulla fuit recepta, & praxi comprobata. Quod de noſtra Neapoli non immerito adſeritur.

Interim ad majorem earumdem Conſtitutionum elucidationem quædam Corollaria ad praxim maximopere ſpectantia hic breviter deducamus oportet. Hinc deducitur.

I. Lethalis peccati reos eſſe utriuſque ſexus Regulares, qui munera non levioris momenti largiuntur, aut recipiunt, ſive per ſe, ſive per alios; ſive indirecte, ſive directe; ſive palam, ſive occulte; ſive communi, ſive particulari, aut propio nomine; niſi id fiat juxta formam Juris præſcriptam in Bulla Clementis VIII. aut ſaltem temperatam in Bulla Urbani.

II. Lethalis peccati, & quidem gravioris eſſe reos, qui munera largiuntur, ut viam ſibi parent ad Dignitates, Officia, & Gradus ſive Superioribus, ſive aequalibus, ſive inferioribus, Clericis, vel Laicis, ſive Sæcularibus, ſive Regularibus donent.

III. Qui munera largiuntur abſque Superiorum licentia.

IV. Qui accepta non reſtituunt Conventibus, ſive Monaſteriis, ad quos data, ſeu miſſa de jure pertinent.

V. Quamvis conſuetudinem hac in re neminem a peccato excuſare.

VI. Gravis peccati reos eſſe Superiores, qui Conſtitutiones illas Pontificias in Monaſteriis ſibi ſubditis obſervari non curent.

VII. Lethalis peccati reos eſſe Regulares, qui commodant, vel mutuo dant aliquid notabile, ſive non leve animo illud amplius non repetendi; quia indirecte donare dicuntur.

VIII. Qui conſanguineis condonant, aliiſ-

aliiſque ſolutionem legati, penſionis, alteriſve debiti. Quia remiſſio debiti eſt indirecta donatio.

IX. Qui rem notabilem ab alio ſibi donatam, atque expreſſe, vel tacite acceptam alteri tradi jubent, vel rogant.

X. Qui reſiduum penſionis vitalitiæ, aut aliorum bonorum, aut redituum ſuis uſibus permiſſorum, cum forte extra Domum Religioſam commorantur, donare non dubitant. Hæc enim omnia Clementis VIII. Conſtitutione ſub graviſſimis poenis prohibentur. Ita Cl. Natalis Alexander *Laud. Tract.* 71. Vide etiam Bonacinam *Laud. Tract. Punct.* 1. & *Punct.* 2. *n.* 4.

XI. Non peccare autem qui leviora eſculenta, vel poculenta, & munuſcula ad Religionem, ac devotionem pertinentia cum licentia Superiorum largiantur; modo id *modeſte*, & *diſcrete* fiat, ut explicat Urbanus VIII.

XII. Ex cauſis gratitudinis, conciliationis, & conſervationis, aut benevolentiæ in Ordinem; ſeu Conventum, aut Congregationem Religioſam. Item cauſſa pietatis, caritatis, hoſpitalitatis, aliiſve cauſſis actum virtutis, & meriti continentibus, diſcretam, & modeſtam munerum elargitionem, aut pecuniarum aliquarum erogationem cum Superiorum majorum, aut localium licentia legitime fieri poſſe a viris Religioſis, & Monialibus ex Urbani VIII. Conſtitutione conſtat. Remunera-

tionis etiam, & grati animi vice munerum largitionem modeſtam, ac diſcretam cum Superiorum licentia, probat idem Pontifex. Hæc enim non eſt donatio ſimpliciter, ſed donatio ob cauſſam, quam Juriſconſulti *Antidoralem* vocant. Ita Natalis Alexander laud. *Epiſt.* 71. Vide etiam Bonacinam *loc. cit. Punct.* 3. *n.* 2.

Q. XIV. *Num Religioſi Ordinum Militarium adſtringantur hiſce Pontificiis Conſtitutionibus de largitione Munerum?*

R. Negat. Idque apertiſſime patet ex Bulla Clementis VIII. ubi expreſſe excipiuntur ab iis, quæ inibi conſtituta fuere. Etenim dum laudatiſſimus Pontifex diverſis vocibus ad eamdem rem utendo omnes omnino Religioſos, qui hac ſua Conſtitutione tenerentur, deſignatos, atque comprehenſos voluit; inde tamen Religioſi Ordinum Militarium diſerte excipiuntur, dum adjungitur: *Non tamen Militiæ* Hæc ſane certiſſima ſunt, quare pluribus non indigent, ut ſuadeantur. Ita Natalis Alexander, Bonacina *ll. cit.* Vide Salmanticenſes *In de ſtatu Religioſo Cap.* 1. *Punct.* 4. §. 3. *n.* 67.

Interim hic illud præſtat animadvertere, hujuſmodi Religioſos Ordinum Militarium, licet probabilius credere velimus cum Cl. Sanchez (*lib. IV. In De calog. Cap.* 15. *n.* 11.) eſſe vere, ac proprie Religioſos; quod ſane pro certo habetur de Equitibus Melitenſibus, ac proinde Paupertatis Voto teneri, ut ceteri Religioſi; nihi

nihilominus multum ea in re diſcrepare a ceteris Religioſis compertum eſt. Etenim, ſive dicamus illos Militaris Ordinis Religioſos per Solemnem ipſorum Profeſſionem omni rerum exteriorum dominio exutos eſſe, eoque carere, uti poſt Azorium docet Cabaſſutius *Theor. & Praxi Jur. Can. Lib.* 1. *n.* 7. & 8. adhuc tamen illos multum diſcrepare a ceteris Religioſis compertum eſt; cum iſti abdicent a ſe per Profeſſionem dominium, & uſum rerum, qui in jure, non in facto conſiſtit; illi vero Milites, ſeu Militaris Inſtituti Profeſſores dominium quidem, & proprietatem dimittunt, ſed non jus ad uſum. Ordo enim eis concedit, ut annuos reditus percipiant ad vitæ tempus; ita ut de fructibus poſſint libere diſponere, ut jure ſibi debitis quantum ad uſum, eoſque locent, permutent, vendant, donent, vel arbitratu ſuo abſumant, ut ex bonis ſui Ordinis, & conſenſu ſuorum Superiorum jure perceptos; quæ omnia, uti patet ceteris Religioſis propter Paupertatem, quam profitentur, minime convenire poſſint.

Quod ſi amplecti velimus ſententiam Salmanticenſium, aliorumque (*In de ſtatu Religioſ. cap.* 1. *Punct.* 4. §. 2.) edocentium, ipſos retinere ſuorum bonorum dominium, eoque frui, licet dependenter a ſuorum Superiorum voluntate; multo magis patebit illorum diſcrimen a ceteris Religioſis, qui per Votum Paupertatis omni

omni ſe rerum exteriorum dominio exuunt, ejuſque adquirendi incapaces evadunt.

Hinc docent laudatus Azorius, atque Cabaſſutius, quod ſi hujuſmodi Sacri Equites abutantur bonis ſibi commendatis ad luxum, alioſque illicitos uſus, gravius quidem peccabunt, quam ceteri Nobiles Sæculi; tum quia abutantur rebus Sacris, quales ſunt Commendarum fructus; tum quia pias fundatorum intentiones eludant; non tamen harum ſuperfluitatum, & illicitarum expenſarum reſtitutioni obnoxi eſſent, neque ipſi, neque alii, qui hujuſmodi bona ab illis illicite impenſa receperint. Gabaſſutius *loc. cit.* Et Salmanticenſes *laud. Cap. I. Punct.* 4. §. 2.

Q. XV. *Utrum Religioſi ad Epiſcopatus apicem evecti obſtringantur adductis Pontificiis Conſtitutionibus?*

R. Negat. Etenim iſtiuſmodi Epiſcopi largitiones munerum faciendo non donarent de bonis Monaſterii, de quibus agitur in prædictis Pontificiis Conſtitutionibus, ſed ex reditibus ſuæ Eccleſiæ, quorum liberam habent adminiſtrationem. Etenim licet Regulares per aſſumtionem ad munus Epiſcopale minime manent abſoluti a ſubſtantialibus votis; uti poſt D. Thomam 2. 2. *qu.* 88. *art.* 11. *ad* 4. & *qu.* 185. *art.* 8. *in corp. ad* 3 & 4. unanimi fere conſenſu edocuere Theologi; nec proinde a Voto Paupertatis (Lege D. Thomam *ll. cit.* vide etiam Gl. Sanchez *In Decalog. lib. VI. Cap.* 6. *n.* 1. &

1. & ſeqq.) attamen, cum bona illa, quorum ipſi Epiſcopale munus adſecuti, liberam habent adminiſtrationem, non pertineant ad Monaſteria, ſed ad Eccleſias, quibus regendis deſtinantur; idcirco hac Clementina Conſtitutione non obſtringuntur, qua poſſum Religioſorum Locorum indemnitati proſpectum voluit Summus Pontifex. Idem quoque dicendum de Regularibus beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus propter eamdem rationem. Ita Natalis Alexander laud. *Epiſt.* 71. & Bonacina in laud. *Tractat. Punct.* 2. *n.* 2. nec diſſentit Cabaſſatius Laud. *Lib. I. Cap.* 22. *n.* 7. & 8.

Q. XVI. *Utrum recipientes munera a Regularibus extra caſus conceſſos teneantur ad illorum reſtitutionem; & utrum non impleta reſtitutione abſolvi poſſint a reatu hujus peccati in Foro Sacramentali?*

R. Manifeſſima res eſt, illos adſtringi ad eorumdem munerum, quæ illicite, ac indebite receperint, reſtitutionem. Id ſatis etiam elucet ex dictis, ac diſerte decernit, aut declarat Pontifex Clemens VIII. laud. *Conſtitut*; dum edicit, ut id, quod receperint a Regularibus per hujuſmodi interdictas munerum largitiones, *ſuum non faciant*. Hac enim loquendi ratione Canonica auctoritas deſignat, atque decernit dominium rei non transferri in alterum, neque ab eo adquiri; ut proinde ad reſtitutionem tamquam rei alie-

alienæ uſurpatorem, ac raptorem adſtringi. Hæc quid maxime exploratiſſima ſunt, ac nemini prorſus latere poſſunt, niſi in Eccleſiaſticis Canonibus plane hoſpes ſit. Lege *Cap.* Conſuetudinem. Unic. *De Cleric. non Reſidentib. &c. in 6.*, & Decretum Concilii Lateranenſis V. ſub Leone X. in Bulla Reformationis de Clericis Beneficiariis Horas Canonicas culpabiliter prætermittentibus. Tridentinum *Seſſ. XXIV. Cap. 12. De Reformation.* De Proviſis de Beneficiis curam animarum habentibus, ac de Canonicatibus, ac Dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus intra Bimeſtre Fidei Profeſſionem non facientibus. Quod etiam ſatis ſuperque declarat laud. Pontifex Clemens VIII. laud. *Conſtitut.* ubi poſtquam edixit, ut *ſuum non faciat* quidquid ab hujuſmodi ita receperint, adjungit etiam majoris explicationis gratia. *Verum etiam ipſo facto . . . ad illius reſtitutionem in utroque Foro teneantur.*

Quod autem non completa reſtitutione hujuſmodi, qui prædicta munera receperint, abſolvi nequeant in Sacramentali Animarum Judicio luculentiſſime etiam patet ex adductis verbis dum dicitur: *Adeo ut reſtitutione ipſa realiter non facta, neque etiam in Foro Conſcientiæ abſolvi poſſint.* Quibus verbis veram decerni hujuſce peccati reſervationem ſupra oſtendimus; & probat Bonacina *loc. cit. Punct.* 4. Etenim dictio illa negativa *Non*, aut *Neque* præpoſita verbo *poſſint* tollit potentiam ad actum.

Q. XVII. *Utrum qui prædicta munera acceperint teneantur ad illorum reſtitutionem ante Judicis ſententiam?*

R. Affirmative. Quod quidem ſatis elucet ex ipſa rei natura, quia nullo juſto titulo rem ita acceptam retinere poſſunt; tum etiam, quia per legem inhabiles, atque incapaces declarati fuere ad adquirendum dominium rei receptæ. Conſulantur in hanc rem ea, quæ docent Theologi loquentes de Theſi damnata ab Alexandro VII. quæ eſt *num.* 20. *Reſtitutio a P. V. impoſita Beneficiariis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis*. & quæ docent Salmanticenſes *Tract.* XXI. *Cap.* 2. *Punct.* 7. *n.* 82. de Pœna non faciendi fructus beneficii ſuos impoſita non edentibus Fidei profeſſionem intra ſtatutum a Tridentino tempus. Et licet pœnæ, quæ ad ſui executionem hominis actionem requirunt, ſubeundæ non ſint ante judicis ſententiam; nihilominus ſubeundæ erunt ante judicis ſententiam, quoties Superior in Foro Conſcientiæ obliget ad illas ſubeundas; ſeu quoties ante omnem ſententiam, & declarationem Judicis obligare intendit. Quod profecto accidit in caſu noſtro propoſito; ſi tamen illa, de qua loquimur, obligatio reſtitutionis pœna dicenda ſit. Verum licet res ſatis per ſe evidens ſit, uti patet; nihilominus Pontifex Clemens VIII. ad præcludenda quævis effugia, & cavillationes hominum ineptiorum apertiſ-

ſime

ſime edixit, aut potius declaravit, quod *ipſo facto abſque aliqua monitione, Judicis decreto, ſententia, aut declaratione ad illorum reſtitutionem omnino in utroque Foro teneantur.*

Q. XVIII. *Num in quavis quantitate ſit munus receptum a Regularibus incurratur iſthæc pœna reſervationis?*

R. Affirmat. modo pertingat ad quantitatem ſufficientem ad mortale peccatum; peccata enim venialia, licet id etiam fieri potuiſſet, nunquam reſervationis legi ſubjecta fuere: Lege Ciera *In de Caſibus Reſerv. Diſſert.* 1. *qu.* 9. *n.* 62. Atque hic non levis error nobis occurrit hac in re detegendus, atque notandus, qui Theologorum non paucos tranſverſos egit, atque decepit, dum putarunt, atque edocuerunt ſolum caſum recipientium a Regularibus munera ultra valorem decem ſcutorum monetæ eſſe Pontificiæ reſervationi ſubjectum. Hujuſmodi autem error inde traxit originem, quod cum Pontifices agentes de facultatibus Majoris Pœnitentiarii, hunc etiam caſum recipientium a Regularibus munera ultra valorem decem ſcutorum ipſi Majori Pœnitentiario reſervatum voluiſſent, atque editis Conſtitutionibus a facultatibus eidem conceſſis ſubtraxiſſent, inde in hanc opinionem adducti fuere nonnulli, ut crederent ejuſmodi ſolum caſum reſervationis legi eſſe ſubjectum.

Verum et hujuſmodi error longe elimi-

netur, quo nihil periculoſius eſſe poteſt, cum agatur hic de defectu juriſdictionis neceſſariæ ad validitatem Sacramenti, illud ſciatur oportet, quod in Bulla Clementis VIII. & in altera Urbani VIII. qua nonnullis moderationibus adhibitis prior illa Clementis confirmatur, cum prædicti Caſus reſervatio conſtituitur, ac ſancitur, nihil, ne verbum quidem de hujuſmodi ſumma decem ſcutorum occurrit, ſed abſolute, atque indiſtincte decernitur, ut in quavis quantitate munus receptum conſiſtat, illud recipiens reſervationis legi ſubjaceret. Quod ſane luculentiſſime patet ex verbis prædictæ Bullæ Clementis VIII. *Quod ſi* (verba ſunt Bullæ) *vel ab aliquo particulari Religioſo, vel . . . quidquam receperint, id quod acceperint ſuum non faciant; verum ipſo facto . . . ad illius reſtitutionem in utroque Foro teneantur; adeo ut, reſtitutione ipſa realiter non facta, neque etiam in Foro Conſcientiæ abſolvi poſſint*. Et licet Urbanus VIII. moderando per ſuam Bullam Conſtitutionem Clementis VIII. permiſerit, ut tam largientes, quam recipientes hujuſmodi muneta a propriis Confeſſariis poſſent abſolvi; *etiam non facta prius hujuſmodi rerum donatarum, ſeu datarum reſtitutione*; hoc tamen non fuit conſtitutum, niſi pro illis tantum, qui uſque ad tempus editæ Conſtitutionis prædicti Urbani VIII. adverſus prædicta juxta moderationem adhibitam ab ipſo Urbano, cujus ſupra memi-

meminimus, aliquid accipiendo, vel largiendo peccaverint. Quod ex ejuſdem verbis manifeſtiſſime evincitur: *Inſuper*, inquit, *eadem facultate ſibi tributa, omnes, qui huc uſque, adverſus ſupradictæ Conſtitutionis Capitula hic moderata largiti fuerint, vel receperint, a pœnis quibuſcumque in eadem Conſtitutione inflictis, & incurſis poſſe, & debere a propriis Confeſſariis abſolvi in Foro Conſcientiæ, etiam non facta prius . . . reſtitutione*. Quemadmodum etiam pro illis, qui præter modum prædictum graviori Religionis detrimento fuiſſent tranſgreſſi, ſive largiendo, ſive recipiendo, cum ob inopiam reſtituere non poſſent, conceſſit Majori Pœnitentiario, *ut de præteritis, uſque ad diem datæ præſentium* abſolveret, diſpenſaret, condonaret, ſeu abſolvi, diſpenſari, & condonari mandaret. Videndus hac de re Bonacina, qui Commentariis illuſtrat laudatam Clementis VIII. Conſtitutionem, ac probans reſervationem prædicti Caſus, nullam de quantitate injicit mentionem; ut inde meridiana luce clarius innoteſcat, in quavis quantitate munus conſiſtat, modo pertingat ad peccatum mortale, Caſum hujuſmodi reſervari. *Tractat. laud. Punct.* 4.

Ut autem ex iiſdem verbis, quæ occaſionem errori præbuerunt, rei veritas, qua de hic agitur, omnibus innoteſcere poſſit, atque hujuſmodi errore longius ablegato recta Conſtitutionum Apoſtoli-

carum intelligentia, ac ſententia in re iſta, quæ non levis momenti reputanda erit, ab omnibus teneatur, adducamus oportet verba Conſtitutionis Benedicti XIV. quæ incipit: *Paſtor Bonus*. Edita anno 1744. in qua agitur de Facultatibus conceſſis Majori Pœnitentiario. In hac autem Bulla laudatiſſimus Pontifex §. 26. hunc in modum ad rem noſtram loquitur: *Accipientes munera a Regularibus, exceptis rerum medicinalium, & devotionis muneribus, ultra valorem decem ſcutorum monetæ, contra præſcriptum a Prædeceſſoribus noſtris Clemente VIII. & Urbano pariter VIII. in ſuis Conſtitutionibus ... non abſolvat, niſi facta reſtitutione; vel ſi eam do præſenti adimplere nequeant, cum obligatione eamdem, quam primum poterunt, faciendi. Qui vero infra prædictum valorem ejuſmodi munera acceperint, eos injuncta arbitrio ipſius Majoris Pœnitentiarii, ſeu Confeſſarii per eum eligendi, eleemosyna, quæ in beneficium Religionis ſeu Conventus, cui de jure facienda eſſet reſtitutio, ſi caute fieri poſſet, erogetur, abſolvere, ſeu abſolvi mandare poſſit*. Profecto nihil luculentius deſiderari poterat ad memoratum errorem longius eliminandum, noſtramque adſertionem confirmandam. Etenim dum Pontifex loquens de muneribus receptis infra quantitatem decem ſcutorum monetæ præcipit, ut ille, qui hujuſmodi receperat, collata, ſive injuncta eleemosy-

na prædicta, non abſolvatur niſi, ab ipſo Majori Pœnitenſiario, vel ab alio Confeſſario de ejuſdem Pœnitentiarii Majoris mandato, aut ex expreſſa ejus delegatione; profectò luculentiſſime innuit, decernit, atque inculcat reſervationem prædicti Caſus, etiamſi munus recegtum conſiſtat in minori quantitate, quam eecem ſcutorum.

Q. XIX. *Quænam quantitas requiratur in munerum largitionibus ad incurrendam hanc reſervationem, ceteraſque pœnas in prædicta Clementis Conſtitutione ſancitas?*

R, Hanc quæſtionem movet. Cl. Bonacina laud. *Tract. Punct.* 5. *n.* 6. cui reſpondet varias primum afferendo Theologorum opiniones. Prima eſt Sorbi, aliorumque putantium ad id ſufficere quantitatem duorum, vel trium Juliorum. Secunda eſt Fillucii, & Soti arbitrantium ad pœnas hujus Bullæ incurrendas requiri quantitatem, quæ duorom, vel trium ſcutorum excedat. Quia uſu Religionum videtur receptum, ut quantitas duorum ſcutorum non cenſeatur magna in hac materia. Tertiam demum proponit ſententiam, quam ſibi probabiliorem videri adſerit; eam ſcilicet quantitatem requiri, ac ſufficere, quæ a legitimo Superiori, fuerit taxata, ac definita; quantitas enim rerum minimarum, quæ cum debita licentia donari licite poteſt a Religioſis, definienda eſt a Superiori Regularium; ut declaratum fuiſſe dicit a Summo Pontifi-

ce

ce. Ubi autem iſthæc quantitas non fuerit definita, arbitratur ſuſtinendam eſſe ſecundam ſententiam, quæ docet, uti diximus, ad incurrendas ſupradictas pœnas eam quautitatem requiri, quæ duorum, vel trium aureorum ſummam excedat.

Verum, quidquid ſit de hac ſententia de qua ſapientiores dijudicando rem definiant, illud neceſſario monendum cenſemus, ne Cl. Viri dicta cuiquam forte fraudi ſint, aut erroris occaſio in re magni momenti. Nimirum ea, quæ hic diſputat laud. Theologus, non ſunt intelligenda de reſervatione prædicti criminis, in quam incident illi, qui munera receperint a Regularibus, ſed de pœnis impoſitis ipſis Regularibus munera extra caſus conceſſos largientibus, de quibus mentionem fecimus ſupra Qu. XIII. Id quidem luculentiſſime patet ex iis, quæ diſputat in toto hoc Puncto; ac præſertim ex verbis ipſis, quibus proponit hujuſmodi quæſtionem, dum quærit: *Utrum quantitas ſufficiens ad mortale peccatum contra Paupertatis Votum, ſufficiat etiam ad incurrendas pœnas in Clementis VIII. Conſtitutione impoſitas.*

Antea *n.* 4. *laud. Punct.* 5. quæſierat, quænam quantitas requiretur, & ſufficeret ad incurrendam mortalem culpam contra Paupertatis Votum. Quæ quidem, ut patet, in ſolos Religioſos quadrant, ac in ipſis tantummodo locum habent.

Quapropter ad reſervationem hujuſce cri-

criminis incurrendam, omnino ſufficere arbitramur illam quantitatem, per quam fit, ut munus receptum pertingat ad malitiam mortalem contrahendam ex violatione Voti Paupertatis. Ad malitiam, autem mortalem pertingit hujuſmodi peccatum, ſaltem cum tanta ſit quantitas muneris recepti, ut pertingat ad malitiam mortalem furti. Etenim Votum Paupertatis violatur a Religioſo, uſurpando rem, cujus uſum, adminiſtrationem, aut dominum non habet. Atque idem etiam dicendum puto de aliis recipientibus hujuſmodi munera. Quod tradit idem Bonacina *loc. cit. Punct.* 5. *n.* 4. Quod etiam eſt intelligendum, cum Religioſus res leves donans pervenit poſtea ad notabilem quantitatem, & ſufficientem ad mortale. Bonacina *ibid. n.* 7.

Q. XX. *Cuinam facienda ſit prædicta reſtitutio ante abſolutionem recipiendam?*

R. Hujuſmodi reſtitutionis obligationem tanta ſeveritate impoſitam fuiſſe, ut neque Religioſus donans, neque Conventus, Capitulum, Congregatio, Ordo &c. cui facienda eſt reſtitutio, *illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione reſtituendi eximere, vel ut in pauperes eroget, concedere quoquo modo poſſit*. Ita Decrevit Clemens VIII. *Conſtitut. laud.* §. 10.

Præterea iſthæc reſtitutio fieri non poteſt privatim ipſi Religioſo, qui donavit, ſed ei Monaſterio, Domui, vel alteri

teri loco, de cujus bonis facta eſt largitio; vel ſi de ejus Monaſterii bonis donatum non ſit, in quo idem Religioſus donans Profeſſionem emiſit. Quod ſi nomine totius Capituli, Conventus, aut Congregationis, aut univerſi Ordinis, ſeu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi menſæ, aut maſſæ, cujus nomine donatum fuit, accepta munera reſtituantur. Clemens VIII. *laud.* §. 10.

Hanc autem partem quæ de Perſonis, queis facienda ſit reſtitutio, decernit, ita aliquantiſper moderatus fuit Urbanus VIII. ſua poſteriori Conſtitutione; ut id intelligeretur de Conventibus, ad quos data, ſeu miſſa de jure pertinent, *ſi id commode fieri poteſt; alias Conventui ejuſdem Religionis viciniori loco, ubi petita fuit abſolutio, reſtituantur.* Urbanus VIII. *Conſtitut.* Nuper. *laud.* §. 1.

Q. XXI. *Num Pœnitens, qui in propoſito caſu reſtitutionis oneri jam ſatisfecerit, poſſit abſolvi?*

R. Affirmat. Imo cum ad id, ſeu ad hujuſmodi hominem abſolvendum, qui reſtitutionis conditioni jam paruerit; ut oportebat, nullo ſpeciali privilegio, aut facultate opus ſit; poterit hujuſmodi Pœnitens abſolvi a quolibet ſimplici Confeſſario adprobato ad audiendas Confeſſiones. Quia hujuſmodi eſt natura horum reſervatorum ſub conditione, quibus nulla eſt cenſura adjuncta, ut poſtquam ſatisfactum ſit conditioni impoſitæ, ceſſet re-

ſervatio, quippe quæ conſtituta fuerat tantummodo dependenter a conditione, & vis reſervationis conditionatæ in eo poſita eſt, ut ante expletam conditionem tolli non poſſit reſervatio, aut impendi abſolutio; ſecus vero dicendum, cum conditioni juxta præſcriptum Reſervantis abunde jam ſatisfactum ſit. Atque in hanc ſententiam concurrit Theologorum auctoritas; uti teſtatur Ciera. *In de Caſib. Reſervat. Diſſert.* 13. *ſub. n.* 6. §. Confirmatur. Imo Cl. Auctor Opuſculi (*Luce fra le tenebre*) memorat Reſponſionem quamdam Sacræ Pœnitentiariæ datam anno 1764. poſtridie Idus Aprilis, quæ interrogata de hac quæſtione; num ſcilicet Pœnitens, qui hujuſmodi munera a Regularibus receperat, poſt expletam conditionem reſtitutionis, ſive reſtitutione jam facta, poſſet abſolvi per quemlibet Confeſſarium, reſpondit *Affirmative*.

Q. XXII. *Num hujuſmodi Pœnitens factus impotens ad reſtituendum quidquid muneris a Regularibus receperit, poſſit etiam a quolibet Confeſſario adprobato abſolvi?*

R. Urbanus VIII. in ſua Bulla laud. moderando Conſtitutionem Clementis benigne indulſit, ut qui *præter modum prædictum*; h. e. contra ac ipſe Urbanus decreverat in ſua Conſtitutione, *graviori Religionis detrimento*, *largiendo*, *vel recipiendo transgreſſi eſſent*, indulſit inquam, ut

ut ipſi, modo propter inopiam reſtituere non valerent, a Majori Pœnitentiario *de præteritis uſque ad diem datæ* ſuæ Conſtitutionis in Foro Conſcientiæ poſſent abſolvi, aut de ejus mandato ab aliis Confeſſariis. At quoniam iſtiuſmodi beneficium præſtitum ab Urbano non reſpiciebat, niſi præterita tantum admiſſa contra ſuam Conſtitutionem, *uſque ad diem datæ* ejuſdem, non poteſt ſatis firmum præbere argumentum ad dicendum, quod recipiens hujuſmodi munera in caſu impotentiæ reſtitutionis poſſit abſolvi a quolibet Confeſſario.

At nihilominus Cl. Bonacina laud *Tract. Punct.* 4. cum aliis docet, quod in caſu impotentiæ ad reſtituendum, qui receperit hujuſmodi munera poſſit abſolvi a Confeſſario, minime obſtante Pontificia reſervatione, data tamen poſſibili cautione de reſtituendo, cum in propoſito caſu impotentiæ ceſſet reſervatio. Etenim præcepta Eccleſiæ, ut ipſe ait, ſunt benigne, explicanda, nec ad impoſſibile obligant. *Lege* Impoſſibilium 185. *ff. de Regul. Jur. Et Cap.* Nemo poteſt. 6. *de Regul. Jur. in 6.*

Verum Bonacinæ ſententiam vehementer oppugnat Felix Poteſtà, & qui eum ſequitur Ciera laud. *Diſſert.* 18. *n.* 20. eo innixi principio, quod impotentia non tollit reſervationem; idque ſatis manifeſte colligi poſſe docent ex laud. Bullæ Urbani VIII.; qui, uti diximus, cir-

illos, qui ob inopiam reſtituere non poſſent ejuſmodi munera recepta, facultatem conceſſit Majori Pœnitentiario, ut in dicto caſu impotentiæ poſſent ab eodem abſolvi; aut de ejus mandato ab aliis Confeſſariis. Si enim impotentia abſtuliſſet reſervationem, quorum deſerviret illa poteſtatis conceſſio ad abſolvendum facta Majori Pœnitentiario circa peccatum, quod omnes Confeſſarii potuiſſent abſolvere? Omnino inutilis fuiſſet, ne dicam illuſoria.

Hiſce tamen minime obſtantibus Sacra Pœnitentiaria anno 1764. poſtridie Kalendas Martias conſulta de hujuſmodi Caſu reſpondit ex ſententia Bonacinæ. Etenim interrogata; num qui recepiſſet munera Regularibus, cum eſſet impotens ad ea reſtituenda, poſſet ab omnibus, ſive a quocumque Confeſſario abſolvi, reſpondit *Affirmative*, *facta* tamen *obligatione reſtituendi eadem munera*, *ſeu illorum pretium quamprimum poterit*. Ita refert Auctor Opuſculi (*Luce fra le tenebre*) *pag.* 120. & 121. *num.* 109. Hac autem allata Sacræ Pœnitentiariæ reſponſione Cl. Auctor confirmat ſuam adſertionem, qua num. 108. edocuerat hujuſmodi, de quo in caſu propoſito, poſſe abſolvi a Confeſſario quolibet, reſervatione minime obſtante.

Q. XXIII. *Num Confeſſarius electus per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ poſſit ſuum Pænitentem in his, aliiſque ſibus abſolvere ab hoc peccato?*

R. I. Nemini dubitandum eſt, quin poſſit Confeſſarius noſter electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ abſolvere illum, qui receperit hujuſmodi munera a Regularibus a peccato, in quod ea de cauſſa incurrit, poſt completam eorumdem munerum reſtitutionem. Etenim ſi poteſt in hac hypotheſi quilibet Confeſſarius abſolvere, propterea quod eo in caſu evaneſcit reſervatio juxta communem Theologorum ſententiam; multo magis præſtare id poterit, ut patet, Confeſſarius noſter inſtructus privilegiis, & facultatibus Bullæ noſtræ Cruciatæ.

II. Nec etiam dubitari poterit, quin in caſu impotentiæ ad reſtituendum, facta tamen obligatione reſtituendi quamprimum, poterit etiam Pænitens, qui hujuſcemodi munera receperit a Regularibus, abſolvi a Confeſſario eligendo virtute Bullæ Cruciatæ noſtræ. Etenim ſi ex Reſponſione Pænitentiariæ, quam ſupra attulimus, in adducta hypotheſi quilibet Confeſſarius adprobatus poterit abſolutionem impertiri pro relaxatione reatus hujus peccati Pænitenti rite diſpoſito, ac parato; multo magis idem præſtare poterit Confeſſarius, cui præſto ſint facultates nobis collatæ per Bullam Cruciatæ, quæ profecto, uti patet, multo plura tribuunt Confeſſariis eligendis virtute dictæ Bullæ, quæ ceteris Confeſſariis minime competunt. Quod tamen uti patet, eſt intelligendum, facta obliga-

tione reſtituendi eadem munera ſeu illorum pretium quam primum; uti juſſit S. Pænitentiaria in Reſponſo ſuperius allegato.

Q. XXIV. *Num extra caſum impotentiæ ad reſtituenda prædicta munera a Regularibus accepta, aut impletæ reſtitutionis, poſſit Confeſſarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ in prædicto Caſu abſolutionem impertiri?*

R. Negat. Quæſtiuncula iſta, quam hic nos breviter expediendam ſuſcepimus, videtur ſatis aperte propoſita olim S. Pænitentiariæ, dum ab illa quæſitum fuit; num ſcilicet Confeſſarius, cui fuerit collata poteſtas, ſeu facultas abſolvendi a Reſervatis Summo Pontifici, poſſit ante completam realem iſtiuſmodi acceptorum a Regularibus reſtitutionem, ſuo Pænitenti hujuſmodi peccati, & reſervationis vinculis conſtricto abſolutionem in eodem impertiri. Cui quæſtioni illa in hunc modum reſpondit; Nimirum id minime poſſe Confeſſarium prædictum, *dummodo privilegium non ſit ſpeciale derogatorium infradicendarum Conſtitutionum*. Poſtridie Kalendas Martias anno 1764. apud Auctorem Opuſculi (*Luce fra le tenebre*) *n.* 109. *pag.* 121. Cum itaque Confeſſarius, licet ei præſto ſit etiam, facultas abſolvendi a Reſervatis Summo Pontifici, non poſſit ex ſententia, ſeu Reſponſione S. Pœnitentiariæ ab hujuſmodi crimine abſolvere, niſi *habeat ſpeciale privilegium de-*

derogatorium dictarum Conſtitutionum, apertiſſime inde conſequitur ; uti videtur, Confeſſarium noſtrum electum virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ, licet eidem ampla fuerit collata poteſtas abſolvendi a Reſervatis Summo Pontifici, non poſſe, in hujuſmodi peccati, ac reſervationis genere, de quibus modo loquimur, abſolutionem impertiri. Etenim, cum nemo Confeſſariorum id poſſit ſine ſpeciali privilegio derogatorio dictarum Conſtitutionum ; atque in conceſſionibus abſolvendi nobis factis per Bullam noſtræ Cruciatæ nullum omnino contineatur hujuſmodi privilegium derogatorium ejuſmodi hac de re editarum Conſtitutionum inde ſane concludendum, uti nemo non videt, Confeſſarium noſtrum, nec etiam ope facultatum Bullæ Cruciatæ S. poſſe in hujuſmodi peccati, ac reſervationis genere ſuum Pænitentem abſolutionis beneficio donare.

Has etiam reſponſiones, quas adhibuimus in hac Quæſtione, & in alia proxime antecedenti confirmavit etiam, juſſitque teneri pro ſua auctoritate Eminentiſs. noſter Commiſſarius, quicum hiſce de rebus nuper collocutus, quænam eſſet in his tenenda ſententia ipſum rogavi.

Q. XXV. *Num ſaltem, cum munus a Regularibus receptum ſit infra valorem decem ſcutorum monetæ, poſſit Confeſſarius virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ ab hoc peccato abſolutionem impertiri ?*

R. Negat. Etenim licet munus rece, ptum conſiſtat infra prædictam ſummam, adhuc tamen legi reſervationis ſubjectum eſt peccatum iſtiuſmodi recipientium, uti jam probatum fuit, & ad eamdem formam, ac munera excedentia memoratam ſummam decem ſcutorum monetæ. Ergo quemadmodum in muneribus excedentibus dictam ſummam non poterit Confeſſarius noſter virtute noſtræ Bullæ abſolutionis beneficium impertiri; ita etiam in muneribus infra prædictam ſummam conſiſtentibus.

Haud quidem nos fugit, ac latet Benedictum XIV. in ſua laud. Bulla *Paſtor Bonus* edita de Facultatibus Majoris Pœnitentiarii §. 26. Majori Pœnitentiario permittere, atque indulgere, ut, ſi quando ad ipſum acceſſerint Pœnitentes, qui infra prædictam valorem decem Scutorum monetæ ejuſmodi munera acceperint, ipſos abſolvere poſſit, ſeu mandare, ut ab aliis abſolvantur injuncta tantum *arbitrio ipſius Majoris Pænitentiarii, ſeu Confeſſarii per eum eligendi, eleemoſyna, quæ in beneficium Religionis, ſeu Conventus, cui de jure facienda eſſet reſtitutio, ſi caute fieri poſſet, erogetur*.

Verum cum iſthæc, & conſimilia pertineant ad facultates ſpeciales conceſſas Majori Pænitentiario, ad alios Confeſſarios, etiamſi privilegio polleant abſolvendi a Reſervatis Summo Pontifici, non ſunt transferenda, neque illis temere com.

communicanda, juxta Regulam illam Juris 74. *in 6. Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis ad exemplum.*

Finis Tom: II.

Soli Deo honor, & gloria in Secula Seculorum Amen.

Syllabos.

EORUM, QUÆ IN HOC II. TOM. CONTINETUR.

Monitum Auctoris pro hac Secunda Editione pag. 1.
Exemplaria utriuſque Bullæ Cruciatæ S. 11
Exemplar I. Bullæ 11
Exemplar II. Bullæ 12
Appendix. I. Ubi referuntur varia dubia enata circa uſum Conceſſionum noſtræ Bullæ S. Cruciatæ, ac Noſtro Eminentiſſimo Archiepiſcopo Apoſtol. Sedis Privilegio Commiſſario ejuſdem Bullæ propoſita, ab eoque Sapientiſſimis Reſponſionibus reſoluta,
Quibus etiam accedunt quorumdam aliorum Dubiorum reſolutiones per Nos idendidem factæ non ſine auctoritate, & Oraculo ejuſdem Eminentiſs. Commiſſarii, quē Deus diu ſoſpitet, ac fortunet.
§. I. 25
Dubium I. 27
Dubium II. 29
Dubium III. 30
Dubium IV. 37
Dubium V. 38
Dubium VI. 39
Dubium VII. 41
Dubium VIII. ibidem.
Dubium IX. 42
Dubium X. 43

Du-

Dubium	XI.	44
Dubium	XII.	45
Dubium	XIII.	46
Dubium	XIV.	49
Dubium	XV.	ibid.
Dubium	XVI.	51
Dubium	XVII.	53
Dubium	XVIII.	ibid.
Dubium	XIX.	55
Dubium	XX.	57
Dubium	XXI.	58
Dubium	XXII.	59
Dubium	XXIII.	60
Dubium	XXIV.	62
Dubium	XXV.	63
Dubium	XXVI.	64
Dubium	XXVII.	67
Dubium	XXVIII.	68

§. II.

De Poteſtate Commiſſarii circa Bullæ S. Cruciatæ Interpretationem, Variarumque Difficultatum Reſolutionibus ad eamdem Bullam pertinentibus. 69

Q. I. *Quatuplex a Theologis diſtinguatur legis, aut privilegii interpretatio?* 70

Q. II. *Num triplex iſthæc interpretatio in Privilegiis Bullæ noſtræ Cruciatæ locum habeat?* 71

Q. III. *Quibuſnam competat jus interpretandi Bullæ noſtræ Privilegia?* ibid.

Q. IV. *Cujuſmodi ſit jus, quod Competat noſtro Commiſſario Bullam S. Cruciatæ interpretandi?* 72

Q. V. *Num Dominica Palmarum pertinet ad Hebdomadam Majorem, eamque incipiat?* 75

Q. VI. *Utrum commutandi vota poteſtas per Bullam Cruciatæ nobis conceſſa, poſſit exerceri extra actum Sacramentalis Confeſſionis?* 80
Q. VII. *Num quædam ſint Indulgentiarum munera, quæ per ſolam accepionem Bullæ noſtræ Cruciatæ adquirantur?* 86
Q. VIII. *Num peccatum illud reſervatum, in quod incurrunt ii, qui falſo innoxios Sacerdotes Sollicitationis accuſant apud Eccleſiaſticos Judices abſolvi poſſint per per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ?* 91
Q. IX. *Num peccatum illorum, qui dicuntur fautores Hæreticorum, receptatores, legentes, imprimentes, aut retinentes illorum libros, ſi ſit ſine errore intellectus, poſſit abſolvi per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ?* 96
Q. X. *Num per facultates nobis in Bulla noſtræ Cruciatæ conceſſas, abſolvi poſſunt ſex illi notiſſimi Caſus reſervati in Decreto Clementis VIII. qui dici ſolent* Extra Urbem, & intra Italiam? 101
Q. XI. *Num per facultatem nobis in Bulla noſtra conceſſam mixte diſpenſandi in votis, ſimplex quoque votum Caſtitatis perpetuæ, ac Religionis, poſſit mixte diſpenſari?* 108
Q. XII. *Num in formulam noſtræ Conceſſionis Amanuenſium incuria error irrepſerit, atque aliqua vocula ſit dilapſa, quæ ſit ſubſtituenda ad rectam dictorum intelligentiam?* 112
Q. XIII. *Num præceptum de non permiſcendis*
dis

dis epulis; h. e. carnibus ſimul cum piſcibus non comedendis, Quadrageſimali tempore, aliiſque jejunio dicatis diebus, obſtringat etiam fideles diebus Veneris, ac Sabbathi, quibus nulla urgeat jejunii obligatio ? 117

Q. XIV. *An liceat Bullæ noſtræ privilegio piſcibus adipe (vulgo Strutto) conditis admenſam uti, ac veſci ?* 123

Q. XV. *Num Filii-familias, quorum patres ſunt Profeſſores, aut Locupletes, poſſint ſibi accipere Bullam Minorem, eo quod Filii-familias nihil proprii poſſideant, neque unde aliquid lucrentur, habeant ?* 124

Q. XVI. *Utrum Bulla noſtræ Cruciata proſit Regularibus ?* 125

Q. XVII. *Num facultate Bullæ noſtræ Cruciatæ poſſit a Confeſſario Complice valide abſolvi Pœnitens, qui ex oblivione inculpabili, non confitetur peccatum illud turpe, in quo cum Confeſſario complex extitit ?* 129

Q. XVIII. *Utrum facultate Bullæ noſtræ S. Cruciatæ abſolvi poſſit caſus Simoniæ in Ordine commiſſæ ?* 132

Q. XIX. *Num poſſit quis per ignorantiam invincibilem excuſari, tum ab hac cenſura ſuſpenſionis incurrenda, tum a reſervatione hujus criminis ?* 138

At quid hac in re dicendum de pœna irregularitatis, contrahenda ex violatione ſuſpenſionis, uti decernitur, ſive declaratur, num per ignorantiam invincibilem juris quis valeat ab ea excuſari ? 139

At quid dicendum de reſervatione hujuſce

criminis ; num per prædictam ignorantiam quis excuſabitur ab ea contrahenda ? 140
Q. XX. *Num Cenſuræ contractæ propter violationem Clauſuræ poſſint abſolvi per facultatem nobis in Bulla noſtræ Cruciatæ conceſſam ?* 156
Dico I. *Moniales violantes Clauſuram per egreſſum a Monaſterii ſeptis ; h. e. inde egredientes nulla intercedente legitima cauſſa, ac Superiorum facultate, poterunt per facultatem noſtræ Bullæ a Confeſſario ad id electo abſolvi a Cenſura inde contracta ?* 157
Dico II. *Poterit itidem Confeſſarius electus per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ abſolvere ab excommunicatione ab eo contracta, qui prætextu facultatum ingredi auderet Monaſteria Monialium contra legem Clauſuræ ?* 159
Dico III. *Poſſe quoque Confeſſarios electos per facultatem noſtræ Bullæ Cruciatæ abſolvere a peccato, atque ab excommunicatione inde contracta mulieres ingredientes Monaſteria Religioſorum Virorum ?* 161
Dico IV. *A cenſura, ac ſpeciali illa reſervatione, qua afficiuntur, atque illigantur violantes clauſuram ad malum finem, poſſunt quoque Confeſſarii electi abſolvere per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ.* 164
Quid ſi prædictus caſus ſit publicus ? 165
Q. XXI. *Num violatio Clauſuræ per egreſſum a Monaſteriis Monialium ad malum finem ſubjiciatur huic legi ſpecialis reſer-*

ſervationis ex Clementino Decreto; proindeque indigeat facultate Bullæ noſtræ Cruciatæ, aliave conſimili, ut abſolvatur? 168

At quid ſi Monialis contra legem Clauſuræ e Monaſterii ſeptis egrediatur ad turpia perpetranda? 169

Q. XXII. *Num eadem reſervata excommunicatione illigetur, atque indiget, ut abſolvatur facultate noſtræ Bullæ ille, qui ingrederetur Monaſterium Monialium cum debita licentia, juſtaque intercedente cauſſa, ſed ſimul pravo animo ductus turpia atque inhoneſta perpetrandi?* ibid.

At quid dicendum de illo, qui ex legitima facultate, juſtaque de cauſſa introgreſſus Monaſterium, re peracta, ac finito negotio, diutius ibi immoretur ad malum finem? 170

Q. XXIII. *Quo pacto ſint intelligenda verba illa in formula conceſſionis noſtræ Bullæ:* atque etiam in mortis Articulo? 174

Q. XXIV. *Num per facultatem noſtræ Bullæ poſſint Confeſſarii electi abſolvere a cenſura quoque ſuſpenſionis, & interdicti?* 180

Dico *Per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ Confeſſarii electi poterunt quoque abſolvere a cenſuris ſuſpenſionis, & interdicti.* 182

At quid dicendum de ea ſuſpenſione, quam incurrerit ille, qui ſine Litteris Commendatitiis proprii Ordinarii ab alieno Epiſcopo etiam per Reſcriptum, ac privi-

vilegium Ordines ſuſceperit ? 183
At quid dicendum ſi ſuſpenſio lata fuerit indefinite propter delictum commiſſum ; utrum cenſenda ſit pro contumacia impoſita , ac proinde tamquam ceteræ cenſuræ , tolli poſſit per abſolutionem , an indigeat diſpenſatione ? 198
At quid dicendum de ſuſpenſionibus a Jure impoſitis ſine temporis limitatione adverſus indigne ſuſcipientes Ordinum Sacramenta ? 199
Q. XXV. Num hujuſmodi ſuſpenſiones , ſive ad tempus impoſitæ , ſive in perpetuum intelligantur conceſſæ , ut abſolvantur , facta poteſtate ſive per Bullam Cruciatæ , ſive Jubilæi , abſolvendi a peccatis , & cenſuris Summo Pontifici reſervatis ? 203
Q. XXVI. Num hujuſmodi cenſuræ , ſive excommunicationis , ſive ſuſpenſionis poterunt abſolvi per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ toties quoties opus fuerit, ſi non fuerint reſervatæ ? 204
Q. XXVII. Num facultate noſtræ Bullæ poterit Confeſſarius electus abſolvere a ſuſpenſione contracta propter Simoniacam Ordinum ſuſceptionem ? 205
Q. XXVIII. Num poſſit Confeſſarius virtute noſtræ Bullæ abſolvere ab excommunicatione contracta propter Simoniam in Ordine Commiſſam ? 207
Q. XXIX. A quonam interdicti ſpecie abſolvere poſſit Confeſſarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ ? 210
Q. XXX. Num facultate Bullæ noſtræ poſſint Confeſſarii electi abſolvere ab ea inter-

terdicti ſpecie , quam iucurrunt Prælati Pontificali dignitate præditi , qui extra caſus neceſſitatis , atque abutentes facultate ſibi ex officio attributa ingrediantur Monaſteria Monialium ? 211
Q. XXXI. *Num poterit Confeſſarius virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ in noſtra Neapolitana Diœceſi abſolvere ab ea interdicti ſpecie , quam incurrunt non ſatisfacientes præcepto annuæ Communionis ?* 213
Q. XXXII. *Quinam juxta definitionem noſtri Eminentiſs. Commiſſarii ſint caſus ſpecialiter Summo Pontifici reſervati , qui non poſſint abſolvi per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ ?* 215
Appendix II. *In qua SYNOPSIS HISTORICA* . De Expeditionibus a Cruce Si*gnatis factis variis diverſo tempore vicibus pro liberatione Terræ S. a Barbarorum tyrannide exhibetur ; ubi & decretales Sum. Pontificum Epiſtolæ eo pertinentes expediuntur , enucleantur , illuſtrantur .*
§. I.
De variis hujuſmodi Expeditionibus , earumque diverſis fortunis . 217
§. II.
Ubi Decretales Summorum Pontificum Epiſtolæ De Voto præſertim Hieroſolymitano , aut de Expeditionibus Cruce Signatorum agentes , referuntur , expenduntur , illuſtrantur.
Decretal. I. 311
Q. *Quodnam Dubium hic proponitur Pontifici reſolvendum ?* ibid.

Q. I. *Quid intelligatur per Vota peregrinationum ?* 312
Quomodo ergo Epiſcopus ex ordinaria facultate poterat in hujuſce Votis diſpenſare ; aut eadem commutare , cum dicitur id pendere ex ejus , qui præſidet h. e. Epiſcopi arbitrio , cum eſſent hujuſmodi Vota reſervata *?* 314
Q. II. *Num unum idemque ſit Votum* redimere , ac commutare *?* ibid.
Q. III. *Num in Votis reſervatis prohibita ſit Epiſcopis non ſolum diſpenſatio , verum etiam commutatio , aut redemtio ?* 315

Decretalis . II. 316

Q. I. *Quinam caſus reſolvendus in hac Decretali Pontifici proponitur ?* ibid.
Q. II. *Quale fuerit hoc votum editum ab hoc Clerico in puerili ætate ?* 317
Q. III. *Quo ex anno incipiat , & quouſque excurrat puerilis ætas , in qua Votum editum dicitur ?* ibid.
Q. IV. *Quaenam ætas requiritur ad votum validum emittendum ?* 318

Decretalis III. 319

Q. I. *Quænam facti ſpecies hac in Decretali proponitur Pontifici ?* 320
Quare ergo iſte Pontificia auctoritate ab obligatione voti fuerit ſolutus declaratus ? ibid.
In quo ergo propoſitum diſcrepat a voto ? 321
Q. II. *Utrum peccati reus habendus ſit , qui a propoſito voluntatis deſiſtens illud non implet ?* ibid.

Decretalis IV. 322

Q. I. *Quænam facti ſpecies occaſionem dedit*

eden.

edendi hanc Decretalem ? ibid.

Q. II. *Quiſnam fuerit Ordo iſte Ciſtercienſium, unde incœperit, & quando potiſſimum propagatus fuerit ?* 323

Q. III. *Num Votum Religionis reſolvat omnia vota præcedentia ?* 324

Quare ergo Solenne Religionis Votum omnia vota præcedentia reſolvat ? ibid.

Q. IV. *Utrum Vota etiam reſervata ceſſent per Profeſſionem Religionis ?* 335

Q. V. *Num vota etiam realia per ſollemnem Profeſſionem ceſſent ?* 326

Q. VI. *Num ille, qui voverit Religionem ſtrictiorem, ac poſtea in mitiori Profeſſionem emiſerit, per hanc Profeſſionem liberetur a priori voto ?* 327

Decretalis V. ibid.

Q. I. *Qua occaſione edita fuerit hujuſmodi Decretalis, quidque in ea ſancitum occurrat ?* 328

Q. II. *Num votum de ſe validum obligationem inducat illud implendi, & ex qua virtute ?* 330

Q. III. *Quinam ſint Canones ſervandi circa tempus executionis rei per votum promiſſæ ?* 331

Q. IV. *Quænam ſint juſtæ cauſſæ differendi* Voti emiſſi executionem ? 332

Q. V. *Num etiam Epiſcopis jus competat, & poteſtas, juſta cauſſa tamen intercedente, concedendi dilationem executionis in votis etiam reſervatis ?* 333

Decretalis VI. 336

Q. I. *Qua occaſione edita fuerit, quidque in ea contineatur ?* ibid.

Q. II. *Num Voti obligatio perſonalis ſit ?* 339

Q. III.

Q. III. *Num Filii, aut heredes teneantur complere vota defuncti?* ibid.
Q. IV. *Num ex virtute Religionis oriatur, atque ſit repetenda obligatio iſthæc in herede?* 340
Q. V. *Num votorum perſolutio ſit præferenda legatis etiam piis?* 341
Q. VI. *Ad quodnam votorum genus revocandum eſt votum Peregrinationis Hieroſolymitanæ?* ibid.
Q. VII. *Num ex hujuſmodi voto, quo defuncti ſeſe obſtrinxerant proficiſcendi in ſubſidium Terræ S. tenebantur illorum heredes?* 342
Quonam ergo ex capite Andreas memoratus Filius Regis Hungariæ tenebatur Votum illud paternum complere? 343
Decretalis VII. 344
Q. I. *Quænam eſt ergo facti ſpecies, quæ cauſſam præbuit huic Decretali Epiſtolæ edendæ?* ibid.
Q. II. *Quonam tempore hæc contigiſſe dicenda ſint?* 345
Q. III. *Utrum Votum hujuſmodi editum a memorato Epiſcopo fuerit validum, adeo ut commutatione Pontificia indiguerit?* 347
Q. IV. *Quid dicendum ſit, ſi nunc contingat Votum hujuſmodi Peregrinationis Hieroſolymatanæ ab Epiſcopis emitti?* 349
Q. V. *Quid dicendum ſit de votis brevis, ac modicæ peregrinationis, vel precum, vel abſtinentiarum emiſſis ab Epiſcopis?* 350
Q. VI. *Quid dicendum ſit de votis aliorum*

Cle-

Clericorum habentium beneficia, quæ residentium exquirunt? ibid.

Q. VII. *Num mortuo etiam Comite Campaniæ, ac proinde ceſſante cauſſa, propter quam Epiſcopus Trecenſis Votum illud emiſerat, perduraret etiam Voti obligatio?* 351

Q. VIII. *Num ceſſante cauſſa finali Voti, ceſſet etiam & Voti inde obligatio?* 352

Q. IX. *Num cauſſa adeundi Comitem Campaniæ pro adſequenda Eccleſiæ ſuæ libertate, fuerit in prædicto Voto Archiepiſcopi Trecenſis, finalis, an impulſiva?* ibid.

Decretalis VIII. 355

Q. I. *Quanam occaſione edita fuerit iſthæc Decretalis Epiſtola?* 356

Q. II. *Quid ſibi velit illud: In ſubſidium Terræ S.* Signo Crucis aſſumto? 359

Q. III. *Num Pœnitentibus in ſuorum ſcelerum ſatisfactionem imponi tunc temporis ſoleret onus Peregrinationis Hieroſolymitanæ in ſubsidium Terræ Sanctæ?* 360

Q. IV. *Num Peregrinatio Hieroſolymitana in ſatisfactionem impoſita, redimi poſſet, quemadmodum & ipſum Votum Hieroſolymitanum?* 361

Q. V. *Num Votum Peregrinationis, quod tunc temporis fiebat in ſubsidium Terræ S. Reale eſſet, an Perſonale?* 362

Q. VI. *Num debeat aliquis in voto Mixto exequi, quod Reale eſſet, ſi non poſſet Perſonale?* ibid.

Q. VII. *Quidnam eſſet principaliter promiſſum in voto Hieroſolymitano, perſona-*

le ne, an Reale? 363
Quare ergo in laud. Decretali decernitur, ut qui perpetuam haberent impedimenti cauſſam, quominus illuc accedere poſſent, expenſas, quas facturi eſſent ea de cauſſa, transmitterent in ſubſidium ejuſdem Belli, exequentes per alios, quod per ſe nequibant expedire? 364

Decretalis IX. 365

Q. I. Qua occaſione edita fuerit iſthæc Decretalis? ibid.

Q. II. Quænam ſint ergo dubitationes, aut quæſtiones Pontifici propoſitæ, quæ hac Decretali reſolvantur? 366

Q. III. Quinam poſſent in hujuſmodi Voto Peregrinationis Hieroſolymitanæ diſpenſare, aut illud commutare? 371

Q. IV. Quale jus competat viro in vota edita ab uxore? 374

Q. V. Num in omnia omnino uxoris vota competat viro hujuſmodi poteſtas irritandi? 375

Q. VI. Num potuiſset vir votum Peregrinationis Hieroſolymitanæ ab uxore tunc temporis editum irritare? 376

Q. VII. Num hujuſmodi indirecte irritandi vota poteſtas competat etiam uxori reſpectu ad vota a viro edita? 377

Q. VIII. Num etiam in votis Peregrinationum a viro forte editis, competat uxori hæc indirecta irritandi poteſtas? 378

Q. IX. Num in votis Peregrinationum, quæ inter Reſervata connumerantur, poſſit commutando diſpenſare Confeſſarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ? 380

Decretalis X. 381

Q. I. *Qua occasione edita fuerit præſens Decretalis?* ibid.
Q. II. *Quid ſit votum illud ſollemniter emiſsum ſuſcipiendi habitum Regularem, de quo in laud. Decretali?* 382
Q. III. *Num tenebatur prædictus Epiſcopus Electus ex obligatione Religionis ratione voti emiſſi, reſignato Epiſcopatu, ad quem fuerat vocatus, atque electus religioſum habitum adſumere?* 383
Q. IV. *Num poſſit Epiſcopus Conſecratus ad complendum Religionis votum in illam ingredi inconſulto Romano Pontifice:* 385
Q. V. *Quid hac in re dicendum de Epiſcopo tantummodo confirmato?* 386
Q. VI. *Quid de Epiſcopo tantum electo* 387
Q. VII. *Num laud. Decretalis* Per tuas *intelligenda ſit de Epiſcopo tantummodo Electo, an etiam confirmato?* ibid.
Q. VIII. *Num ille, qui votum emiſit de certa Religione amplectenda, eidem ſatisfaciat in aliam ingrediendo?* 388
Q. IX. *Quomodo ſit intelligendum Cap.* Conſaldus, *ubi agitur de eo, qui votum Religionis emiſerat?* 389
Q. X. *Quodnam votum eſſet utilius, ac majus, votum nempe Religionis, an vero votum Peregrinationis Terræ S.?* 391
Q. XI. *Num in hujuſmodi voto ingrediendi Religionem diſpenſare poſſit commutando Confeſſarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ?* 392
Q. XII. *Num ſit votum Religionis illud hac ratione emiſſum:* Voveo Religionem, ſi *Deus* aliud non diſpoſuerit, *indigeatque diſpenſari per facultatem noſtræ Bul-*

Bullæ , aliamve conſimilem ? 397

Q. XIII. *Quid dicendum ſit de voto Religionis hunc in modum emiſſo :* Promitto me ingreſſurum Religionem , ſi poſſum ? 398

Q. XIV. *Num ſit verum Religionis votum , ac proinde obligatorium illud , quod quis emitteret ſub hac conditione : Promitto me ingreſſurum hanc Religionem , ſi quam intravero ?* 399

Q. XV. *Utrum ſit verum Religionis votum illud , quod in hunc modum quis emitteret :* Voveo nihil fore impedimento ; quominus Religionem ingrediar ? 400

Q. XVI. *Num ſit votum Religionis votum volendi Religionis ingreſſum ?* ibid.

Q. XVII. *Num ſit verum Religionis votum illud moriendi in Religione ?* 401

Q. XVIII. *Quid ſit dicendum hac in re de voto vitæ Eremiticæ , & Solitariæ ?* 402

Q. XIX. *Num voto Religionis emiſso , eidem ſatisfactum cenſeatur ingrediendo aliquam ex Militaribus Religionibus* 403

Q. XX. *Ad quid teneatur ille , qui vovit Religionem , ſi per facultatem Bullæ noſtræ nolit diſpenſari ab ea lege voti ?* 404

Decretalis XII 406

Q. I. *Qua occaſione edita fuerit præſens Decretalis ?* 407

Q. II. *Quænam ſit iſthæc viceſima deputata ſubſidiis Terræ S. ?* 408

Q. III. *Num votum hujuſmodi a memoratis Præpoſitis emiſſum , ab illis eſſet complendum , ſi Eccleſiæ ex illorum abſen-*

ſentia graviſſimo eſsent damno afficienda? 411

Decretalis XII. 413

Q. I. *Qua occaſione edita fuerit præſens Decretalis Epiſtola?* ibid.

Q. II. *Quid inſigne ergo in illa contineatur?* 414

Q. III. *Num uſurarum ſolvendarum pactio debitori obligationem inducat?* 416

Q. IV. *Quid ſi de uſuris ſolvendis juramento cautum ſit creditoribus?* 417

Q. V. *In quo ergo repoſitum eſt hujuſmodi privilegium conceſſum Cruce - Signatis?* ibid.

Q. VI. *Utrum quandoque hujuſmodi Crucem ſuſcipientes Eccleſiaſtica auctoritate exolverentur a juramenti debito de præſtandis uſuris?* 418

Q. VII. *Num ſecluſo hujuſmodi privilegio Cruce-Signatorum poſſint, ac debeant creditores, etiam excommunicationis ſententia compelli ad relaxationem juramenti de ſolvendis uſuris?* ibid.

Q. VIII. *Num etiam Judæi cogi poſſint, ac debeant ad remittendas Chriſtianis uſuras?* 420

Q. IX. *Quænam ſint pœnæ adverſus uſurarios in Jure decretæ; & num Confeſſarius electus virtute Bullæ Cruciatæ noſtræ aliquid præſtare in illis remittendis poſſit?* 421

Dico I. *A nota infamiæ, quæ incurritur ob crimen uſurarum liberare non poteſt Confeſsarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ.* 424

Dico II. *Poteſtas abſolvendi nobis per Bullam*

lam noſtræ Cruciatæ conceſsa , pro relaxandis, a cremittendis pœnis privationis Eccleſiaſticæ Sepulturæ, Euchariſtiæ Communionis , atque ut oblationes ab uſurario factæ non recipiantur , aut non ſufficit , aut inutilis eſt . 425

Dico III. *Nec ab illa ſuſpenſione in quam incurrit Clericus , corpus uſurarii Sepultura donans , aut accipiens ab hujuſmodi oblationes , poterit abſolvi per facultatem noſtræ Bullæ Cruciatæ .* 427

Dico IV. *Confeſsarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ nequibit ad Confeſſionem admittere, aut abſolvere Uſurarios Manifeſtos , niſi de uſuris ſatisfecerint, aut idoneam ſaltem præſtiterint cautionem .* 429

Dico V. *A pœna privationis factionis activæ teſtamenti , qua per leges punitur uſurarius , Confeſsarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ ſolvere nequit ſuum Pœnitentem .* 431

Dico VI. *Valet Confeſsarius noſter virtute Bullæ Cruciatæ abſolvere ſuos Pœnitentes a Cenſura ſuſpenſionis , ſi ſint Clerici atque a Cenſura excommunicationis , ſi ſint Laici , contracta propter crimen uſurarum .* 435

Dico VII. *Poteſt etiam Confeſsarius electus virtute dictæ Bullæ Cruciatæ abſolvere ab illa excommunicatione , in quam forte incurrerint judices cogentes ad ſolvendas uſuras , aut locantes Domum uſurariis alienigenis ad exercendas uſuras .* 437

De

Decretalis XIII. 439
Q. I. *Qua occaſione edita fuerit præſens iſthæc Decretalis ?* 441
Q. II. *Qualis ſit ergo modus iſte præſcriptus a Pontifice communicandi Venetis excommunicationis vinculo adhuc innodatis ?* 442
Q. III. *Quibus argumentis innixus Innocentius III. permiſit Cruce-Signatos Francorum rem habere, atque communicare cum Venetis excommunicatis ?* 443
Q. IV. *Num ille, qui metu gravi adactus communicaverit cum excommunicato, incurret & ipſe excommunicationem, & peccatum ?* 446
Q. V. *Num excommunicatio contracta propter communicationem habitam cum excommunicato, poſſit a quolibet Confeſſario abſolvi ?* 450
Q. VI. *Num hujuſmodi excommunicationes majores contractæ in caſibus ſupra relatis, ac reſervatæ, poſſint a Confeſſario electo virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ abſolvi ?* 452
Decretalis XIV. 453
Q. I. *De quanam Civitate hic loquatur Pontifex ?* 454
Q. II. *Quem auctorem habeat memorata Decretalis ?* 455
Q. III. *Qua occaſione edita fuerit præſens Decretalis ?* 456
Q. IV. *Quo Jure Decimæ miniſtris Eccleſiæ ſint pendendæ ?* 458
Q. V. *Quænam ſint jura illa Eccleſiaſtica, quas Prelati exigere contendebant a ſuis ſubditis, qui alio ſeſe contulerant inha-*

habitandi gratia? 462
Q. VI. *Quænam eſsent Decimæ Solvendæ ratione prædiorum, de quibus pariter mentio fit in laud. Cap.* Significavit? 463
§. VII. *Quid ſi quis in una Parochia inhabitet, & Sacramenta percipiat, in alia vero ejuſdem Diœceſis prædia poſſideat, utrinam Parochiali Eccleſiæ Decimæ debeantur?* 464
Q. VIII. *Num ſola inhabitatio facta in aliquo loco, etiam ſine animo permanendi, ſufficiat, ut quis efficiatur ſubditus illius loci quantum ad recipienda Sacramenta?* 465
Decretalis XV. 467
Q. I. *Quænam fuerit facti ſpecies huic Pontifici propoſita, cui per laud. Decretalem reſponſum adhuibuit?* ibid.
Q. II. *In quo ſita ſit hujuſmodi Indulgentia, qua ex Apoſtolico præcepto contentus eſse jubetur memoratus Canonicus?* 469
Q. III. *Num in diſpenſatione adhibita cum hujuſmodi Canonico, de quo Clemens III. in laud. Decretali auctoritas Epiſcopi intervenerit?* 476
Q. IV. *Quænam ſint pœnæ adverſus reos Simoniacæ pravitatis ſancitæ Canonico Jure?* 477
Q. V. *Quænam ſint pœnæ ſancitæ contra Simoniam admiſsam in Beneficiis?* ibid.
Q. VI. *Ob quam Simoniæ Speciem ſubeundæ ſint recenſitæ pœnæ?* 478
Q. VII. *Num Simonia admiſsa in Eccleſiaſticis Penſionibus Canonicis pœnis ſit obnoxia?* 481

Q. VIII.

Q. VIII. *Num committentes Simoniam in Prælaturis Regularium, ſubjiciantur Canonicis pœnis adverſus Simoniacos?* 482
Q. IX. *Num pœnæ ſtatutæ adverſus hujuſmodi Simoniacos in Beneficiis poſſint relaxari, aut remitti per Confeſſarios eligendos virtute noſtræ Cruciatæ?* 483
Q. X. *Num idem dicendum ſit de excommunicatione contractа ob Simoniam Confidentialem?* 485
Q. XI. *Num ab aliis pœnis ob hujuſmodi Crimen Simoniæ in beneficiis impoſitis, poterit Confeſſarius abſolvere virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ?* 486
At quid dicendum ſit de pœna invaliditatis collationis, ac proviſionis beneficii? 488
Q. XII. *Num Simonia Realis privet beneficiis antea rite obtentis; & quis poſſit in hac pœna diſpenſare?* 490
Q. XIII. *Num iſthæc pœna privationis beneficiorum in adductis caſibus ſubeunda ſit ante Judicis ſententiam declaratoriam Criminis?* 492
Q. XIV. *Quinam incurrant pœnam hanc dictæ privationis beneficiorum, tum in Simonia Confidentiali, tum in Simonia commiſſa in examine ad Parœciam?* 494
Q. XV. *Quinam ſint pœnæ in Jure ſtatutæ adverſus committentes Simoniam in Religionis ingreſſu; & a quonam poſſint abſolvi?* 498
Q. XVI. *Num ab ingredientibus aliquid exigere titulo ſuſtentationis Simonia ſit, adeoque obnoxia hiſce Canonicis pœnis?* 500
Q. XVII. *Num per Simoniacum in Religionem*

nem ingreſsum incurrantur prædictæ pœnæ ſtatutæ ab Urbano V. in laud. Extravagante Sane ? 510

Q. XVIII. *Utrum pro ſolo Simoniaco ingreſsu, ac receptione ad habitum incurrantur prædictæ pœnæ ?* 511

Q. XIX. *Cujuſmodi ſit iſthæc ſuſpensio lata in Capitulum, ſeu Conventum recipientem aliquem per Simoniam ad Religionem ?* 512

Q. XX. *In quam pœnam incurrent dantes, aut recipientes aliquid a Parentibus, & Conſanguineis Novitii, ultra victum, & veſtitum ipsius Novitii ?* 531

Q. XXI. *Quinam poſſit abſolvere a recensitis pœnis ?* 515

Q. XXII. *Num idem adſerendum ſit de ſuſpensione Capituli, & Conventibus inflicta propter idem Simoniæ peccatum ?* 516

Q. XXIII. *Num etiam memorata ſuſpensio per facultatem Cap. Liceat Tridentini ſolvi, ac remitti non poſſit ?* 518

Q. XXIV. *Quandonam pœna detrusionis in arctius Monaſterium incurratur a Simoniaco Profeſso, & quinam ab illa ſolvere poſſit ?* 250

At quiſnam ab hujuſmodi pœna ſolvere poſſit ? 522

MONITUM AUCTORIS AD LECTOREM

BREVIS MANTISSA 524

De Caſu illo Reſervato, in quem incurrunt recipientes munera a Regularibus. Quidque in eo poſſit Confeſſarius virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ.

Sive

BREVE COMMENTARIULUM

In partes Decretalis *Monachi*. 2. *Et Cum ad Monaſterium*. 6. titulo. *De ſtatu Monachorum*. 527

Q. I. *Num vota neceſſaria ad conſtituendum ſtatum Religioſum ſolemnia ſint oportet, an ſuffuciant tantum Simplica?* 530

Q. II. *Num valeat Summus Pontifex legitima occurrente cauſſa in hiſce Solemnibus Religioſis votis diſpenſare?* 532

Q. III. *Num hoc idem liceat in ſolemni Paupertatis voto?* 535

Q. IV. *Quid ſit ſolemne Paupertatis votum, & quem preſtet effectum in iis, qui illud emiſerint?* 536

Q. V. *Quid differant inter ſe votum Solemne, & ſimplex paupertatis?* 537

Q. VI. *Num Seculii detentio, ac poſſeſſio ſit oppoſita ſolemni Paupertatis voto; quidque de eo in Jure decernatur?* ibid.

Adſero I. *Jure Decretalium, ac recentiori per Tridentinum firmato Seculia habere etiam de Superiorum licentia, atque ad uſus tantum honeſtos Regularibus fuit interdictum*. 540

Adſero II. *Ex conſuetudine jam inducta, ac ubique firme recepta Seculia hujuſmodi Regularibus permittuntur, ac licita ſunt; modo nonnullæ comitentur conditiones*. 543

Adſero III. *Seculium iſtiuſmodi comitantibus conditionibus prædictis Paupertati eſſentiali, ad quam omnino tenentur Religioſi, & adverſus quam nulla valet præſciptio, minime adverſatur*. 545

Q. VII.

Q. VII. *Quale peccatum ſit violatio voti Paupertatis?* 548
Q. VIII. *Num in hujuſmodi vitio proprietatis, ſeu violatione voti Paupertatis ſit admittenda parvitas materiæ excuſans a mortali?* 550
Q. IX. *Quænam quantitas requiratur ad conſtituendum mortale in violatione hujuſce voti?* 551
Q. X. *Quibus pœnis fiant obnoxii Religioſi proprietarii?* 552
Q. XI. *Num elargitio munerum ſit contraria Voto Paupertatis, & Regularibus interdicta?* 554
Q. XII. *In quas pœnas incidant Regulares hujuſmodi munera largentes, ſive qui ab eis receperint?* 555
Q. XIII. *Quid circa hanc largitionem munerum Regularibus interdictam fuerit Pontificio Jure ſancitum?* 558
Q. XIV. *Num Religioſi Ordinum Militarium adſtringantur hiſce Pontificiis Conſtitutionibus de largitione munerum?* 564
Q. XV. *Utrum Religioſi ad Epiſcopatus apicem evecti obſtringantur adductis Pontificiis Conſtitutionibus?* 566
Q. XVI. *Utrum recipientes munera a Regularibus extra caſus conceſſos teneantur ad illorum reſtitutionem; & utrum non impeta reſtitutione poſſint a reatu hujus peccati abſolvi in Foro Sacramentali?* 567
Q. XVII. *Utrum, qui prædicta munera acceperint teneantur ad illorum reſtitutionem ante Judicis ſententiam?* 569
Q. XVIII. *Num in quavis quantitate ſit munus receptum a Regularibus incurratur*

tur iſthæc pœna reſervationis? 570
Q. XIX. *Quænam quantitas requiratur in munerum largitionibus ad incurrendam hanc reſervationem ceteraſque pœnas in prædicta Clementis Conſtitutione ſancitas.* 574
Q. XX. *Cuinam facienda ſit prædicta reſtitutio ante abſolutionem recipiendam?* 576
Q. XXI. *Num Pœnitens, qui in propoſito caſu reſtitutionis oneri jam ſatisfecerit, poſſit abſolvi?* 577
Q. XXII. *Num hujuſmodi Pœnitens factus impotens ad reſtituendum quidquid a Regularibus receperit, poſſit etiam a quolibet Confeſſario adprobato abſolvi?* 578
Q. XXIII. *Num Confeſſarius electus per facultatem Bullæ noſtræ Cruciatæ poſſit ſuum Pœnitentem in his, aliiſque caſibus abſolvere ab hoc peccato?* 580
Q. XXIV. *Num extra caſum impotentiæ ad reſtituenda prædicta munera a Regularibus accepta, aut impletæ reſtitutionis poſſit Confeſsarius electus virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ in prædicto Caſu abſolutionem impertiri?* 583
Q. XXV. *Num ſaltem, cum munus a Regularibus receptum ſit infra valorem decem ſcutorum monetæ, poſſit Confeſſarius virtute Bullæ noſtræ Cruciatæ ab hoc peccato abſolutionem impertiri?* 582

ER.

ERRATA CORRIGE

Pagina 3. verſo 18. atqne	lege atque
Pag. 4. v. 30. pecularem	leg. peculiarem
Pag. 6. v. 11. retlactatas	leg. retractatas
Pag. 6. v. 9. Læctor	leg. Lector
Pag. 8. v. 7. illuſirandas	leg. illuſtrandas
Pag. 8. v. 22. Pontificium	leg. Pontificum
Pag. 16. v. 22. Eccleſiiis	leg. Eccleſiis
Pag. 21. v. 8 hujnſmodi	leg. hujuſmodi
Pag. 22. v. 15. Prælatornm	leg. Prælatorum
Pag. 24. v. 6. Cruciate	leg. Cruciatæ
Pag. 26. v. 12. unm	leg. unum
Pag. 27. v. 15. Snpplicatio	leg. Supplicatio
Pag. 3. v. 1. Preſeſſione	leg. Profeſſione
Pag. 38. v. 6. Cnm	leg. Cum
Pag. 50. v. 8. Compere	leg. Competere
Pag. 54. v. 5. Cruciata	leg. Cruciatæ
Pag. 54. v. 13. notaria	leg. notorius
Pag. 65. v. 26. juzto	leg. juxta
Pag. 72. v. 29. In	leg. in
Pag. 74. v. 28. Bulla	leg. Bullæ
Pag. 96. v. 26. Declarationum, quia	leg. Declarationem, qua
Pag. 96. v. 16. Cruciate?	leg. Cruciatæ?
Pag. 108. v. 23. ae	leg. ac
Pag. 112. v. 28. noſtuæ	leg. noſtræ
Pag. 110. v. 6. Caſtitati	leg. Caſtitatis
Pag. 116. v. 14. Religions	leg. Religionis
Pag. 142. v. 34. latala	leg. allata
Pag. 148. v. 9. ipſias	leg. ipſas
Pag. 149. v. 4. dijcrepare	leg. diſcrepare
Pag. 181. v. 15. affectum	leg. affectum
Pag. 153. v. 10. Suareſiii	leg. Suareſii
Pag. 154. v. ult. præfracte	leg. perfracte
Pag. 156. v. 23. ope	leg. per

Pag.

Pag. 157. v. 17. abſqe leg. abſque
Et v. 81. ruciatæ leg. Cruciatæ
Et v. 12. ibid. ii. leg. Pii.
Pag. 159. v. 24. Mo-
nlialium leg. Monialium
Pag. 160. v. 29. Superoris leg. Superioris
Pag. 162. v. 12. Pubblicæ leg. Publicæ
P. 163. v. 25. *Conſciontiæ* leg. *Conſcientiæ*
Pag. 186. v. 14. Ordirem leg. Ordinem
Pag. 195. v. 22. Cun leg. Cum
Pag. 206. v. 8. rccepta leg. recepta
Pag. 208. v. 10. Con-
ſeguenatiam leg. Conſequentiam
ibid. v. 11. peecat leg. peccata
Pag. 228. v. 7. æterna leg. æternæ
ibid. v. 11. Relegionis leg. Religionis
Pag. 230. v. 29. Collerat leg. Collegerat
Pag. 234. v. 1. fucta leg. facta
Pag. 225. v. 1. inſigubus leg. inſignibus
Pag. 44. v. 10. que leg. qui
Pag. 254. v. 7. Barbarum leg. Barbarorum
Pag. 259. v. 18. ae leg. ac
Pag. 260. v. 2. niſhil leg. nihil
Pag. 270. v. 27. pugnatuti leg. pugnaturi
Pag. 193. v. 14. fuete leg. fuere
ibid. v. 32. injectu leg. injecta
P. 294. v. 12. tyeannide leg. tyrannide
Pag. 319. v. 7. æditis leg. editis
Pag. 332. v. 16. ditius leg. diutius
P. 333. v. 21. diſſerendum leg. differendum
Pag. 359. v. 23. affumto? leg. aſſumpto?
P. 395. v. 27. deſiſignanda leg. deſignanda
Pag. 399. v. 20. hoc leg. hac
P. 416. v. 7. Solutioniqus leg. Solutionibus
ibid. v. 24. dubitori leg. debitori
P. 417. v. 8. præjedicium leg. præjudicium

Pag.

P. 421. v. 16. Uſerarios	leg. Uſurarios
P. 422. v. 21. Exeeſſibus	leg. Exceſſibus
P. 428. v. 83. Suareſiii	leg. Suareſii
Pag. 432. v. 22. Onfeſſarii	leg. Confeſſarii

XV

Digitized by Google